BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 M
9

Digitized by Google

Digitized by Google

D. CASPARI BRAVO DE SOBRE-MONTE RAMIREZ

DOCTORIS MEDICI,

MAGNORVM PHILIPPI IV. ET CAROLI II.
Potentiſſimorum Hiſpaniarum, & Indiarum Regum Archiatri, & Protomedici; Supremi Senatûs ſanctæ Inquiſitionis Miniſtri, & Medici Primarii; & olim in Archigymnaſio Valliſoletano Artium Cathedræ Chirurgicæ, Methodicæ, Veſpertinæ Primariæ Hippocratis, & Primariæ Avicennæ Moderatoris,

TRACTATVS DVO:

Quorum primus continet

X. CONSULTATIONES MEDICAS

ALTER VERO

TYROCINIVM PRACTICVM

Artis curatricis hominum, nuſquam hactenus editum.

Cum Indice duplici; Primò Sectionum, & Conſultationum: Altero Rerum præcipuarum, & Verborum.

EDITIO NOVISSIMA.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus JOANNIS WILHELMI FRIESSEM junioris.

ANNO M. DC. LXXI.
Dom. Probat. Rom. Schol. Piar.
ex P. Ildefonso.

34C

Digitized by Google

VERE PONTIFICIÆ, ET REGIÆ UNIVERSITATI TURDITANÆ, PALENTINÆ, VALLISOLETANÆ, OMNIVM,

quæ à mundi origine fuerunt in orbe Vniverſitatum primæ, omnium ſcientiarum Matri & Culmini, earumque Propagatorum Origini,

Opuſculum hoc dicat, & conſecrat Doctor CASPARVS BRAVO *de* SOBREMONTE, *eius Alumnus.*

MEDITANTES diu Mater Univerſitas, quidpiam beneficiis acceptis Parallelum appendere Sacrario tuo, nihil niſi à te receptum, tui dignum judicavimus: cumque à te omnes propagatæ ſint ſcientiæ, omneſque totum per orbem diſperſæ, devolvimus tuo cultui aliqua, quæ à te recepimus pro hominum ſalute utilia; & omnium ſcientiarum, & artium, quas cuncti à te receperunt, dignitatem proferimus: cunctarum enim te primum promptuarium, & originem, tua demonſtat progenies, tuæque variæ manſiones, per quas parum divagare liceat.

Altius repetam tui eſſe, & Nobilitatis originem, Divinamque progeniem. Hanc es adepta, dum Summus Opifex hominem conformare decrevit. Tunc enim in Divinis Idæis omnium ſcientiarum univerſitatem perfecit in hominis complementum: ibidemque tu primam obtinuiſti manſionem, uſque ad Orbis Geneſim.

Dum jam Adamus conformatus fuit, ſcientiarum univerſitas fuit illi congenita ad ſui eſſe complementum neceſſaria, ut docet Angelicus Doctor 1. *p. q.* 94. *art.* 4. *Fuit* (inquit) *neceſſarium hominem non ſolum à Deo conformari completum ſecundùm corpus, ſed etiam ſecundùm animam, cujus perfectio completur per ſcientias.* Ex quo infert: *& ideò primus homo ſic conſtitutus eſt à Deo, ut haberet omnium ſcientiam, in quibus natus eſt homo inſtrui.* Nec lapſu primus Parens amiſit, quas receperat ſcientias, ſed earum conſervavit univerſitatem, ut tenet D. Chryſoſtomus in *Geneſ. Homil.* 14. Valentia, 1. *p. diſp.* 7. *q.* 2. Ideoque in prima mundi ætate univerſitas ſcientiarum ibi permanſiſti; ſecundamque apud ipſum feciſti

* 2 man-

manſionem, & ab ipſo in Filios derivata , propagata fuiſti in Gente; per Cain, & ejus ſucceſſores Enoch, Irad, Mararuel, Matuſael, Lamech, Eleia: & per legis naturalis potiores Obſervatores, Abel, Seth, Enos, Cainam, Malaluel, Jared, Enoch, Matuſalem, Lamech, & Noe, qui filios habuit, Sem, Cham, & Japhet, in quos omnium ſcientiarum tranſtulit univerſitatem poſt diluvium , ut tanquam mundi novi propagatores inſtruerent in ſcientiis ſucceſſores , ut ſic ſecundum animam completi ſubſiſterent per ætates ſubſequentes.

In ſecunda mundi ætate: Anno ab origine mundi 1931. à diluvio 295. ante Chriſti Domini adventum 2122. ut tenet Joſephus *lib. 1. Antiq. Iud. c. 7.* D. Rodericus Archi-Epiſcopus Toletanus, *libr. Chron. cap. 3.* Villalpandus *in Ezech. tom. 2. 1. p. c. 27.* ſine eo quod permanſerit apud ædificatores Turris Babel; nec ad Sinarim regionem pervenerit, ut tenet Martel *Anno 1760.* Beuter confirmat , & deducit Torreblanca ex Jacobo Sylvio, *in ſacris Annal. tom. 1.* ex Cajet. *in Lyppom.* ex Archiloo *de tempore*, ex Beroſio *lib. 4.* Tubal filius Japhet Noe filii appulit ad Hiſpanias, ſuaſque Gentes ſparſit per illas, quarum animos nondum per ſciencias perfecerat: Ideo animo agreſtes factæ in primo illo ſæculo, ut tenent Rodiginius *libr. 18. Antiq. lect. c. 21.* Zuing. *in Theatro vitæ humanæ. tom. 1.* Textor *in officina de diverſitate morum.* Mariana *de rebus Hiſpaniæ lib. 1. c. 6.* inquit: *Veteres Hiſpani, in tribus fuère rudes, ſanè ſine timore, feris propriora, quam hominibus ingenia , ſecreti etiam, inter tormenta tenaces, inquieti animo, corporum celeritate maxima, dediti Religionibus, & Sapientiæ ſtudio abhorrentes, etſi ingenio maximo.* Hos ut excoleret, & eorum animum Tubal compleret, & compeſceret, cœpit per ſcientias illos morigerari, & quarum univerſitatem apud ſe retinuerat edoctus à Noe, & Japhet, progenitoribus, Divino inſtructuſque Numine, & ut ſuos inſtrueret, & ne temporum progreſſu dilaberentur, ſcientiæ publicas ſcholas conſtruxit, Univerſitatemque ſuis Gentibus communem apud Turditanos populos, apud quos tertiam jam tu Mater Univerſitas feciſti manſionem, ut tenet Strabon, qui vixit tempore Tiberii, & tui memor *libr. 3. Geogr.* inquit: *Turditani inter Hiſpaniæ populos ſapientiâ putantur excellere, & literarum ſtudiis utuntur , & memoranda vetuſtatis volumina habent, poëmata, leges quoque verſibus ſcriptas à ſex annorum millibus.* Horum anni quatuor menſium erant, ut docet Torreblanca, & ſunt ex noſtris duo millia annorum, qui præceſſerunt à Strabonis ætate in Tubalis tempora, à quibus uſque ad devaſtationem Hiſpaniæ per Arabes, permanſiſti apud Turditanos; ideoque Turditana dicta fuiſti.

In te igitur Tubal primus Theologiam docuit , cultumque veri Dei in lege naturali, ut tenet Garybay, *in comp. Hiſt. tom. 1. lib. 4. c. 1.* ubi docet ; quod Tubal ſuas gentes inſtruxit in lege naturali, & ut adorarent ſolum Deum unum, & verum; docuit illas etiam omnes naturales ſciencias, ut tenet Ocampus, *libr. 1. c. 4.* ſimul & Mathematicas : indeque ſucceſſores Tubalis, Brigus, Oſyris, Orolybias, Heſperus, Atlas, &c. (ut tenent Garybay, & Ocampus) viri facti ſunt ſapientes & religioſi Principes evaſerunt. Ad te igitur Mater Univerſitas inſtruendi acceſſerunt alii Reges, ut inſtruerentur ad regnandum per Sapientiam : Inter quos Oſyris Rex Ægyptiorum tui adductus famâ ad te ſe contulit, & à te imbutus fuit; quâ ſapientiâ fuit excellens Serapis Dionyſius , Ammon, Jupiter, &

ter,& Pan fuit cognominatus,ut tradunt Diodor.*lib.*1.*c.*2.Puente *lib.*3.*c.*28. Didicit à te Politicam Hercules Orolibius,quâ Hiſpanos, & Gallos domuit,ut tenet Steph.Forcatulus, *lib.* 2. *de Gallor. imper.* Lycurgum Spartorum legislatorem à te leges tranſtuliſſe tenet Pineda, *lib.* 5. *c.*24. & Torrebl. probat, quod totum orbem tuâ illuſtraſti ſapientiâ. Nam Mercur. Triſm. Atlantis Regis Hiſpaniæ nepos, Hiſpanus fuit, ut tenet Horat.*lib.*1.*Carm. Ode* 10. Et quas à te recèperat ſcientias,ſparſit per totum orbem: docuit enim illas Ægyptios, Babylonios, Perſas, Græcos, ut ex ejus doctrinæ fontibus liquet, quibus locupletati ſunt Muſæus, Linus, Thales, & reliqui Chaldæorum, Ægyptiorum, & Græcorum magiſtri, ut tenent Euſebius *de præparatione Evang. lib.*1 c. Eugulinus, *de Perenni Philoſophiâ,lib.*1.*c.*25.*lib.*2.*c.*1. *&* 2. Commentator Græcus,*in labyrint.ad Menam.* Tota Schola Peripateticorum ex tua coaluit doctrina. Ariſtoteles enim Stagyrita dictus,quia ibidem diu permanſit, & apud Socratem, & Platonem fuit auditor, tuam ex illis didicit Sapientiam,& apud te primo ipſâ fuit imbutus: Fuit enim Hiſpanus,ut tenet Joannes de Mena,*in Chron.*& Lucas de Tuy *in Chron.* Garybay, *tom.*1.*lib.*5.*c.*8.& Enciſco,in *Georg.ad Carol.V.* Tenetque Martin.de Roa,*de Cordub.& Betic.princ.c.*4. Te igitur venerata eſt per totum orbem omnis antiquitas; Teque ut Matrem ſalutarunt præclari quicunque per orbem in ſcientiis floruerunt magiſtri, Dionyſius, Thebanus, Orphæus,Homerus,Heſiodus,ut tenent Strabon *de ſit.Orb.c.*2.*lib.*1.& Plinius *libr.* 5. Divus Hieronymus *ad Paulinum*, qui tui non oblitus, librum conſcripſit in laudem Turditanorum; apud quos te adinvenit Matrem, & Magiſtram omnium ſcientiarum.

Turditanis, Bæticiſque per Arabes devaſtatis populis, habitatores confugerunt ad Montanorum habitationem, ut tenet Rhaſis, *lib.* 1. *c.* 20. Turditanaque Univerſitas diſperſa eſt cum Profeſſoribus; permanſerunt tamen aliqui,qui ſcientias inter Arabes conſervarunt,præcipuè Metaphyſicam,Philoſophiam,Medicinam, & Mathematicas, quæ maximè apud Cordubam floruerunt, ubi harum ſcientiarum ſcholæ claruerunt, earumque profeſſores inſignes, Averroës,Avicenna, Avenzoar, Algazel, Avicembron, Aventumac, Rhaſis,& alii præclari Avicennæ Commentatores; reliqui vero Turditani profeſſores ſcientiarum, qui permanſerunt cum Catholicis, ad montanas habitationes delati. Turditanæ Univerſitatis pars diu ſiluit inter ipſos ob armorum ſtrepitum: permanſit tamen inter præclaros aliquos viros, præcipuè Theologia inter aliquos Epiſcopos catholicos Magiſtros, ut videre licet apud Tamajum, *in ſuo Martyr. Hiſpan.* & ex Conciliis, quæ apud Hiſpanos celebrata ſunt ipſis temporibus. Dum tandem jam Reges Catholici commodam recuperarunt Hiſpaniæ partem, in qua poſſet iterum diſperſa Univerſitas Turditana uniri ex doctis viris, in quibus traditione adquiſitæ permanebant ſcientiæ apud Hiſpanos, & ex aliis ad quos diſperſæ fuerant apud exteros, Alphonſus Octavus Rex Caſtellanorum, anno 1200. in Palentina Civitate Turditanam Univerſitatem congregavit,ipſamque Palentinam fecit propriis ſumptibus coadunatam,ut tenet D. Roder.Archiepiſc.*lib.*7.*Hiſp.c.*34.*&* c.1.*in Hiſtor.Reg.Ferdin. Sancti.* Levius Marinæus Siculus, *lib.*3.*de reb. Hiſp.c.*1.Lucas Diacon.Tudenſ. *Chron Mundi,æra* 1236. Mariana, *lib.* 13.*c.*1.Garybay,*Compend.Hiſt.Hiſp.lib.*12.*c.* 22. Gil. Gonzalez de Avila, *tom.* 1. *Theatr.*

Eccl.lib.2.c.17. Camillus Boſtil, *de praſt.Reg.Cathol.lib.2.c.40.* Ibidem igitur Mater Univerſitas congregata, quartam apud Palentinos feciſti manſionem, ideoque Palentina es dicta, & ſic ad tuum antiquum ſplendorem properaſti, ut tui iterum diſperſa fama, te celebrem reddiderit per totum orbem, ita ut tuæ gloriæ æmulus Rex Alphonſus nonus Legionenſis Salmanticenſem Univerſitatem tibi æmulam erexerit, ut demonſtrat inſcriptio in ipſa nunc permanens.

ANNO DOMINI M. CC.

Alphonſus VIII. Rex Caſtellæ, Palentiæ Univerſitatem erexit, cujus æmulatione Alphonſus IX. Legionenſis Rex Salamanticæ eidem Academiam erexit.

Cum igitur fuerit tanta tui gloria, ut Palentina, ut Alphonſus Rex Legionenſis Nonus, æmulatione tui commotus, ut inſcriptio fatetur Salamanticenſem erexerit Univerſitatem, & ut tenet Lucas Diaconus Tudenſis, in æra 1255. in ejus erectionem cùm evocaverit Magiſtros, peritoſque viros, evidens eſt à te ipſos mutuaſſe, teque Salamanticenſis Univerſitatis, & matrem, & originem fuiſſe; non quia tu ad ipſam fueris tranſlata, ut aliqui oſcitanter contendunt; ſed quia à te ſcientiarum recepit Magiſtros. Archiep. D.Rodericus, *lib.6.Chron.* tenet, quod poſt tantum ſplendorem apud Palentinos ſiluit doctrina tua, immemor, quod ſiluit apud Palentinos, quia ex tui tranſlatione ad Valliſoletanos ibidem fulgentior reddi cœpiſti.

Contendunt aliqui, quòd ſiluiſti apud Palentinos, quia tui evanuerunt reditus: ſed falſo nituntur fundamento: te enim erexit Alphonſus VIII. Caſtellanorum Rex magnificentiſſimus, ut tenet D.Rodericus loco citato, ubi affirmat, eum magnificentiſſima feciſſe opera; maximaſque donaſſe dotationes, ſuaſque fundationes condecoraſſe magnis ſtipendiis, quæ in ſuâ univerſitate non ita brevi deficerent; nec æmulum tuæ gloriæ reddidiſſet Regem Legionenſem ſine ſplendore, & ſtipendiis, cum quibus poſſes permanere; tuique cum ipſis permanentiam demonſtrat, quòd cum eiſdem ſtipendiis, & redditibus uſque ad noſtra tempora permanſeris apud Valliſoletanos, & quod tui ſtipendia, & reditus, ſint in decimis Regalibus in plurimis Eccleſiis Palentinæ Diœceſis, quæ ſemper ſunt permanentes.

Mariana te defeciſſe contendit, quia à Ferdinando Rege fueris in Salamanticenſem mutata; ſed illius ignorantiam demonſtrat Salamanticenſis Univerſitatis inſcriptio, quâ tui æmulam ſe oſtentat, & illius erectorem Legionenſem Regem Alphonſum IX. fatetur; & Gil.Gonzalez de Avila, *tom. 1. Theatri Eccleſ. c. 1.* Ripol *de Regalibus c.48.* Lucas Diaconus Tudenſis, tribuunt diverſis Regibus, Palentinæ, & Salamanticenſis Univerſitatis erectionem, qui ob æmulationem operantes, debuiſſent ſuam quiſque tueri, & retinere. Tum etiam, quia contendebat quilibet ſuam Juventutem in ſuo dominatu literis ornari, ne diſtracta ad alienam dominationem bello ſuperveniente poſſet retineri. Reſtat igitur Mater Univerſitas, quod ſiluerit tua doctrina apud Palentinos, quia ſtudium, & ſtudioſorum commoda te transferri coëgerunt ad Valliſoletanos, apud quos Valliſoletana facta, quintam jam feciſti manſionem.

Tui

Digitized by Google

Tui tranſitum ad Valliſoletanos demonſtrant ſtipendia, & reditus, quæ poſſides in decimis Eccleſiarum Palentinæ Diœceſis, quæ ſunt patrimonii regii, & quod nullum ſit tibi novum adquiſitionis eorum jus, niſi quia à Rege Alphonſo Caſtellanorum tuo Erectore ſint tibi condonata dum Palentina fuiſti. Demonſtrat etiam, quod cum ſis regii patrimonii, & à Regibus erecta, nullus Scriptorum tuæ erectionis ut Valliſoletana eſt meminerit. Cujus unica eſt ratio: quia caſtrum Civitas, vel Univerſitas ad aliquem locum translata dicitur eadem, & retinet privilegia, & jura, quæ antea habebat, ut tui Alumnus Doctiſſimus Valeron comprobat, & tenent Alexand. *Conſil.* 43. Aber. *in l. uſuſfructus D. quibus modis uſuſfructus amitt.* Loſæus, *de jure Univerſit.* 4. *p. unic.* Joab Cancer. 3. *p. variar cap.* 23. Ruland. *de Commiſſar. p.* 4. *lib.* 2. *c.* 2. D. Larrea, *deciſ.* 97. D. Vella, *diſſert.* 33. idem comprobat, quod æmulatio Caſtellæ Regum, non admitteret Palentinam univerſitatem deficere, niſi mutaretur in commodiorem locum; nec de alio conſtat. Ex quo patet in Valliſoletum Palentinam Univerſitatem fuiſſe mutatam.

In quintâ hac manſione verè Pontificiâ facta fuiſti anno, 1346. Clemens Pontifex VI. bullam expedivit in tui favorem; in qua inſeritur alia, quæ ab Anteceſſore Clemente V. fuerat expedita, qui vixit tempore Alphonſi Regis XI. ad cujus inſtantiam ipſam Pontifex expedivit anno 1310. ut colligitur ex Baconio, *in hiſtor. Pontiſ. in vita hujus Clementis V. tom.* 1. in qua inquit Pontifex: *eſt in Regno Caſtellæ notabilis, atque in ea ſtudium licet particulare ab antiquo viguit, atque viget, multaque ad illam commoditates concurrunt hactenus, & concurrent; & in eâ Viri valentiſſimi fuerunt in ſcientia litterarum effecti.* Indeque & plures alii Pontifices ſubſequuti ſunt tibi largiti innumera privilegia, & exemptiones, quorum bullas retines. Ex quibus patet tui celebritas, & antiquitas, quantaque fueris ab eo tempore, quo manſionem apud Valliſoletanos feciſti benevolentiâ Pontificum, privilegiis, exemptionibuſque exornata, quantiſque facultatibus condecorata, ut tuos poſſis alumnos adimplere honoribus, privilegiis, & exemptionibus, nobilitatemque conferre, gradus, ac immunitates; ſimulque & quòd Regia facta fueris, non ſolum quia eorum favore fueris illuſtrata, ſtipendiis, & reditibus; ſed quia ſimul honoribus fueris nobilitata, & pro tuorum Doctorum, ac Scholaſticorum commodis locupletata; ita ut poſt tuos Magnificentiſſimos Erectores in tantum deducta fueris culmen, ut nulla ſupremæ dignitatis Univerſitas videretur erigi poſſe, niſi in tui ſimilitudinem eſſet condecorata; comprobavit Archiepiſcopus Toletanus Gudiel, qui contendens apud Complutenſes celebrem Univerſitatem erigere, ut in ſummo culmine illam conſtitueret, hoc unum optavit, ut tibi ſimilis evaderet in honoribus, & privilegiis, idque obtinuit à Rege D. Sancho el Bravo privilegium ejuſmodi: *Concedimus fieri ſtudium apud Complutenſes, & ut Magiſtri, & Scholaſtici conveniant ad illud, volumus quod habeant omnia privilegia, quæ habet ſtudium Valliſoletanum.* Ex quo patet te omni ætate celebrem, & in ultimâ manſione verè Pontificiam, & Regiam factam fuiſſe. Reſtat igitur Mater Univerſitas Cœlicola, Turditana, Palentina, Valliſoletana, Pontificia, & Regia, ut hoc munuſculum, utcunque parvum accipias à tuo Alumno: & ut præſtantiam, honores, & dignitates tuarum ſcientiarum, quas per univerſum orbem ſeminaſti in tuum gremium amplectaris, & foveas.

Digitized by Google



Digitized by Google

INDEX

SECTIONVM, RESOLVTIONVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

SECTIO I.

De Dogmaticæ Medicinæ natura, & aliarum Medicinæ aacceptionum diverſitate.

Resolutio I.

QUot ſint Medicinæ acceptiones, & quod illius proprium ſignificatum ſimpliciter ſumptæ, pag. 5

§. 1. *Aliqui Medici ſe ipſos Mulomedicinarios fecerunt,* ibidem.

2. *Æquivoca proponitur medicinæ acceptio ad plures res quæ dicuntur mederi.* ibid.

3. *Medicina ad mixtorum curationem analogicè tantum extenditur.* 6

4. *Medicina genericè ſumpta quibus adaptatur?* 7

5. *Per medicinam ſine addito & ſimpliciter dictam, qualis ars curatrix intelligatur.* ibid.

6. *Solvuntur fundamenta ex Primoroſio adducta.* ibid.

Reſol. II. *Utrum medicina propriè ſumpta prout ars eſt hominis curatrix ſit idem habitus in omnibus curantibus hominem.* 8

Reſol. III. *Utrum dogmatica medicina ſit præſtantior reliquis medicinæ ſectis.* 10

§. 1. *Proponitur dubitandi ratio, & ejus fundamenta aperiuntur.* ibid.

2. *Dogmaticam medicinam eſſe reliquis præſtantiorem, ſancitur.* 11

Reſol. IV. *Quid ſit medicina hominis curatrix, & quid rei medicina dogmatica ſit.* 12

§. 1. *Medicinæ artis hominis curatricis proponuntur definitiones.* ibid.

2. *Nova à nobis ſancitur dogmaticæ medicinæ definitio.* 13

Reſol. V. *Utrum dogmatica medicina ſit ſcientia?* ibid.

§. 1. *Diſſentiendi proponitur ratio, & fundamenta aſſerentium non eſſe ſcientiam.* ib.

2. *Medicinam dogmaticam Architectonicam eſſe ſimpliciter ſcientiam ſancimus* 14

3. *Solvuntur rationes dubitandi à principio poſitæ.* 15

Reſol. VI. *Utrum dogmatica medicina ſit ſcientia naturalis.* 16

§. 1. *Proponitur occaſio hujus Reſolutionis.* ib.

2. *Inter ſcientias naturales dogmaticam ponimus medicinam Arrhitectonicam.* ibid.

Reſol. VII. *Utrum medicina dogmatica ſit ſcientia ſpeculativa?* 17

† §. 1. Com-

§. 1. *Communis opinio, practicam constituit Dogmaticam Medicinam.* ibid.
2. *Dogmaticam Architectonicam medicinam ſancimus eſſe ſimpliciter ſpeculativã.* ibid.
3. *Solvuntur dubit andi rationes, & fundamenta contraria.* 18
Reſ. VIII. *Utrum Medicina dogmatica fuerit à Deo Adamo infuſa, & hominibus communicata.* 19
§. 1. *Miniſtrorum Medicinæ ponitur origo.* ib.
2. *Sectæ Medicinæ ſub dogmatica uſu temporeſubſequutæ ſunt.* ibid.
3. *De Dogmaticæ Medicinæ origine concertantes opiniones proponuntur.* 20
4. *Medicinæ Dogmaticæ vera origo proponitur.* 21
5. *Dogmatica Medicina collapſa per ætates qualiter ſit reſtituta à Deo.* 22
Reſ. IX. *Utrum dogmatica Medicina ſit neceſſaria hominibus in ſubſidium ſalutis eorum.* 23
§. 1. *Fundamenta negantium neceſſitatem medicinæ Dogmaticæ, & à quibus oppugnetur.* ibid.
2. *Sancitur Medicina Dogmaticæ neceſſitas in ſubſidium ſalutis humanæ.* 24
3. *Adhibetur ſolutio fundamentis contrariè opinantium.* 27
Reſ. X. *Utrum corpus humanum, ut ſanabile ſit objectum Medicinæ* 29
§. 1. *Proponuntur variæ opiniones, & fundamenta partis negativæ.* ibid.
2. *Non omne corpus ut ſanabile eſt Medicinæ objectum.* 30
3. *Sancitur proprium objectum ſpecificativum Dogmaticæ Medicinæ materiale.* ibid.
4. *Proponitur formalis ratio objecti Medicinæ.* 31
5. *Solvuntur fundamenta, quæ opponuntur.* ibidem.
Reſ. XI. *Utrum dogmatica Medicina indigeat fortuna.* 32
§. 1. *Fortunæ acceptiones variæ affirmantis opinionis ponuntur fundamenta.* ibid.
2. *Sancitur, quod Dogmatica Medicina non indiget fortuna.* 33
3. *Quid dicendũ de dubitandi rationibus?* 34
Reſolut. XII. *Utrum Medicina habeat remedia per quæ poſſit hominis vita prorogari in ultimum terminum vitæ præfixum.* ibid.
§. 1. *Proponitur ſtatus difficultatis, & vitæ communis terminus; fulcitur pars negativa.* ibid.
2. *Naturæ conatus ſæpè conſequitur ultra communem ordinem, vitæ durationem & alias accidentes perfectiones.* 36
3. *Non omnes valet medicina impedire cauſas accelerantes præfixum vitæ terminum.* 37
4. *Qualiter Medicina poſſit coadiuvare conſequutionem vitæ præfixi termini juxta ordinem cauſarum ſecundarum* ibid.
5. *Nequit omnino præfixum vitæ terminum medicina.* 38
6. *Fit ſatis pro Adeodato propoſitis fundamentis.* 39
Reſ. XIII. *Utrum medicina valeat ſenectutem retrotrahere ad progreſſas ætates.* ibid.
§. 1. *Paracelſi ridicula proponitur opinio.* ibid.
2. *Medicinæ vim rejuveneſcendi hominem denegamus.* 40
3. *Solvuntur fundamenta prò parte contraria adducta.* 42
Reſ. XIV *Utrum Medicina ſit Ars longa* 43
§. 1. *Quid de aliis ſectis; quid de dogmatica Medicina alii ſentiant?* ibid.
2. *Dogmatica medicina comparatur ad vitæ brevitatem.* ibid.
3. *Medicus optimus in medicina Dogmatica admittititur.* 44

Reſ.

Digitized by Google

Reſ.XV *Utrum medicina Dogmat'ca variis inſtrumentis, ſeu medicis m.t.ri.s utatur.* 47
§ 1. *Inſtrumentorum numerus Dogmaticorum profertur.* ibid
2. *Proponitur Diaterica partis neceſſitas, & uſus.* ibid.
3. *Chirurgica Medicinæ partis proponitur neceſſitas.* 48
4. *Pharmaciæ uſus & neceſſitas proponitur.* ib.
Reſ.XVI. *Utrum Medicina Dogmatica pro materia medica ſub pharmacia debeat admittere ſpagyricorum remedia?* 49
§. 1. *Riolani, & Libavii diſſenſus, & fundamenta non admittentium ſpagyrica medicamenta ponuntur.* ibid.
2. *Quid de ſpagyricis medicamentis ſit tenendum ſancimus.* 51
3. *Solvuntur rationes dubitādi & fundamenta Riolani.* 54
Reſ. XVII. *Utrum Medicina Dogmatica debeat uti incantationibus pro curandis morbis.* 56
§. 1. *Quid incantatio? & quid prodeſſe poteſt proponitur.* ibid.
2. *Qualis verborum uſus liceat pro curandis morbis?* 57
3. *Verba, & carmina omni carent ex ſe agendi poteſtate.* 58
4. *Ope dæmonum poſſunt carmina & verba prolata varios producere effectus, morboſq́, curare.* 59
5. *Dogmatica medicina non datur uti dæmonis ope.* 60
6. *Solvuntur primò poſita fundamenta contraria.* 61
Reſ. XIII. *Utrum dogmatica medicina pro morbis curandis debeat uti appenſis ſigiliis, aut characteriſmis* ibid.
§. 1. *Status difficultatis, & fundamenta admittentium characteriſmata ponuntur.* ib.
2. *Characteriſmata nullam habere vim naturalem traditur? nec appenſa.* 63
3. *Dæmonis virtute valent characteres, & ſigilla morbos curare.* 64
4. *Contraria ſolvuntur objectiones & fundamenta.* 65
Reſ. XIX. *Utrum medicina dogmatica debeat pro morbis curandis uti impſalmis, & ſalutatoribus;* 66
§. 1. *Aperitur difficultatis occaſio.* ibid.
2. *Sunt admittendi dæmones, & pacta eorum cum magicis* 68
3. *Impſalmi & impſalmatores reprobantur.* ib.
4. *Etiamſi impſalmatores utantur remediis cum verbis non admittendi.* 69
5. *Dogmatica medicina debet uti ſalutatorum curationibus ſine pacto factis.* 70
6. *Solutio adhibetur fundamentis contrariè opinantium.* 71
Reſ. XX. *Utrum omnes ſectatores Hippocratis ſint medici dogmatici?* 72
§. 1. *Proponitur hujus difficultatis ratio.* ibid.
2. *De Hippocraticis textualibus medicis quid ſentiendum?* 73
3. *Rationalem Hippocratis doctrinam ſequentes ſunt Hippocratici dogmatici* 74

SECTIO II.

De Medicinæ Dogmaticæ præſtantia, & nobilitate.

RESOLUTIO I.
UTrum Medicina Dogmatica debeat admitti inter artes, quæ valet nobiles facere ſuos Profeſſores 75
§. 1. *Calumniatorum negantium ſuos reddere profeſſores nobiles dogmaticam medicinam traduntur fundamenta.* ibid.

Digitized by Google

2. *Dogmatica Medicina ut ſcientia eſt, valet nobilitare ſuos Profeſſores.* 76
3. *Ob ſua privilegia nobilitat medicina dogmatica ſuos profeſſores.* ibid.
4. *Dogmatica medicina per Doctoratus gradum nobiles efficit profeſſores.* 77
5. *Inanes conatus calumniatorum convelluntur.* 78
Reſol. II. *Utrum medicina dogmatica ſit præſtantior ſeptem artibus mechanicis?* 79
§. 1. *Pars negativa, quibus valeat ſuſtineri?* ibidem.
2. *Præſtantia medicinæ inter artes mechanicas ſancitur.* 80
3. *Solvuntur fundamenta primò adducta.* 81
Reſ. III. *Utrum dogmatica medicina ſit præſtantior quam artes liberales?* ibid.
§. 1. *Proponitur difficultas, & rationes, quæ faciunt pro artibus liberalibus.* ibid.
2. *Dogmatica medicina ſancitur præſtantior eſſe artibus liberalibus.* 83
3. *Solvuntur primò adducta fundamenta* 84
Reſ. IV. *Utrum dogmatica medicina ſit præſtantior Theologia?* ibidem
§. 1. *Proponitur ſtatus difficultatis.* ibid.
2. *Quid ſentiendum de vera Theologia reſpectu medicinæ?* ibidem
3. *Reſpondetur pro doctrina Hippocratis.* 85
Reſ. V. *Utrum medicina dogmatica ſit præſtantior Metaphyſica.* ibid.
§. 1. *Quid ſit metaphyſica? & de ejus præſtantia.* ibid.
2. *Quid de præſtantia methaphyſicæ abſolutè fatendum?* 86.
3. *Dogmaticæ medicinæ qualis adaptanda præſtantia ob quã methaphyſicâ utilior.* ib.
4. *Solvitur dubitandi primò adducta doctrina.* ibid.
Reſ. VI. *Utrum dogmatica medicina ſit præſtantior Phyſica?* 86
§. 1. *Phyſicæ quæ favent rationes ut ſit præſtantior dogmatica medicina.* ibid.
2. *Dogmatica medicina Phyſica habenda præſtantior.* 87.
3. *Solvuntur rationes dubitandi primò adducta.* 88
Reſ. VII. *Utrum medicina dogmatica ſit præſtantior Oeconomia?* ibid.
§. 1. *Proponitur ratio dubitandi favens Oeconomiæ.* ibid.
2. *Dogmaticæ medicinæ præſtantia præfertur Oeconomica* 89
3. *Ratio dubitandi primò adducta ſolvitur.* ibidem.
Reſol. VIII. *Utrum dogmatica medicina ſit præſtantior Ethica arte?* 89
§. 1. *Proponitur Ethicæ ratio & excellentia.* ibid.
2. *Præfertur dogmatica medicina Ethicæ.* 90
3. *Satisfacimus pro ratione dubitandi.* ibid.
Reſ. IX. *Utrum dogmatica medicina eſt præſtantior Politica?* 90
§. 1. *Quid politica, & quæ ejus præſtantia ſit?* ibid.
2. *Politica ſapientia præter Theologiam præfertur reliquis artibus.* ibid.
3. *Affinitas medicinæ dogmaticæ cum politica ſtatuitur.* 91
4. *Solvitur dubitandi ratio primò adducta.* 92

SECTIO III.

Pro defenſione objectionum in Medicinæ præſtantiam.

Resolutio I.

Utrum obſtet Medicinæ præſtantiæ, quod nil ſcitur? 93
§. 1. *Pars affirmativa, & ſua fundamenta proponuntur.* ibid.

2. *Nihil*

2. *Nihil derogatur de medicinæ præſtantia, ex eo quod aliqui nihil ſcire contendant.* 94.
3. *Solvuntur contrariorum fundamenta.* ib.
Reſ. II. *Utrum vanitas ſcientiarum, & artium obſtet medicinæ præſtantiæ?* 95
§. 1. *Pars affirmativa variis ſuadetur fundamentis.* ibid.
2. *Nec medicinæ, nec artium præſtantiæ derogatur per has nugas.* 96
3. *Solvuntur objectiones primò propoſitæ* 97
Reſol. III. *Utrum de jure communi liceat Clericis exercere medicinam, & hoc deroget illius præſtantiæ aliquid?* 98.
§. 1. *Non licere probatur ex aliquibus juris fundamentis.* ibid.
2. *Ex jure communi quid permittitur Clericis Medicis?* 99
3. *Solvuntur fundamenta in principio poſita.* 100
Reſ. IV. *Utrum Poëtæ profani ſuis dicacitatibus imminuant medicinæ præſtantiã.* 101
§. 1. *Proponuntur Poëtarum in medicos dicacitates.* ibid.
2. *Præſtantia medicinæ tuetur à Poëtarum dicteriis.* ibid.
3. *Solvuntur Poëtarum dicteria in medic.* 102
Reſ. V. *Utrum quæ ſolent objici in medicos à Juris profeſſoribus, minuat medicinæ præſtantiam?* 104
§. 1. *Profeſſores juris, & aliarum artium, ut minuant medicinæ præſtantiam aliquas illi opponunt objectiones, dicteria, & ſcurrilitates, quæ à vulgaribus receptæ videntur medicinæ imminuere præſtantiam.* ibid.
2. *Nullæ facetiæ, nullæ dicacitates aut conatus reliquorum profeſſorum valent imminuere præſtantiam medicinæ.* ibid.
3. *Solvuntur vulgaria dicteria primò adducta.* 112
Reſ. VI. *Utrum dogmaticæ medicinæ profeſſores aliquid de illius præſtantia derogaverint?* ibidem
§. 1. *Quid Iuris profeſſores, quid vulgus teneant?* ibid.
2. *Ratione profeſſorum nulla ars, nec ſcientia præſtantior debet judicari, quam Medicina.* 113
3. *Solvuntur objectiones primò propoſitæ.* 116
Reſ. VII. *Utrum Iuniorum quorundam noſtrorum in medicinam dicteria indigeant Cenſura Superiorum?* 117
§. 1. *Junioris cujuſdam, & aliorum Hiſpanorum notatur dicacitas in medicinam, & ejus profeſſores.* ibid.
2. *Calumniatores medicinæ noſtri temporis refelluntur* ibid.
3. *Solvuntur fundamenta Iunioris.* 119
Reſ. VIII. *Utrum Plinii, & vetuſtiorum aliorum dicacitas & dicteria obſtent medicinæ præſtantiæ?* 120
§. 1. *Plinii, Catonis, & aliorum dicteria proponuntur.* ibid.
2. *Plinii notatur dicacitas, convincitur mendacium.* 121
3. *Satisfacimus objectionibus adductis ex Plinio & Catone.* 123
Reſ. IX. *Utrum Conciliatoris dicacitates in medicinã minuant illius præſtantiam.* 124
§. 1. *Proponuntur dicacitates Conciliatoris & fundamenta illarum.* ibid.
2. *Aponenſis dicacitates infringuntur, medicinæ præſtantia tuetur.* 125
3. *Solvuntur fundamenta à Conciliatore propoſita.* 126
Reſ. X. *Utrum obſtet medicinæ præſtantiæ uti aliquibus rebus ſordidis pro hominum ſalute.* 127
§. 1. *Proponitur pars affirmativa cum ſuis fundamentis.* ibid.

Digitized by Google

2. *Tuetur medicinæ dogmaticæ præſtantia à ſuis obtrectatoribus.* ibid.
3. *Solvuntur propoſita primò dubitandi rationes.* 129
Reſ. XI. *Utrum obſtet præſtantia medicinæ, quod ſit Religioni contraria.* ibid.
§. 1. *Proponitur affirmativa pars & fulcitur.* ibid.
2. *Medicina nullis ſe opponit præceptis Eccleſiæ.* ibid.
3. *Solvuntur rationes dubitandi primò poſitæ.* 130.
Reſ. XII. *Utrum facetiæ & dicacitates vulgares imminuant medicinæ præſtantiam.* ibidem.
§. 1. *Facetiæ in medicinam procaceſq; dicacitates rejiciuntur.* ibid.

SECTIO IV.
De eis, quæ pertinent ad Medicum Dogmaticum.
Resolutio I.

Utrum Dogmaticus Medicus quam maximè debeat eſſe divini Numinis Cultor. 134
§. 1. *Proponitur ſtatus difficultatis, communiſq; Dei cognitio.* ibid.
2. *Medicis præcipuè competit Dei cultus* ibid.
Reſ. II. *Vtrum veſtis & ornatus ſit medico habenda cura?* 136
§. 1. *Pars negativa plurium authoritate fulcitur.* ibid.
2. *Proponitur ornatus Medicis in veſtibus neceſſarius.* ibid.
3. *Solvuntur quæ primò adducuntur authoritates* 137
Reſ. III. *Vtrum ornatus ex capillis, barba prolixè nutrita, & ex annuli geſtatione ſit Medico decens?* ibid.
§. 1. *Negativa pars aliquibus fulcitur fundamentis.* ibid.
2. *Qualiter Medicis deceat pro ornatu capillorum barbæ & annulorum uſus.* 138
3. *Propoſita in contrarium nihil convincere oſtenditur.* 140
Reſ. IV. *Vtrum ſit Medico neceſſarius ornatus virtutis?* ibid.
§. 1. *Traditur, quid ſit virtus, & de qua dubitamus præcipuè.* ibid.
2. *Medico neceſſarius ornatus proponitur.* 141
3. *Solvuntur rationes dubitandi primò adducta.* 143
Reſ. V. *Utrum impoſtorum, & perditorum hominum variæ ſortes apud vulgus Medici perſonam agant?* ibid.
§. 1. *Proponuntur rationes negativam partem ſuadentes.* ibid.
2. *Plures omni tempore egiſſe medicorum perſonas proponitur.* ibid.
3. *Solvuntur primò poſita dubitandi rationes* 145
Reſ. VI. *Utrum Medicus dogmaticus debeat uti cautelis?* 146
§. 1. *Pars negativa ſuadetur, & fulcitur.* ibid.
2. *Pars affirmativa præfertur Doctiſſimorum aſſenſu.* 147
3. *Solvuntur rationes in principio poſitæ.* ibidem.
Reſ. VII. *Utrum Dogmaticus Medicus teneatur curare deploratos?* 148
§. 1. *Proponitur hujus difficultatis opinionum ratio.* ibid.
2. *In omninò deſperatis quid agendum? proponitur.* ibid.
3. *Morbi quorum implicat curatio, qualiter à medico poſſunt attingi?* 149
4. *Pro morbis communiter deſperatis quid agendum.* ibid.

Digitized by Google

Reſ. VIII. *Vtrum omnibus non deploratis debeat medicus præſtare opem?* 151
§. 1. *Proponuntur plures, quibus videtur quod medicus non tenetur opem conferre.* ibid.
2. *Quid tenendum, variis determinatur decretis.*
3. *Solvuntur rationes primò poſitæ in contrarium.* 154
Reſ. IX. *Vtrum medico liceat recipere mercedem pro curandis morbis.* ibid.
§ 1. *Pars negativa quibus placet, & ejus fundamenta.* ibid.
2. *Medici non debent mercedem petere.* 155
3. *Quale præmium decet medicos.* ibid.
4. *Quibus medicis debetur honorarium ex jure?* 157
5. *Solvuntur rationes primo propoſitæ.* 158
Reſ. X. *Liceatne Medico dogmatico ſanitatis cauſa ægrum fallere & mentiri* ibid.
§. 1. *Pars negativa pluribus fulcitur fundamentis.* ibid.
2. *Qualiter medicis pro ægris liceat fallere aut mentiri.* 159
3. *Solvũtur fundamẽta in principio poſita.* 160
Reſ XI. *Vtrum medicus dogmaticus debeat uti aſtronomia ſeu aſtrologia?* 161
§. 1. *Proponitur Aſtrologorum & Chaldæorum opinio.* ibid.
2. *Aſtrorum neceſſaria operatio non facit quod Medicus indigeat aſtronomia aut aſtrologia.* 162
3. *Aliqua in Aſtronomiam animadverſio requiritur in medicina.* ibid.
4. *In cura urgentiori minus apparet utilis aſtronomia.* 164
5. *Solvuntur fundamenta eorum, qui actiones inferiorum de aſtris tenent neceſſitate provenire.* 165
Reſ. XII. *Vtrum medici munus ſit morbos præcavere.* ibid.
§. 1. *Pars negativa aliquibus fulcitur fundamentis.* ibid.
2. *Medicus non poteſt non aggredi præcautionem morborum.* 166
3. *Solvũtur fundamẽta contrariæ opinionis.* 167

SECTIO V.
De correctione vulgi errorum in Medicinam qui communiores ſunt.

RESOLUTIO I.

U*Trum lapis Bezoar quibuſlibet poſſit ſemper offerri à vulgaribus ſine errore?* 168
§. 1. *Vulgi error in illo unicuiq; offerendo proponitur.* ibid.
2. *Error eſt vulgaris communis modus utendi indifferenter lapide Bezaar.* 169
3. *Solvuntur rationes ſuadentes ad hunc errorem.* 174
Reſ. II. *An errent vulgares, qui viperas conantur excludere ab uſu medicinæ?* 175
§. 1. *Proponitur, quod vipera nequeat eſſe ex uſu Medicis.* ibid.
2. *Proponuntur angues qui ſuctu & lambendo morbos ſanare poſſunt, & uſus medicamenti ad extra.* ibid.
3. *Viperæ adintus ſumptæ poſſunt prodeſſe homini.* 177
4. *Pro paſtillis viperinis nulla panis quantitas petit determinari.* ibid.
5. *In pulveribus viperinis pro hypochondriacis communis uſus eſt error.* 179
6. *Solvuntur dubitandi rationes primò adducta.* 180
Reſ. III. *An errent vulgares, qui omnes febres longas contendunt curari amuletis, vel appropriatis ibi medicamentis in omnibus ſubjectis.* 181
§. 1. *Pro-*

Digitized by Google

§. 1. *Proponitur fundamentum vulgaris erroris* ibid.
2. *Communis error in uſu horum medicamentorum corrigitur.* 184
3. *Solvuntur rationes vulgaribus faventes.* ibidem.
Reſ. IV. *An errent, qui pro febribus utuntur pulvere de Quarango?* ibid.
§ 1. *Quo fundamento ii pulveres rejiciantur qui tales dicantur?* ibid.
2. *Qualiter hujuſmodi pulveres ſint admittendi proponitur.* 185
3. *Solvitur fundamentum vulgarium.* 187
Reſ. V. *Utrum errent, qui ſudorifica in declinatione febrium chronicarum excludũt ab ordine febrifugiorum, & in aliis temporibus?* 188
§. 1. *Proponitur vulgarium opinio, & fundamentum.* ibid.
2. *Pro acutis febribus conferunt moventia ad cutem, & ſudorifica.* 189
3. *In longis febribus tendentibus ad declinationem ſudorifica admittuntur.* 190
4. *Solvuntur vulgaris opinionis fundamenta.* 191
Reſ. VI. *An errent, qui aliqua ſudorifica exhibent in morbillis, & febribus malignis erumpentibus maculis?* 192
§. 1. *Pars affirmativa vulgariter recepta cenſetur.* ibid.
2. *Sylvatici præfertur opinio in vulgares.* ibid.
3. *Solvuntur fundamenta vulgarium.* 193
Reſ. VII. *An errent, qui munditiem negant ægrotis?* 194
§. 1. *Vulgaris proponitur aſſenſus & fundamenta.* ibid.
2. *Munditiesnon deneganda ægrotis in febribus acutis.* ibid.
3. *Solvuntur vulgarium præcepta poſita in principio.* 196
Reſ. VIII *An errent, qui prægnantiam evidentibus ſignis cognoſci tenent?* ibid.
§. 1. *Cagnoli & vulgarium proponitur opinio, & ratio.* ibid.
2. *Communis ſancitur opinio authoritate & ratione demonſtranda.* 192
3. *Ex quibus ſignis probabiliter oſtendatur prægnantia?* 200
Reſ. IX. *Qualiter errent vulgares, qui conſtanter defendunt dari certa ſigna, quæ evidenter demonſtrent virginitatem.* 201
§. 1. *Virginitatem poſſe aliquibus ſignis cognoſci proponitur.* ibid.
2. *Quid ſentiendum ſit de ſignis communioribus virginitatis.* 203
3. *Coarctationis ſignum non demonſtrat virginitatem.* 205
4. *Quid de cruentatione, & dolore aſpero in primo concubitu ſentiendum.* ibid.
5. *Eugium ſive caruncula, quæ hymen vocatur, quid comprobet?* 208
6. *Quantum fidendum depoſitionibus Obſtetricum pro virginitate atteſtanda.* 208
7. *Qualis cognitio virginitatis in mulieribus poſſit haberi.* 209
Reſ. X. *An errent Uroſcopi qui ex lotio omnes morbos & prægnantiam ac interiora profitentur cognoſcere?* 210
§. 1. *Uroſcoporũ opinio apud vulgares recepta cenſetur.* ibid.
2. *Uroſcoporum inſcitia patefit, & fallacia.* 212
3. *Prægnantiæ ſignum certum nequit eſſe lotium.* 213
4. *Solvuntur, quæ proponuntur in principio.* 214
Reſ. XI. *An errent qui ex ſignis ſalubribus omnes morbos judicant eſſe ſalubres.* 215.
§. 1. *Ex ſalubribus ſignis ſemper apparere ſecuritatem ſuadetur.* ibid.

2. *Falla-*

Digitized by Google

DOCT. MED. D. GASPARI BRAVO DE SOBRE-MONTE RAMIREZ

DISPUTATIO APOLOGETICA

PRO DOGMATICÆ MEDICINÆ PRÆSTANTIA, & omnium Scientiarum & Artium dignitate, ex omnigenæ Litteraturæ decretis.

PROLEGOMENON.

N*On noſtras contendo tueri partes, non noſtra Scripta libera reddere à legentium cenſura; nam ut rectè cecinit Oven:*

Qui legis iſta, tuam reprehendo, ſi mea laudas
Omnia, ſtultitiam; Si nihil, invidiam.

Sed contendo demonſtrare Dogmaticæ Medicinæ inter omnes ſcientias & artes dignitatem ac præſtantiam, à quâ temporum lapſu diſcedere videtur; Ut enim protulit Joannes Auverius; Neſcio quo fato medicina, quæ per multos annos ſummo ſemper in honore floruerat, ejuſq; majeſtatis antiqua decor, ſtante hominum probitate viguerat; nunc in ſquallore obſita, ſplendore nobilitatis obſcurato quaſi conſeneſcens, & ſolo

antiquæ ſalubritatis nomine ſæpè curans, à priſtino ſtatu deſcivit. Idq́, multorum ex ſuis alumnis, impietate, avaritiâ, invidiâ, mutuo calumniantium livore; Miniſtrorum audaciâ, & temeritate, Circumforaneorum myrothechijs, Ciniſlonum Pyrotechnijs. Multorum improbâ, illicitâ, & ſuperſtitioſâ curandi ratione miſerè ludificatur. Hujus communem aliqui tradidère cauſam ex Stoïcis: quia certæ ſunt, & ſtatæ periodi rerum, provenientes ex definitis Aſtrorum poſitionibus; Sed alia verior apparet ratio, nempè, quòd nemo immunis evadit à calumniantium detractionibus; quia ut refert Stob ex Plauto, & tenet Hippias, Calumniæ, licet ſit res graviſſima, nulla pœna impoſita: *Ideò omnis tulit ætas, nullum utcunque Præclarum vixiſſe ſine calumniatoribus. Ob invidum furorem Zeilus inſanivit in Homerum Poëtarum maximum: Adrianus Imperator in Trajanum Imperatorum præſtantiſſimum: Ajax in Telamonium: Didamus, & Salluſtius in Ciceronem: Rheminus in Varronem: Babius, & Mœnius in Virgilium: Catulus in Siconium. Nec divinus Hippocrates Medicorum Coryphæus, licet cunctis liberè opem tulerit, & dignus fuerit judicatus à Græcis, ut tanquam Deus coleretur, liber tamen à calumniis evadere valuit: ipſe enim conqueritur,* epiſtola ad Democritum, *dicens:* In Arte medica quæ rectè fiunt, vulgus non laudat, ſæpè verò Diis attribuit: At ſi in aliquo repugnans natura, eum, qui curatur, interimit, numen prætermittens, Medicos accuſat, & ego ſanè plus reprehenſionis, quàm honoris (quamvis jam ſenex) in arte ſum conſequutus. *Nec ipſa ſcientia medicina cunctis benefica, valuit à calumniatoribus liberari, vel propter ingratitudinem, vel propter invidiam ut tenet Democritus, in epiſtola ad Hippocratem, dicens:* In Arte tuâ multa per invidiam, aut ingratitudinem ægrorum affici contumelia ſuſpicor, qui ſimul, ut ſervati ſunt, cauſam Diis, fortunæ, vel ſuæ naturæ tribuunt: ſicque benemerentem odio proſequntur, & ſi ei operam debeant, parum abeſt, quin indignentur. *Plinius garrulus medicinam contempſit, ſicut & cunctas alias ſcientias, & artes, in quem fertur Fileſac Theologus Pariſienſis, qui illius nugas confutat,* lib. 2. Select. *inaneſque conatus in medicinam, & medicos ruentes. Poëtæ comici medicinam, & ſuos Profeſſores inſectantur dicteriis, ſunt ij mancipia hiſtrionum, & viliſſimæ vulgi ſcurræ: eſt enim ſcurrilitas, ut tenet Divus Thomas* 2. 2. q. 118. art.. ...) dicacitas, quæ neque locum, neque tempus, nec perſonas reſpicit, ſed impudenter effutit, quæ ſtultis riſum, ſapientibus dolorem excitant. *Hanc ij profitentur ob inopiam, fiuntq́, inter lenones primi cum maximo pudicitiæ incommodo. Inſipientes eam contemnunt, quia imprudentes; inquit enim ſacra pagina,* lib. Eccl. Creavit Altiſſimus medicinam de terra, & vir prudens non abhorrebit eam, *quaſi firmans regulam in contrarium, quod abhorrebant eam imprudentes. Alii inſectantur medicinam, odioq́, proſequuntur: quia impotens eſt omnibus ſanitatem conferre, quos inſanos vocat Hippocrates,* lib de Arte, *dicens:* Si quis vim artificis, in iis quæ non profitetur, aut naturæ in iis, quæ apta non eſt, exigat, is inſanus eſt. Quorumcunque enim vel naturæ vel artis inſtrumentorum facultatem obtinemus: per ea operari poſſumus, per alia non item: Sic qui afficitur morbo vehementiori, quàm ſunt inſtrumenta medicinæ,

ſpera-

Digitized by Google

ſperare non oportet, ut à medicina juvetur. *Qua commotus ratione, priùs dixerat quod ſit medici munus*, medici (*inquit*) eſt vehementes morborum impetus tundere, ſanabiles curare, inſanabiles non attingere. *Juris Profeſſores aliqui plura opponunt medicinæ, in quos fertur Ammianus* lib. 3. *qui poſt plura alia concludit*. Totam controverſiam componit Ulpianus: quia medici (*inquit*) ſalutem hominum agunt & ideò liberalium Artium Profeſſoribus ſunt anteponendi. *Horum omnium calumnias debellare conati ſunt Tiraquellus*, lib. de nobilit. cap. 30. *Canonherius* tom. 1. Aphoriſm. *Joannes Baptiſta Pelegrinus*, lib. adverſus medicinæ, & Philoſophiæ calumniatores, *Julius Alexandrinus*, lib. de medicina, & medico. *Merola* lib. de Republ. Origin. *Zachias*, tom 1. quæſt. Medicolegal. Diſput. de præcedentia inter medicos, & Jurisprofeſſores; *quibus adhærent Joannes Abrans, Benedictus à Caſtro, Raymundus Plant, Hippolytus Obicius, Gaſpar Areyes, Alſtedius, & alij: ſub quorum doctrinis conabimur in hac diſputatione Dogmaticæ medicinæ inter cunctas ſcientias, & artes, ſancire dignitatem & præſtantiam.*

DISPUTATIO

Digitized by Google

DISPUTATIO APOLOGETICA,

Pro Dogmatica Medicina præſtantia inter omnes Scientias, & Artes.

HIPPOCRATES, *libro de lege* ſancivit, *Medicinam omnium Artium præclariſſimam eſſe* : Hanc nos contendimus fulcire doctrinam, ſupponentes, quòd non loquimur de Arte prout Scientiæ opponitur, & prout eſt habitus operativus, de quâ dicit Ariſtoteles, *lib.* 12. *Metaph.* quod eſt *principium agendi in aliud*; & *lib.* 6. *Ethicor.* quòd *eſt habitus faciendi verâ cum ratione*; Sed loquimur de Arte cum Ariſtotele, *lib.* 1. *Metaph. cap.* 5. prout Ars ſe extendit ad habitus Practicos, & ſcientificos: In quâ acceptione Hippocrates accepit artem *lib de lege*, & nos *tom.* 1. *p.* 1. *Reſolut. Medicar. ſect.* 1. Igitur juxta hanc acceptionem, diviſimus illam in doctrinalem & Mechanicam: Ars Mechanica manualis, Sellularia, illiberalis, ſervilis, & ſordida, ſolet ab aliquibus vocari, ut tenet Alſtedius, *tom.* 3 *Encyclop.* qui non liberalem vocari tenet: Quia Romæ prohibebatur liberis hominibus; Sed falſo nititur fundamento, cùm ſub illâ ſint Ars Militaris, & Agricultura, quas & liberi, & nobiliores profitebantur.

Dividitur Ars Mechanica, in Lanificiam, Militarem, Agriculturam, Nauticam, Nemorariam, Fabrilem, & Medicinam ad miniſtros Medicinæ pertinentem: Sub ijs generibus innumeræ ſunt aliæ Artes Mechanicæ. Ars doctrinalis, alia dicitur liberalis, quæ ſeptem etiam Artes liberales ſub ſe continet, nimirum Grammaticam, Rhetoricam, & Logicam, quæ ſermocionales dicuntur; & quatuor Mathematicas, Muſicam, Aritmethicam, Geometriam, & Aſtronomiam. Alia dicitur doctrinalis ſcientifica, quæ ſeptem hujuſmodi complectitur Artes, tres Morales dictas, Ethicam, Oeconomicam, & Politicam: duas naturales, Phyſicam, & Medicinam: duas quaſi Divinas, Metephyſicam, & Theologiam. In hac Artis latâ acceptione, & diviſione conſtat de loco, quem obtinet Medicina Dogmatica Rationalis Architectonica, quæ ſub ſcientiis naturalibus conſtituitur. Conabimur eam ſub ſua dignitate tueri, & de ejus præſtantia inter omnes artes diſputare.

SECTIO I.

De Dogmatica Medicina natura; & aliarum Medicinæ acceptionum diverſitate.

ANALOGA, & diverſa Medicinæ acceptio, varias Medicinæ, & Medicorum

rum complectitur ſortes à verâ Medicinâ omninò diverſas; quibus rejectis, de verâ diſputabimus Medicinâ, juxta illius veram ac propriam acceptionem, veram proponemus ideam, ut ex illâ deducamus illius eximiam præſtantiam, & inter omnes Artes, & Scientias dignitatem.

RESOLVTIO I.

Quot ſint Medicinæ acceptiones; & quod illius proprium ſignificatum ſimpliciter ſumptæ?

§. I.

Aliqui Medici ſeipſos Mulomedicinarios fecerunt.

MEdicinæ nomen propriè ſumptum conantur Recentiores quidam non ſolùm extendere ad Artem Curatricem hominum, ſed æque ad Veterinariam Artem aſinorum Curatricem, ad Paſtoralem Curatricem aliorum brutorum, ad Curatricem herbarum, & reliquorum mixtorum; Sic Gaſpar Triſtan, *libro de Clerico Medico*, conatur deducere ex Ariſtotele, quem non intellexit; & Plempius Fortunatus conatur deducere ex aliquibus citatis à Mercato, diſcedens ab illo; Sed turpiùs id conatur ſvadere Primoroſius hunc errorem ſibi adſcribens, & tanquam verus Veterinarius illum conatur variis fulcire cavillationibus. Tùm quia Sanitas eſt finis Medicinæ; & cum Sanitas accidat non ſolo homini, ſed etiam & brutis, plantis, & mixtis, Medicina æquè ſumitur pro Medicatrice horum omnium Arte. Tùm ſecundò: quia Sanitas dicitur à Medendo, & ideò debet ſignificare per ſe primò omnem medendi actionem, quæ pro ijs omnibus eſt communis. Tùm tertiò: quia nihil habet hominum Medicina proprium, quod non ſit commune Veterinariæ Arti, & ideò Antiqui Veterinarii Scriptores eiſdem ac alii Medici utebantur remediis. Tùm quartò: Ariſtoteles *libr.* 4. *Metaphyſic.* 2. Unius generis unam docet eſſe Scientiam, & ideò pro omni ente conſtituit communem Scientiam eſſe Metaphyſicam. Ex quo infertur; Unam Scientiam debere conſtitui Medicinam pro omni curabilium genere. Tum quintò: Medicinæ definitio ex Galeno adducta, inſinuat, quòd ſit ſcientia Salubrium, Inſalubrium, & neutrorum, ſicut ſe extendit ad Medicinam oculorum, aurium, & reliquarum corporis partium per ſe primò; Similiter ſe extendit ad Medicinam brutorum, plantarum, & mixtorum, & conſequenter æquè primò illorum curatrices Artes amplectitur.

§. II.

Æquivoca proponitur medicinæ acceptio ad plures res quæ dicuntur mederi.

REſolvendum primò: quòd Medicinæ nomen eſt analogum, & ſignificat plures res quæ dicuntur mederi.

Probatur: Analogum eſt illud, quod ſignificat plura, quæ ſolo nomine conveniunt, ſine eo quòd conveniant in aliqua ratione communi ſignificata per illud, ſed tantum ſecundum aliquam proportionem: Sed plura ſub nomine Medicinæ hoc tan-

rummodò ſignificantur, ergò eſt Analogum ad illa; Probatur minor; nam Medicina, quæ ut tenet Nicol. Florentinus, dicitur à medendo corpora viventia pro impropria rerum medela, juxta varias acceptiones ſumitur. Tum etiam: nam vulgare eſt, quòd ſumatur pro reditu cujuſvis rei ad amiſſam quamcunq; perfectionem: Sic in rebus deſperatis dicimus, quòd mederi non poſſunt. Tùm medicina ſumitur pro regia poteſtate, incumbit enim ei languores Reipublicæ curare, aut neceſſitates præcavere: Sic Iſaias *cap.* 3. inquit: *Non ſum Medicus, noli me conſtituere regem*: id eſt, non ſum potens curare populi languores;& *Judic* 5. de Dynaſta qui Medeæ Rex factus eſt; conſtat, quod potitus regno, voluit Artaphax nominari, id eſt Medicus, quaſi Regni & Reipublicæ ſalutis inſtaurator. Caſſiodorus *lib.* 10. *ep.* 17. pro Theodato Rege inquit. *Scimus enim pro Medico nos datos eſſe cunctorum, non deſinemus ſanare ſubjectos*: & Job 3. *v.* 5. *Vos eſtis Medici juſti, & curatores malorum.* Nazianzenus dicit D. Baſilium curaſſe ſibi ſubditos, & ſubjectos, inquit enim: *Eos, qui ab ipſo deſiderabant, emollit, ac ſublimis excelſa medicinæ rationibus curat.* Tùm ſumitur medicina, ut tenet Pater Jordan *in lib. Theoria medicinæ Divi Thomæ*, non pro actu medendi, aut curatrice arte, ſed pro ipſis medicinis, quibus medicus utitur; ſic communiter ſolet dici, Pharmacopolam bonam aut malam habere medicinam. Tùm etiam ſumitur medicina pro uſu medendi Pſeudomedicorum, qui abuſiva tantum & erronea medicina utuntur, tamen ob illam medici judicantur apud vulgares; qui igitur medici finguntur, varii ſunt juxta ſequens dogma Poëticum:

Fingit ſe Medicũ quiſquis Idiota profanus,
Judæus, Monachus, Hiſtrio, Raſor, Anus

Ex quibus convincitur, quod medicina ſe extendit ad ſignificanda plura, quæ ſub ratione communi medendi, nullâ ratione communi conveniunt, ſed tantum ſecundum aliquam ſimilitudinem.

§. III.

Medicina ad mixtorum curationem analogicè tantum extenditur.

Reſolvendum ſecundò: quod medicina, prout ſe extendit ad ſignificandam mixtorum medicinam, ſeu artem conſervatricem, nomen eſt analogum.

Probatur: Medicina propriè ſumpta, eſt ars morborum curatrix & conſervatrix ſanitatis; ſed mixta nec poſſunt pati morbos, nec ſanitatem habere; nam ut docet Galenus, *lib. de morborum different.* Sanitas & morbus ſunt paſſiones viventis; Sanitas enim eſt diſpoſitio naturalis, qua actiones viventis naturaliter fiunt: morbus eſt diſpoſitio lædens operationes viventis; Ergò ars medicatrix mixtorum, in quibus ſanitas & morbus reperiri non poſſunt, analogicè tantum convenit cum medicatrice arte, quæ verſatur circa ſanitatem & morbum viventium.

***

§. IV.

§. IV.

Medicina genericè ſumpta quibus adaptatur?

Reſolvendum tertiò: quod medicina genericè ſumpta poteſt largo modo adaptari Arti curatrici omnium viventium generis.

Probatur: Curatrix medicina verſatur circa ſanitatem & morbum, quæ ut diximus exGaleno ſunt proprietates vivorum, ſeu affectiones per quas actiones vitales ſanæ aut læſæ eliciuntur; ſed ex Ariſtotele, *lib. 2. de anima,* triplex eſt vivens, ſenſitivum, vegetativum, & rationale; ergò medicina largo modo ſumpta ſe poteſt extendere ad artes curatrices horum omniũ viventium.

§. V.

Per medicinam ſine addito, & ſimpliciter dictam, qualis ars curatrix intelligatur.

Reſolvendum quartò: quòd per medicinam ſimpliciter, & ſine addito aliquo dictam, ſolum intelligitur medicina hominum curatrix.

Probatur ex communi Logicorum, & Metaphyſicorum doctrinâ, qui fatentur quòd Analogum,& quodvis nomen,quod ſimpliciter prolatum eſt; ſtat pro famoſiori ſignificato,ſed medicina hominis curatrix inter reliquas curatrices artes eſt principalior; nam artes ſpecificantur à ſubjecto, & homo reliquis præfertur, niſi aliquis irrationalis contrarium tueatur; ergò per medicinam ſimpliciter, & ſine addito dictam, ſola curatrix hominis medicina intelligitur.

Probatur ſecundò ex communi omnium rationalium conſenſu, qui ſi de medicina ſine addito loquantur, ſolum intelligunt medicinam hominum curatricem, ſicut per medicum intelligunt, qui illam profitetur. Tùm conſtat ex omnibus medicis, qui ſcripſerunt de medicina, qui ſolum de curatrice hominis agunt. Tùm patet ex medicinæ ſimpliciter ſumptæ definitione, quæ hominis curatrici Arti tantum accommodari poteſt. Tùm conſtat ex omnium artium Profeſſoribus, qui medicinam ſimpliciter ſumptam recipiunt, non ſolum tanquã proprium nomen curatricis Artis hominum, ſed tanquam unicum.

§. VI.

Solvuntur fundamenta ex Primoroſio adducta.

Ad rationes primo adductas reſpondetur: Tùm pro primò, quod probat, quod ſignificatum medicinæ poteſt extendi ad curatrices artes horum omnium, non tamen, quod ſi ſumatur ſine addito, & per ſe non ſignificet determinatam artem hominis curatricem: Sicut enim *canis* abſolutè ſumptus ſtat inter analoga pro famoſiori ſignificato, nempè pro *cane terreſtri*; & niſi determinetur prædictum nomen per aliquod epithetum nempè deſumptum à cœlo, vel ab Oceani conditione, non eſt cur Cœleſtem aut Marinum autumes in ſermone Logico, aut Philoſophico intelligendum eſſe. Tùm pro ſecundò: quòd ſanitas à medendo dicta, adhuc ſe extendit analogicè & largo modo ad alias res, quæ dicuntur mederi & ad Artes alias Medicatrices, ſed ſimpliciter ſumpta

Digitized by Google

ſumpta, non ſignificat, niſi artem hominis medicatricem, quæ eſt principalius ſignificatum, earumque ſunt artes medicatrices. Tum pro tertio: quòd hominum medicatrix ars, habet ſibi proprium, quòd ſit habitus ſcientificus à Deo Adamo infuſus ad ſalutem humanam adquirendam, & conſervandam, & habet ſibi proprium omnia præcepta dogmatica, quæ ad hominem curandum tradiderunt Hippocrates, Galenus, Avicenna, & reliqui claſſici Medici. Habet ſibi proprium quòd intra hæc præcepta claudatur; & ideò ad reliqua bruta, aliæ ſunt curatrices artes, quæ ab aliis artium aliarum Profeſſoribus exercentur à Veterinariis; à Paſtoribus; ab Hortorum cultoribus, & habet ſibi proprium, quod ſpecificatur ab homine, ut mobile ad ſanitatem. Tum pro quarto: quòd pro uno genere eſt una ſcientia generica, & univerſalis, qualis eſt Metaphyſica pro omni ente; ſed pro una ſpecie eſt una ſpecifica ſcientia, & ſic una eſt ſpecie curatrix medicina hominis: Si autem aliqui Medici ultra progredi contendunt, ut Primoroſius, & Plempius, & velint curare aſinos, & alia bruta, hoc non facient per artem hominis curatricem; Sed per alias artes curatrices brutorum: Sicut Galenus docet *lib. 6. Epidem.* agens de Medicis, qui exercent Miniſtrorum medicinæ Artes; Pro quibus adducit exemplum de Philippo Macedone, & Alexandro Magno, qui ſi aliquando haſtam vibrabant, aut enſe pugnabant, hoc non ut Imperatores, aut Reges exercebant, ſed ut milites. Tum pro quod medicinæ definitio convertitur cum arte curatrice hominis, quam definit, & ſub ſe comprehendit medicinam partialem omnium membrorum corporis humani; quia ſunt partes adintegrantes ſui objecti, non tamen comprehendit reliquas ſpecies eorum, quæ perunt curari per alias artes, quia non progreditur ultra propriū objectum, à quo ſpecificatur.

RESOLVTIO II.

Vtrùm medicina propriè ſumpta prout ars eſt hominis curatrix ſit idem habitus in omnibus curantibus hominem?

PRimoroſius refutans aliorum errores ſe reddit Veterinarium, Paſtorem, Agricolam, Chirurgum, Pharmacopolam, artis medicæ Miniſtrum, & quærens omnes ignominias, quæ tribui poſſent cunctis mechanicis artibus, ſe ipſum illis fatetur dignum, eo quòd artis medicæ ſit Profeſſor: ipſam enim artem medicinæ, quam profitebatur, quamque Hippocrates omnium artium docuit eſſe præſtantiſſimam, Primoroſius tamen mechanicam viliſſimā & indignam eſſe ut profiteatur à libero homine contendit, dignamque tali Profeſſore, & ut in hoc dedecore ſe illam exercuiſſe comprobet, omni conatu contendit probare, quòd habitus medicinæ dogmaticæ architectonicæ non eſt diſtinctus ab habitibus artium illiberalium miniſtrantium illi, ſed quia is inanis conatus oritur ex ſua inferiori ſorte, quā oppreſſus artem nobiliſſimam voluit minuere. Quid autem de illius habitus differentia ab habitibus miniſtrorum, ex nobilioribus Profeſſo-

Digitized by Google

feſſoribus dicendum ſit, proponam: quaſcunque enim Primoroſius ignominias ex aliis contendit tribuere medicinæ, & illius Profeſſoribus, ſi cui tribuendæ, ipſi, quia illis ſe dignum judicat, & artis Miniſtris debent tribui. Dicuntur enim Medici, qui artem hominis curatricem profitentur, hominem curant Medici Architectonici, imperantes & docentes remedia utilia: modum & occaſionem exequendi: curant etiam artis Miniſtri opera exequentes, & exercentes, quæ Architectonicis viſa ſunt utilia. Dubitatur igitur: An conſtituantur Medici per eundem habitum medicinæ ii omnes?

Reſolvendum: Quod Medici Architectonici conſtituuntur Medici per habitum ſcientificum: Miniſtri verò per habitum practicum. Probatur primò ex artium diviſione adducta, ex qua conſtat medicinam poni ſub artibus Mechanicis tanquam earum ſpeciem: ſimul & medicinam poni ſub ſcientiis naturalibus, quod non eſſet poſsibile; niſi eſſent diverſi habitus, alter practicus Miniſtrorum artis: alter Architectonicus, & ſcientificus, cui deſerviunt reliqui.

Probatur ſecundò ex priſca veterum doctrina. Plato *in Dialogo de Regno*, docet: *nullum Architectonicum debere manuum miniſterio uti; ſed utentibus præſidere.* Ex quo patet: medicinam architectonicam diſtinctam eſſe à miniſtrorum habitibus, quibus apta eſt præſidere. Hippocrates, *epiſtola ad Cratevam*, & *in jurejurando*, committit manualem operationem miniſtris artis. Avenzoar *lib. 1. tract. 6. cap. 1.* hanc proponit doctrinam. §. *Et ſcias, quòd omnia iſta pertinent ad Medicum nobilem, & honoratum; ſed alias operationes manuum dimitte Miniſtris medicorum ſicut phlebotomia, & cauterium, & inciſio venarum.* Sed luculentius hæc doctrina traditur à Galeno *lib. 6. de morb. popul. comm. 5.* Ubi miniſteria harum artium & diverſitatem præfinit, dicens: *Medico multæ artes materias medicas præſtant, uti ipſi quoq; cum quibuſdam naturæ Miniſtris. Quæ enim inter Architectum, & ædificatores, lignarios & fabros & alios artifices, quibus præeſt eadem inter Medicos & ejus miniſtros eſt ratio. Sunt autem ii Herbarii, Unguentarii, Coqui, cataplaſmata efficientes, fomenta adhibentes, qui clyſteres infundunt, qui ſcarificant, aut venam ſcindunt, cucurbitulaſque affigunt. Quòd ſi nos & hæc didicerimus, & etiam faciamus, ſimiles erimus Gubernatori, qui & remigandi arte peritus ſit, & reliqua omnia nautarum obire munera, & ſciat & faciat. Etenim plerią; Imperatores arcu uti, jacula vibrare, gladio & haſta pugnare ſciunt, ſed non ut Rex aut Imperator erat Alexander Macedo, aut ejus Pater Philippus, hæc militaria munera obibat; Sed aliis quibuſdã artibus, quæ Imperatoriæ Regiæq; miniſtrant: Itaque nos etiam, quia Medici ſumus; cujuſque auxilii qualitatem, quantitatem, occaſionem, utendi modum novimus; ut Miniſtri verò venam ſcindimus, cucurbitulas affigimus, & reliqua manibus facimus. Quare Ars medicinalis dignitate Medicis antecellit, Medicus artibus miniſtrãtibus, Miniſtri aliis Artibus, inſtrumenta, materiaſq; præparantibus.*

RESOLVTIO III.

Vtrum dogmatica medicina ſit præſtantior reliquis medicinæ ſectis?

§. I.

Proponitur dubitandi ratio, & ejus fundamenta aperiuntur.

SUb Architectonica medicina, quæ ſuis inſiſtit principiis, ſtat dogmatica rationaliſve medicina, à qua diſcedentes aliqui Profeſſores, contenderunt ſectā Empiricam, Methodicam, & Paracelſiſticam, quæ dogmaticæ fuerunt hæreſes, rationali eſſe præſtantiores. Empirica Secta à ſuis Profeſſoribus præſtantior judicabatur, quia brevior, ſecurior, & experimentis confirmata erat. Illius enim Profeſſores ſolo experimento utebantur, & poſthabita indicatione ad ſyndromen, ſeu concurſum Symptomatum reſpiciebant, incognitâ causâ: morbos curabant utentes memoria, inſpectione, & hiſtoria, & tres ſpecies ſub hac ſecta artis obſervabant. Prima tendebat ad accidentia, dum inconſultò accidebant ad experiendum. Secunda Empirica ex propoſito dicebatur, dum ex admiſſo ex inſomniis, aut alterius operatione ducti aliquid experiebantur. Tertia imitatrix: dum ea, quæ alicui opem tulerant, proſequebantur, vel declinabant ea, quæ noxia erant. Plinius hanc Sectam reliquis antiquiorem credidit, inventamque fuiſſe ab Acrone, Agrigentino; Sed primus illius Author fuit Philinus Cous, qui diſceſſit à rationali medicina, ſumpta occaſione ab Herophilo, cujus fuit auditor, & odio illius tactus, reliquit eam quam profitebatur ſcientiam. Profeſſi ſunt illam Crito, Philiſtion, Menodotus, Serapion, Marcellus Empiricus, Leonellus Faventinus, Glaucias, Apollonius, Diodorus, & alii, qui ulterius præſtantiorem eſſe contendebant: quia à natura docetur, quæ à ſimilibus in ſimilia docet tranſire. Methodicæ ſectæ Profeſſores ipſam judicabant præſtantiorem, quia ſex menſium ſpatio poterat addiſci, & tribus tantum propoſitionibus abſolvebatur. Vocabant ipſam contemplatricem, methodumque dicebant eſſe eorum, quæ communia ſunt morbis. Hæc, contemptis ſignis, nec cauſis inſpectis, in duas communitates omnes morbos reducebat, laxum videlicet & adſtrictum, quibus ſuperaddebant inter hæc medium. Primus hujus ſectæ inventor fuit Themiſon Laodicæus Syrus, qui ſimiliter odio Aſclepiadis agitatus, diſceſſit à rationali Secta, quam primò profitebatur; his ſubſcripſit Theſſalus Medicorū impudentiſſimus, ut tenet Galenus; Sequuti ſunt illam Trallianus, Maſſæus, Antipater, Archigenes, Agatinus, Proclus, Olympiacus, Mileſius, Minemachus, Soranus & alii.

Secta Paracelſiſtica à Theophraſto Paracelſo fuit inventa, qui illi adjunxit Spagyricam artem, quæ pars eſt Pharmaceuticæ; & docet per ignem varia extrahere medicamenta; ſed antiquitus inventa eſt ab Hermete, ut tenet Alſtedius *tom.* 3. *Cyclop. lib.* 27. *c.* 152. qui artificioſa medicamentorum præparatione partem Pharmaceuticam auxit, & variis & magnificis remediis inſtruxit, & ideò ab Avicenna & aliis dogmaticis amplexa fuit. Paracelſus tamen ultra hanc partem Spagyricam à

Dæmo-

Digitized by Google

Dæmone inſtructus, nova ſuperaddidit dogmata: quod ſcilicet principia entis naturalis ſint tria: *Sal, Sulphur & Mercurium*, quòd tria ſunt genera morborum ex iis orta: quòd ſimilia ſimilibus curari petunt: hiſq; adjunxit impias plures propoſitiones, & tanquam efficacioribus remediis utentem contendebat ſuam Sectam anteponendam eſſe Dogmaticæ Medicinæ. Aliqui parum tuti in fide illi adhæſerunt. *Sed Spagyricam artem*, quam ſibi adjunxit, prius ſecuti ſunt Hermes Triſmegiſtus, Raymundus Lullius. *Poſtea verò* Quercetanus, Crollius, Beguinus, Hartman, Scroderus, Amyſinchet, & ante ipſum Avicenna, Rhaſis, Geberus, Villanova, Blemas, Bracerus, Morienus, Joannes Auguſtinus, & plures alii. *Poſt Paracelſum* Wanhelmont inconſtans fuit Profeſſor dogmaticæ medicinæ, à qua recedens, in Paracelſum abiit, nec ſtetit firmus ac permanens in ſuis doctrinis: nam tandem inſaniens, conatus eſt novam condere ſectam: evertens doctrinam *Ariſtotelicam*, & Galenicam, & neutrum inſequens, rationem morbi in Archæo deturbato ponit, ſeu in depravatione mentis: à Deo dicit ſibi Philoſophiam & Medicinam fuiſſe revelatam; & dum omnia Antiquorum remedia conatur evertere, pro hominum immortalitate & omnium morborum ſecura curatione contendit docere auxilium, illud dicit validum fore, ſi Deus efficaciter illi virtutem præſtet; *Sed hoc* ſuum miraculum nemo expertus fuit: In ſomnio gloriatur ſe medicinam recepiſſe; Unde inſanus evaſit Medicus, Somniator iſte.

§. II.

Dogmaticam medicinam eſſe reliquis præſtantiorem, ſancitur.

Reſolvendum. Quod medicina dogmatica eſt præſtantior reliquis medicinæ ſectis. Probatur primò: quia præſtantior eſt unaquæque ſcientia, quàm ſectæ, quæ diſcedunt ab illa, cùm hæ ſint illius hæreſes: *Sed* dogmatica medicina rationalis eſt ſcientia, ut ſtatim demonſtrabimus, reliquæ ſectæ ſunt hæreſes, ut tenet Beyerlinch; quarum Empiricam Philinus condidit, diſcedens à Dogmatica in odium Theophili: Methodicam Themiſon diſcedens ab eadem in odium Aſclepiadis: Paracelſus ex Dæmone ſuam ſectam didicit; qui à rationali etiam diſceſſit in odium Dei, à quo nobis fuit condonata: Ergò his de cauſis meritò dogmatica medicina præſtantior à doctiſſimis quibuſque viris, ac ſana ratione utentibus ducenda, ac judicanda eſt.

Probatur ſecundò: inter artes medendi hominem illa præſtantior debet haberi, cui convenit, quòd ſit ſcientia, & quòd demonſtrativè procedat, quòd Philoſophiæ ſit affinis, quæ inter naturales ſcientias locum habet; & ut talis à ſummo Deo fuit Adamo communicata in ſubſidium ſalutis humanæ; ſed hæc demonſtrabimus convenire dogmaticæ tantum medicinæ; Ergo ipſa eſt reliquis præſtantior.

Probatur tertiò: quia præſtantior eſt dicenda, quæ reliquas excedit in certitudine, & evidentia concluſionum, quæ deducuntur ex propriis, & neceſſariis principiis, & quæ latiſſimam tradit doctri-

Digitized by Google

nam ex illis deductam pro ſecura, certa & tuta curatione cujuſvis morbi. Sed talis eſt medicina dogmatica, ut infrà proponemus: & conſtat ex coarctatis reliquarum ſectarum principiis; Ergo eſt reliquis præſtantior.

Probatur quartò: Medicina rationalis naturæ rationem habet, philoſophiæ naturalis principiis fulcitur: cauſas morborum inquirit, & diſtinguit: partem affectam rimatur: ægri naturam, ætatem, temperiem, conſuetudinem, & ex iis omnibus indicationem ſumit: contra indicationes attendit; coindicationes admittit; nec ſolis indicationibus utitur; ſed analogiſmo, ratiocinio, & rationali experientia remedia quærit; quibus nulla alia ſecta utitur: Ergo eſt illis præſtantior.

Probatur quintò: Galenus *libro de Sectis* & *in libris Methodi*, empiricam & methodicam falſitatis convicit, rejecit, & in poſterum ab uſu relegavit. Paracelſiſtica, quæ illis eſt recentior, quà parte Spagyricam amplectitur dogmaticæ medicinæ eſt miniſtra tanquam altera pars Pharmaciæ; prout falſis nititur principiis, & impiis utitur remediis: à Sennerto, à Fontano, à nobis *in Reſolut. medicis*, & à reliquis junioribus ſatis manet refutata: Ergò reſtat, ut dogmatica medicina tanquam reliquis præſtantior ſit præferenda.

Ex quo patet: Quod reliquarum Sectarum Profeſſores nihil convincant, cùm fuerint jam eorum rationes à Galeno convictæ, & ipſæ ſint hæreſes eorum, quæ à dogmatica medicina receſſerunt in odium ſuorum Profeſſorum, & dogmatica ſit nobis à Deo communicata in ſubſidium ſalutis humanæ: & Empirica experimentis ſit fallax, cum ſine morborum & cauſarum cognitione ipſis abutatur: & methodica ſolas adducit communes rationes, quæ nequeunt appropriari unicuique individuo, cùm individua multum inter ſe differant in ætate, temperie, conſuetudine, ſexu, & aliis, ex quibus variatur curatio & remediorum uſus.

RESOLVTIO IV.

Quid ſit medicina hominis curatrix, & quid rei medicina dogmatica ſit?

§. I.

Medicinæ artus hominis curatricis proponuntur definitiones.

Reſolvendum. Quòd medicinæ, quæ eſt ars curatrix hominum variæ ſunt definitiones: Probatur: Ars hominis curatrix varias continet differentias, & conſequenter varias debet habere definitiones, cùm unicuique ſicut propria debetur eſſentia, debetur propria definitio. Unde cùm habitus practici conſtituentes medicinæ dogmaticæ miniſtros, ſint diverſi, eorum artes diverſo modo definiuntur. Chirurgia enim eſt ars curatrix hominis, quæ docet modum curandi per manualem operationem. Pharmacia eſt ars curatrix hominis, quæ docet modum ſeligendi medicamenta, præparandi, & miſcendi, & ſic reliquæ deſervientes artes definiuntur penes materiam, circa quam agunt, & circa modum operandi pro conſequenda ſanitate, juxta præſcriptum modum à medicina dogmatica. Reliquæ verò ſectæ juxta propria principia: Empirica eſt ars curatrix

ratrix hominis remediis inventis per ſimilitudinem & obſervationem : Methodica eſt ars curatrix hominis, remediis inventis per rationes communes & genericas: Paracelſiſtica eſt ars hominis curatrix per remedia, quæ opponuntur morbis ortis ex Sale, ſulphure, & Mercurio. Dogmatica medicina definitur ab Hippocrate per actiones, per quas ſanitatem conſequitur, quod ſit *adjectio & detractio.* Galenus definit per ſubjecta circa quæ operatur, quod ſit *ſcientia ſalubrium, inſalubrium & neutrorum*; Verſatur enim circa ſana corpora, conſervando ſanitatem : circa neutra præcavendo morbos: circa ægra morbos curando. Avicenna definit dogmaticam medicinam per ſuum objectum, ſeu per ordinem ad illud : *Quod eſt ſcientia, quâ humani corporis diſpoſitiones noſcuntur, ex qua parte ſanatur, vel ab eo removetur.*

§. II.

Nova à nobis ſancitur Dogmatica medicinæ definitio.

RESolvendum : Quòd Medicina Dogmatica, ſeu rationalis, *eſt ſcientia naturalis à Deo Adamo infuſa, & hominibus communicata in ſubſidiũ ſalutis eorum.* Hæc definitio in ſequentibus Reſolutionibus manifeſta fiet: In illâ, *ſcientia* ponitur loco generis, ſub quo non includuntur Artes mechanicæ, nec illiberales, ſed ſolum liberales doctrinales, inter quas cum ſcientiis collocatur : Particula *naturalis* excludit Artes doctrinales Morales, Oeconomicam, Politicam, & Ethicam, & Supernaturales, Metaphyſicam, & Theologiam; Per particulam *à Deo infuſa* excludit Sectas medicinæ, quæ adhuc ſi eſſent ſcientiæ, ſunt ab hominibus inventæ, Particula, *& hominibus communicata in ſubſidium ſalutis eorum,* excludit naturalem Philoſophiam, quæ aliud reſpicit objectum, explicatque formalem & ſpecificam rationem medicinæ dogmaticæ, ejuſque conſtitutivum per intrinſecum ordinem ad ſpecificativum objectum.

RESOLVTIO V.

Vtrùm medicina dogmatica ſit Scientia?

§. I.

Diſſentiendi proponitur ratio, & fundamenta aſſerentium non eſſe ſcientiam.

HAnc reſolutionem exagitavimus *p.* 1. *Reſol. Medic. Sect.* 1. quam hic proponimus ut neceſſariam pro definitionis fundamento. Antiquorum varius loquendi modus poſteriores reddidit ancipites. Hippocrates *lib. de lege, libro de arte, lib.* 1. *Aphoriſm.* Galenus *libro Artis medicinalis, libro de conſtitutione artis medicæ, lib.* 1. *Metaph. libr.* 6. *de morbis vulgaribus,* medicinam vocarunt artem : ſed Galenus *libro ſuaſorio ad artes*, illam appellat ſcientiam, *libro artis medicinalis*, definit eam per hoc quod ſit *Scientia.* Avicenna *Fen.* 1. 1. *doctrina* 1. etiam definit illam, quòd ſit *ſcientia:* Ex iis dicendi variis modis Juniores diſſentiunt inter ſe. Argenterius contendit, quòd *dogmatica medicina nec eſt vera ſcientia, nec vera ars.* Veiga, quòd eſt *vera ars, & vera ſcientia.* Conciliator, quòd in ſui inventione fuit ars, & nunc eſt ſcientia. Turiſanus, quòd ſecundum alias partes *eſt* ars,

Digitized by Google

Probatur tertiò à poſteriori ex D. Thoma : *Qui dat formam dat conſequentia ad formam*, & quidquid requiritur ad ejus perfectionem & conſervationem : & ideò dedit gravibus propenſionem, & motum ad centrum : levibus autem vim ut tenderent ſurſum. Vegetativis coaptatas potentias, ut attrahant ſimile, & expellant noxium : Animalibus perfectis concesſit æſtimativam, cujus ratione ovis proſequitur matrem, & fugit lupum. Et cunctis inſtinctũ naturalem elargitus eſt, quo utilia adinveniant pro ſanitate conſervanda, aut conſequenda: Ergo rationali ad ſui conſervationem debuit dare coaptatum inſtrumentum, ut cum intellectu adinveniret media conſervandi ſanitatem, & illã adquirendi: quod cùm pro intellectu nullum potuerit eſſe magis aptum, quàm ſcientia, quæ hoc doceret ; admittendum igitur eſt, in hunc finem fuiſſe illi à Deo communicatam medicinæ dogmaticæ ſcientiam, cujus beneficio hoc conſequi valeat.

Confirmatur ex Divo Thoma 1. *p. q.* 78. *art.* 3. Ubi docet : quòd Deus in inſtanti creationis dedit Adamo *omnes ſcientias naturales, in quibus homo natus eſt inſtrui* ; Sed natus eſt inſtrui in ſcientia, quæ ſit ſuę ſalutis conſervativa, qualis eſt medicina dogmatica ; ergo ut ſcientia illi fuit condonata.

Probatur quartò à Canonherio. Tum quia *libro artis curativæ cap.* 4. docetur, medicinam dogmaticam habere proprias demonſtrationes, à quibus non poteſt non generari ſcientia ; cùm hæc ex Ariſtotele *in libro Poſteriorum ſit habitus* adquiſitus per demonſtrationem. Tum quia dogmatica medicina docetur Methodo ſcientifica & ſcientifico ordine. Tum quia docet neceſſarios effectus cognoſcere per neceſſarias cauſas : *Eſt enim* (ex Ariſtotele) *ſcire rem per cauſas cognoſcere.* Tum quia habet certum objectum, cujus proprietates demonſtrat. Tum quia non impedit illi, ut ſit ſcientia, quòd deſcendat ad particularia, cùm non obſtet Philoſophiæ quæ ex demonſtratis concluſionibus deſcendit ad aliqua particularia: quod etiam contingit Theologiæ, Mathematicis, & aliis quibuslibet ſcientiis, quarum univerſale objectũ ſub ſe continet particularia, quæ ſecundariò reſpiciuntur ab unaquaque ſcientia, quæ per ſe reſpicit rationes communes. Tum quia nec obſtat, quominus ſit ſcientia, quòd habeat plures propoſitiones conjecturabiles ; nam Politica, quæ ut ſcientia ab omnibus recipitur, innumeras hujuſmodi propoſitiones habet. Philoſophia quoque plurimas, quæ tantum ſunt doctrinales : Ergo dogmatica medicina eſt ſcientia.

§. III.

Solvuntur rationes dubitandi à principio poſitæ.

Ad rationes dubitandi dicimus. Tum pro prima: quòd (ut conſtat ex dictis in principio ſectionis) ars lato modo ſumpta, eſt quid ſuperius ad Artem ſtrictè ſumptam, & ad ſcientiam, ita ut dogmaticæ medicinæ genus proximum ſit ſcientia, remotum verò ars ; & ideò aliquando artem, aliquando ſcientiam ipſam vocabant; non autem ſtrictè ſumptam ; niſi loquantur de medicina, quæ eſt habitus Miniſtrorum ; ii enim largo modo Medici poſſunt

Digitized by Google

poſſunt dici, & inter artes Mechanicas ponuntur. Tum pro ſecunda: quòd medicinæ dogmaticæ convenit ſpeculari modum faciendi, & occaſionem modo ſcientifico; ſicut Architectus ſpeculatur domum faciendam. Sed facere recta cum ratione competit Miniſtris Artis, & horum habitus eſt ars diffinita ab Ariſtotele. Tum pro tertia: quod medicina dogmatica per ſe de neceſſariis, & univerſalibus agit; Secundariò verò de ſingularibus, circa quæ miniſtri exercent demonſtrata à dogmatica medicina; exercetur enim hæc circa Calliam & Socratem, quod eſt commune reliquis ſcientiis. Tum pro quarta: quòd habet dogmatica medicina demonſtrationes ſcientificas, per quas ſcientia generatur; licet habeat alias conjecturales: quia omni ſcientiæ eſt commune, quòd non omnia, quæ de ſuo objecto tractantur, demonſtrentur; ſed plura opinativè, & conjecturaliter tantum adipiſcantur. Et ideò Politica, Theologia, Metaphyſica & Phyſica innumeras habent propoſitiones probabiles, circa quas Profeſſores diſſentiunt. Tum pro quinta: quod agendum demonſtrat dogmatica medicina, ſcilicet, quod *contraria contrariis curantur*: & modum agendi & occaſionem; Sed remedia contraria adinvenit uſu & experientia ac imitatione; quia non omnes contrarietates rerum poſſunt adinveniri per demonſtrationem; nec antipathiæ & ſympathiæ rerum, quas naturalis animalium adinvenit inſtinctus, uſus, experientia & imitatio.

RESOLVTIO VI.

Vtrum dogmatica medicina ſit ſcientia naturalis?

§. I.

Proponitur occaſio hujus reſolutionis.

Docuimus dogmaticam medicinam eſſe ſcientiam in definitione, quod etiam demonſtravimus nuper: nunc reſtat examinare, qualis inter reliquas ſcientias ſit admittenda?

§. II.

Inter ſcientias naturales dogmaticam ponimus medicinam Architectonicam.

Reſolvendum. Quod dogmatica medicina eſt ponenda inter ſcientias naturales. Probatur: Omnes fatentur medicinam eſſe artem. Ergò ſub aliqua illius differentia; Sed non inter ſeptem artes mechanicas, quia inter illas ponitur medicina operatrix, & miniſtra dogmaticæ architectonicæ, quæ non ars, ſed ſcientia eſt, ut demonſtravimus. Nec ponitur inter ſeptem artes liberales; cùm nulla ſit ex tribus ſermocionalibus; Nec ex quatuor mathematicis, ut unicuique patet. Reſtat ergò, ut ponatur inter liberales artes doctrinales, & ſcientificas, inter quas conſtat, quod non ſit politica; Nec œconomica; nec Ethica, cùm non habeat pro fine domum, civitatem aut regnum gubernare. Reſtat igitur, ut ſit ſcientia inter naturales, & quòd de ente naturali agat, non in communi, & ut mobile, ſed de homine

mine in particulari, ut eſt mobile ad ſanitatem: Ergò neceſſe eſt ipſam ponere inter ſcientias naturales.

RESOLVTIO VII.

Vtrùm Medicina dogmatica ſit Scientia ſpeculativa?

§. I.

Communis opinio practicam conſtituit dogmaticam medicinam.

MEchanici Scriptores, qui medicinam dogmaticam contendunt eſſe artem mechanicam, ipſam artem practicam fateri debent, ſicut & nos fatemur medicinam artium miniſtrantium illi, quæ continentur ſub artibus mechanicis, eſſe practicam: Speci ficantur enim eorum habitus conſtitutivi per praxim. De medicina dogmatica, quæ Architectonica, & Imperatrix eſt eorum, eſt præſens difficultas. Nullus abſolutè illam ſpeculativam eſt auſus fateri. Carreyrus, & qui cum ipſo tenent ſcientiam eſſe Artem, ſimul illam conſtituunt practicam, & ſpeculativam. Nos verò *p. 1. Reſol. Medicar. ſect. 1.* ipſam ſimpliciter ſpeculativam decrevimus, & quòd nihil includit Practicæ.

Practicam illam admittentes; Probant primò ex Galeno, qui docuit, quod propoſitio medicinæ, quæ non ordinatur ad curationem eſt Sophiſtica; Sed curatio eſt Praxis & operatio; Ergo medicina, quæ de illa agit, eſt practica.

Secundò: Ariſtoteles *lib. 11. Metaphyſ.* enumerat ſcientias ſpeculativas, & tantum enumerat Philoſophiam, Mathematicam, & Theologiam, ſive Metaphyſicam; ergo medicina dogmatica non debet inter ſpeculativas poni ſcientias.

Tertiò: Avicenna *Fen. 1. doctr. 1.* dividit medicinam dogmaticam in ſpeculativam & practicam; Ergo non eſt ſimpliciter ſpeculativa.

§. II.

Dogmaticam, Architectonicam medicinam, ſancimus eſſe ſimpliciter ſpeculativam.

SIc decrevimus *p. 1. Reſolut. Medicar. Sect. 1. Reſolut. 5.* Et quòd partim ſaltem ſit ſpeculativa, tenent Mercatus *tom. 1. quæſt. Proœmial.* Carreyrus *Diſput. in Fen. 1.* Avicenna *cap. 6.* & alii Avicennæ Interpretes.

Probatur primò quoad utramque partem ex Ariſtotele *lib. 2. Metaphyſ. cap. 3.* Ibi docet, quod ut ſcientia ſit practica, non ſufficit, quod verſetur circa opus, ſed quod circa illud verſetur modo operabili, inquit etenim; *Si quomodo ſe habens conſideret non cauſam per ſe, ſed ad aliquid, & eo in tempore practicè ſpeculantur, nec ſatis eſt, ut notitia ſit practica ordinari ad opus juxta voluntatem ejus, qui habet habitū, ſed oportet ordinari in opus per ſe, & ex propria natura.* Sed medicina dogmatica architectonica, ex propria natura ordinatur ad ſpeculationem ſui objecti, demonſtrando ea, quæ agenda ſunt circa illud, ut hæc poſtea à miniſtris reducantur ad actum, ergo illius habitus eſt ſimpliciter ſpeculativus.

Probatur ſecundo: Habitus practicus eſt, qui habet pro fine praxim, ut ex Divo Thoma *opuſc. 7. q 5. art. 1.* & deducitur ex doctri-

Digitized by Google

doctrina Ariſtotelis *lib. 4. Metaphyſ. cap. 9.* Sed habitus medicinæ dogmaticæ ſpeculatur corpus humanum ut ſanabile, ſiſtens in ejus ſpeculatione, ut docet Avicenna, *Fen. 1. 1.* §. *Cùm ergò de medicina dicimus, quòd eſt Theorica & quod eſt practica, non eſt exiſtimandum, quod una diviſionum medicinæ eſt ſcire, alia operari, ut multi judicant, hunc locum perſcrutantes; Sed debes ſcire, quòd illud quod volumus eſt aliud, & quod nulla dictarum diviſionum eſt niſi ſcientia.*

Dices: quòd licet ſit ſcientia, quoad utramq; partem eſt habitus practicus, quatenus attingit modum operandi.

Contra ſtat: Tum quia Ariſtoteles nuper citatus 9. *Metaphyſicæ* docet: quòd ſi ex ſua natura habitus ſcientiæ ordinatur ad ſpeculationem, etiamſi operans ordinet illum in operationem, manet ſpeculativus: Medicina verò dogmatica ut ſcientia eſt, per ſe ordinatur ad ſpeculationem corporis humani ſanibilis, & ad media, & modum operandi, & agenda: Miniſtri autem & eorum habitus ordinantur per ſe ad opus, & ideò fiunt practici; non autem Architectonica medicina. Tum quia Divus Thomas *q. 3. de veritate. art. 3.* idem docet, dicens: *Cùm operatio rei terminetur ad eſſe illius, non conſideratur res ut operabilis, vel modo operabili, cùm conſiderantur omnia quæ ad ipſius eſſe requiruntur in ſingulari, & ut ſit à parte rei, potius ab illis abſtrahit habitus ſpeculativus, conſiderando ſolum rationes communes, & æternas, ſicut ſi Artifex conſideret domum, conſiderando paſſiones ejus, genera & differentias, & alia hujuſmodi inveſtigando.* Ex quibus convincitur, quòd cùm dogmatica medicina Architectonica agat de re operabili modo ſpeculativo, ſpeculativa ſimpliciter debet dici, & ſolum habitus miniſtrantes, qui conſiderant ea, quæ ad eſſe ſanitatis in particulari & ut ſunt à parte rei pertinent, ſunt practici.

Probatur tertiò præcipuè contra admittentes habitum medicinæ dogmaticæ eſſe practicum, & ſpeculativum: Si enim eſt ſpeculativus, ergo non practicus: inquit enim Divus Thomas *1. 2. q. 7. art. 1. ad 1. Practicum vel operativum, quod diſtinguitur contra ſpeculativum, ſumitur ab opere externo, ad quod non habet ordinem habitus ſpeculativus.* Ergò eo ipſo, quòd medicinæ habitus ſit ſpeculativus, nequit eſſe practicus.

Probatur quartò ex Galeno *libr. 6. de morb. vulgar. comm. 1.* ubi docet: quod medicinæ dogmaticæ ſpeculatio ſiſtit in ſui objecti cognitione, ejus demonſtrando paſſiones, remediorum quantitatem, qualitatem, & utendi modum, quæ omnia nullum opus includunt: Ergo ſiſtit in ſpeculatione totus ejus ſcientificus habitus.

§. III.

Solvuntur dubitandi rationes & fundamenta contraria.

Ad primum reſpondetur: quod propoſitio, quæ non ordinatur ad curationem in medicina eſt Sophiſtica; ſed alia ordinatur ſecundum rationes communes, quæ à medicina ſpeculantur: alia ſecundùm quod ordinatur ad eſſe ſanitatis, & dicit praxim ſeu operationem, & hæc eſt propria miniſtrantium artium medicinæ, quæ ſunt practicæ.

Ad ſecundum reſpondetur: quòd Ariſtoteles enumerans ſcientias ſpeculativas, ponit

ponit exemplum inter earum genera, & ideò ponit exemplum in Phyſica, enumeratque medicinam, quæ cum illa continetur ſub ſcientiis naturalibus de quibus omnibus eſt eadem ratio.

Ad tertium reſpondet Avicenna, qui dum dividit medicinam in Theoricam, & Practicam, non intendit docere, quod altera ſit ſcire, & altera ſit operari, ſed quod utraque eſt ſcientia, & ſpeculativa; Vocat enim practicam, quæ agit de re operabili, quia prout pertinet ad artis miniſtros eſt habitus mechanicus & practicus. Habitus verò, quo ipſam ſpeculatur rationalis medicina eſt ſpeculativus: Quia ut inquit D. Thomas, licet agat de re operabili, non tamen modo operabili; Sed eo modo quo Architectus agit de domo, ſpeculativo modo, ut Galenus docet *lib. 6. Epidem. Comment.* 1.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm medicina dogmatica fuerit à Deo Adamo infuſa, & hominibus communicata.

§. I.

Miniſtrorum medicinæ ponitur origo.

Medicina, quam miniſtri Architectonicæ exercent, ſubſequuta fuit ad ejus inventionem ob neceſſitatem uſus illius, & ideo diverſi miniſtri à primis medicis dogmaticis fuerunt inſtructi in ſuis artibus, Hippocrates ſuorum meminit miniſtrorum, *in arte*, præcipue *in epiſtola ad Cratevam*, ipſum laudat tanquā optimum herbarium, ac peritiſſimum; & *in jurejurando* inquit. *Nec calculo laborantes ſecabo, ſed viris Chirurgiæ operatiis ejus rei faciendæ locum dabo*: & *lib.* 1. *Aphoriſm.* inquit, *oportet non ſolum Medicum ſe præſtare opportuna facientem: ſed ægrum, aſſiſtentes, & reliqua exteriora.* Aliiſque in locis meminit aliorum miniſtrorum artis. Sed latiùs Galenus *lib 6. Epidem.* citato, refert omnes miniſtros artium, qui ſuo tempore ipſi deſerviebant.

§. II.

Sectæ medicinæ ſub dogmatica uſu tempore ſubſequutæ ſunt.

Reſolvendum. Quòd medicinæ ſectæ ſucceſſivè inventæ fuère. Probatur primò de Empirica, de qua diximus: quod quidquid Plinius contendat, ab Acrone inventam, ipſum condidiſſe Philinum Çoum, qui ab Herophilo diſceſſit, quem ſecuti ſunt Acreon Agrigentinus, Crito, Philiſtion, Menodorus, Serapion, Marcellus Empiricus, Leonellus Faventinus, Glaucias, Appollonius, Diodorus & alii.

Probatur ſecundò de Secta Methodica, conſtat etiam (ut diximus) fuiſſe conditam à Themiſone Laodicæo Syro, qui ab Aſclepiade diſceſſit dogmatico: illam profeſſi fuere Theſſalus, Trallianus, Maſſæus, Antipater, Archigenes, Agatinus, Proclus, Olympicus, Mileſius, Minemachus, Soranus, & alii.

Probatur tertiò de ſecta Paracelſiſtica, quæ à Theophraſto Paracelſo fuit inventa, noſtris fere temporibus, cui Juniorum adhærent plures, & adhuc viget adjuta à Quercetano, Crollio, Beguino, Scrodero, Hartmanno, Amyſincher, & aliis, ex quibus patet de Sectarum inventione, & Profeſſoribus.

Digitized by Google

§. III.

De dogmaticæ medicinæ origine concertantes opiniones proponuntur.

Dogmaticæ medicinæ tanta eſt dignitas, ut illius varii ſint judicati Inventores, qui quaſi Dii ſunt habiti ab Ethnicis, & varii fuerunt in eis enumerandis. Patet: nam Soranus Epheſius *lib. Iſagog.* dicit: *Medicinam invenit Apollo, ampliavit Æſculapius, perfecit Hippocrates.* Scribonius *in proœmio* dicit: *Siquidem verum eſt, antiquos herbis ac radicibus corpora varia curaſſe, quia etiam tum genus mortalium inter initia non facile ſe committebat ferro.* Diodorus Siculus *libr. 1. Biblioth.* Oro tribuit inventionem illius, dicens: *Iſidis filium Orum, medicinam à matre doctum, multum hominibus tum oraculis, tum medelis attuliſſe utilitatis.* Pindarus, Euripides & Euginus *lib. 2. de ſignis caleſtibus, & lib. 7. c. 18.* Chyronem Centaurum referunt Saturni & Phyliræ filium inveniſſe medicinam. Arabo ejus filio illius inventio tribuitur ab aliis, ut refert Plinius *lib. 7. cap. 59.* Theodo. *lib. 5. de curand. affectib.* Ægyptium Pharaonis ſeu Phitonis filium, contendit inveniſſe Medicinam, quem etiam vocarunt Oſirim. Tyrius Platonicus *ſerm. 40.* inquit, *Vetuſtiſſimum inventum iis initiis ortum conſtans eſt fama, eum qui vexaretur à morbo, domeſtici Aſpo[illegible] in frequentiſſimo vico ſtatuebant, ut à tranſeuntibus viſus, de qualitatibus morbi rogaretur. Itaque tulerat, depuleratq́; ſimilem morbum, aut medicamentis ſumptis, aut cauteriis, aut inciſionibus, aut tolerantiâ ſitis, prodito remedio, tolerantem juvabat*, Tyrii Cadmo tribuunt medicinæ inventum, Agotus, Theoduntius, Quintilianus, Euſebius, & Ovidius, Macrobius Hyginius, Virgiliuſque Apollini, qui Oſiris dictus fuit, licet alii Æſculapium tenent, Oſirim fuiſſe vocatum, & Serapim, & Apim, Jamblicus de myſteriis Ægyptiorum, medicinæ ortum ex inſomniis contendit deducere, quia ægri delati ad Æſculapii templum, in ſomno moniti, ſuæ ægritudinis inveniebant remedia; tenent Jamblicus & Plautus, ſolitos fuiſſe Græcos, ægros ferre in Æſculapii templum, in Coo, Trica, & Epidauro, Mercurialis tenet, id uſitatum fuiſſe Romæ; Strabo & Galenus docuerunt, in templis tabulas ſervari ſolitum fuiſſe remedia continentes, ex quibus aliqui adepti fuerant ſanitatem; & poſt concrematum templum Apollinis, poſt bellum Peloponeſiacum; ab Hippocrate plura in lucem edita; quorum invenit rationem: Sed Carolus Merel. anno 244. ab adventu Tubalis in Hiſpaniam, tenet apud Hiſpanos primò inventam fuiſſe medicinam, quia illius habitatores ægros ante portas deducebant. Dum conſequuti erant ſanitatem ſupra caput ſcriptum proponebant remedium, cum quo fuerant deducti ad ſanitatem, & quod ab illis edocti Græci cæteriq; didicêre ſimilia auxilia appendere in templo Dianæ & Apollinis, è quibus Hippocrates, ut diximus, plura deduxit, quod etiam admittit Rodericus Mendez, qui non ſolum apud Hiſpanos ex hac origine ortam fuiſſe medicinam fatentur; ſed quia illius & reliquarum ſcientiarum primæ ſcholæ initium habuêre; in quibus medicina & omnes ſcientiæ floruerunt, ut ſunt omni orbi communicatæ: ex illis enim ferunt doctrinam ſumpſiſſe præclariſſimos

riſſimos

Digitized by Google

riſſimos Magiſtros illarum, qui orbem per acquiſitas in illis ſcientias illuſtrarunt, ut Orpheus, qui floruit apud Argonautas, Homerus Poëtarum Princeps, Heſiodus, Licurgus, qui ab Hiſpanis leges didicit, quas tradidit Lacedæmoniis, & per quas Græcia per 500. annos politicè vixit; quas Romani adduxerunt, & ex eis 12. tabulas ſtruxere, ſimiliter & Plinius Lucius Aulus, Hercius, Apolonius, Archipiades Mirlanus, Mercurius Triſmegiſtus, Artemidorus, Poſidonius, Polibius, Flavius, Quintilianus, Columella, Pomponius Mela, Silius Italicus, Trogus, Sextilius, Turrianus, Seneca, Lucianus, Juvenalis & alii innumeri, quos ſupra retulimus; nec ſolum medicina, ſed omnes ſcientiæ ab Scholis Hiſpaniæ ſumpſere originem; quod nos ſupra latiori deduximus calamo: Nec ſolum ab hominibus & inſomniis fuiſſe medicinam repertam, abſque eo quod fuerit à Deo condonata contendunt aliqui ipſam homines ab animalibus didiciſſe conantes, nam ut tenet Nancelius *libr.* 3 *Microcoſmi ad Microcoſmum* quamplurima exempla id conteſtantur; & inter recentiores Gaſpar à Reyes *in ſuo Elyſio jucundarum quæſtionum campo quæſt.* 3. & Tertullianus *lib.* 7. *de pœnitentia in fine* inquit, *muta enim, & irrationales animæ Medicinas ſibi divinitus attributas in tempore cognoſcunt.* Horum exempla demonſtrat felis, quæ medetur ſibi cum Calamyntha; Cervus, Dictamo extrahit ſagittã infixam; hirundines acuunt viſum chelidoniã; dictamo utitur vulnerata capra; Leo Simiæ carne utitur pro ſanitate comparanda; Leopardus ſanguine devorato capræ agreſtis, ſuum evitat languorem; Elephas devorato chamæleone, liberatur à venenos aſſumpto oleaſtro; Urſus liberatur à repletione, ſumptis formicis; urſa herbis appoſitis, ſuis medetur vulneribus; Vulpes quærit auxilium in piceæ lachryma; teſtudo viperæ carne ſaturata utitur origano; muſtella veſcitur ruta, ut oppugnet mures; angues deponunt ſenectam, utendo ſucco fæniculi, Draco pro purgatione utitur lactucis ſylveſtribus; canes tritico viridi, aut gramine; perdices, & grues utuntur foliis Lauri; turtures parietariâ pro ſuis morbis depellendis; Ciconia origano, ſi vulnerata ſit; hippotothamus ſanguine miſſo, ſe exonerat à plenitudine; ibis roſtro pro clyſtere utitur; ciconia platanum; accipitres hieratium, upupa adjantum; cornices verbenam, turdi cicutam, & myrthum; perdices arundinem; Aquila gallitricum; galeritæ gramen; cygni urticam; buſones condrillam; urſi mandragoram; muſtella verbaſcum; corvi dictamum; apri hæderam, familiaria habent pro ſuis morbis remedia.

§. IV.

Medicina Dogmatica vera origo proponitur.

RESolvendum. Quòd medicina Dogmatica fuit à Deo Adamo infuſa, & hominibus communicata, ſic ſancivimus *p.* 1. *Reſolut. Medicar. Diſput.* 1. *ſect.* 1. & tenent Zachias *tom.* 1. *Quæſtion. Medicoleg.* Joannes Baptiſta Peregrinus, Julius Alexandrinus, Pater Jordanus & alii.

Probatur primò ex ſacra pagina, *in libr.* qui dicitur *Oeconomicus*, *ſive Eccleſiaſtes*, inquit Concionator: *Creavit Altiſſimus medicinam de terra*, ubi ſuperaddit *de terra*, quia

BIBLIOTECA ... ROMA ...

Digitized by Google

quia medicina alia eſt de cælo, cujus tota vis ſanandi eſt proximè à Deo & miraculoſa; alia de terra, quæ licet fuerit à Deo; operatur per virtutes medicamentorum, quæ orta ſunt de terra, & hæc eſt medicina dogmatica, de qua dicit ſacra pagina, quòd *medicinam creavit Altiſſimus.*

Probatur ſecundò ex D. Thoma 1. *p. q.* 94. docente, quod *Adam habuit omnium ſcientiam, in quibus natus eſt homo inſtrui, & hæc omnia illa ſunt, quæ virtualiter exiſtunt in primis principiis per ſe notis; quæcunq; ſcilicet naturaliter homines cognoſcere poſſunt.* Sed ut probavimus, medicina dogmatica eſt ſcientia; ergo fuit Adamo à Deo cum reliquis communicata.

Probatur tertiò tum ex Origene Adamantino, *hom. 1. ſuper Pſal. 37. §. Creator humanorum corporum Deus ſciebat, quòd talis eſſet fragilitas humani corporis, quæ languores diverſos poſſet recipere, & vulneribus, aliiſq; debilitatibus eſſet obnoxia, & ideo venturis paſſionibus providens etiam medicamẽta procreavit ex terra. & medicinæ tradidit diſciplinam, & vir prudens non abhorrebit eam.* Tum ex Magno Baſilio *q. 55. §. Cùm corpus noſtrum affectibus expoſitum, variis detrimẽtis affligatur: Ars medica, à gubernante totã vita noſtrã Deo, conceſſa eſt.* Tum ex Quintiliano *declamatione 266. § Medicinæ Autores ante omnia accepimus Deos, ſive ut hæc infirmitas hominum haberet adjumenta aliqua, atq; ſolatia, ſive tantum huic arti tribuerunt majores, ut eam vix crederent humanis potuiſſe ingeniis inveniri, ſive ipſa medicina per ſe ſacrum eſt.* Probatur quartò ex communi aſſenſu omnium in omni ætate: qui cum dogmaticæ medicinæ periti ſint, & ejus præclara & eximia beneficia experti, eamque tribuiſſe generi humano tot utilitates, & commoda, ipſam Sacrum quid judicantes communi aſſenſu & lumine naturali cognoverunt, nonniſi ſolius Dei donum eſſe; & ideo qui verum ignorarunt Deum, contendebant tam præclaram artem nonniſi à Diis poſſe ducere originem, & Inventores tanquam Deos colebant: & ne profanaretur, cautum eſt, ut non profiteretur, niſi ab Aſclepiadarum familia nobiliſſima omnium, quæ toto orbe adhuc cognoſcebatur. Præterea ex D. Auguſtino *lib. 3. de civitat. Dei cap. 12. & 37.* dicente; *Corporis medicina, ſi altius rerum originem repetas, non invenitur, unde ad homines manare potuerit, niſi à Deo.*

§. V.

Dogmatica medicina collapſa per ætates qualiter ſit reſtituta à Deo?

RESolvendum. Quod dogmatica medicina temporum progreſſu collapſa, iterum à Deo fuit reſtituta, & magna ex parte Hippocrati & aliis communicata.

Permanſit medicina, permanſerunt & aliæ ſcientiæ progreſſu temporis à Patribus in filios derivatæ, & per Abraham in filios: & ab ipſis in Ægyptios delatæ, eiſq; communicatæ, tempore tamen collapſæ ſunt: & cum ob neceſſitatem hominibus fuerint prius datæ, ob eandem rem Deus, ut illas reſtauraret, temporum ſucceſſione creavit varios homines, aptos ad comparandas illas, his certè divinitus infuſa fuerunt ſcientiarum principia plura, ut ſuo adjuti labore, ipſas iterum recuperarent: ſic Ariſtoteles perfecit Philoſophiam & Metaphyſicam, Euclides Mathematicas.

Divus

Divus Thomas Theologiam; fremant licet Pſeudo-Thomiſtæ: ſic Hippocrates ampliavit, & perfecit Medicinam Dogmaticam.

Probatur ex Arnaldo de Villanova dicente: *prætereà non in Scripturis ſtudent, in quibus Ars traditur ſupradicta Galeni, & Hippocratis, quibus medicinam Divina conceſſione veraciter & perfectè novimus eſſe revelatam.* Tum ex Petro Begelcidino, *de dignotione ſcientiarum*, dicente: *Non dubitamus medicinam juriſprudentiæ anteponendam & poſt Theologiam & politicam eam collocare: cum inter utramq; media eſſe videatur, non ratione ſcientiæ, ſed ratione affinitatis. Nam præterquam quod Politica multa remedia morborum profligandorum ſuppeditat, nihilque ſit in arte medica, quod ad eam non poſſit rectè accommodari, cum Theologia quoque ob duas rationes convenit. Prima eſt: quia Theologia in medendis animæ morbis ipſos Medicos imitatur. Altera eſt: quia medicina eſt ſcientia Hippocrati revelata.* Tum comprobant alii: Jacobus Omphale, Canonherius, Petrus Leonicetus, Philippus Veirus, Andreas Caicilupus, & alii hujus doctrinæ tutelares: Tum idem tenet Frater Hyacinthus Jordanus *lib. Theor. Medicinæ Sancti Thomæ, part. 1. Aph. 2.* Tum fatetur Thomas de Villanova, *concione de partu Virginis. §. Nam in naturalibus Creator, qui herbis & lapidibus pretioſis dedit virtutes ad ſanitatem hominum: ipſe manifeſtavit eas, alias fruſtrà eas dediſſet. Neque enim putandum eſt, Hippocratem, Galenum & Avicennam propriis viribus tanta de natura herbarum attigiſſe; ſed quodam ſupernaturali inſtinctu propter bonum hominum, forte hanc peritiam conſequutos fuiſſe, cumq; per Angelos homines gubernet, exiſtimo per Angelum Raphaelem, qui Medicina Dei nuncupatur, homines ad medicinam reſtaurandam fuiſſe inviſibiliter inſtructos; ſicut viſibiliter Tobiā Patrem curavit. A Deo igitur medicina eſt: ab Angelo Raphaele hominum cordibus infuſa.* Hæc Villanova. In quibus noſtram comprobat manifeſtè doctrinam.

RESOLVTIO IX.

Vtrum dogmatica medicina ſit neceſſaria hominibus in ſubſidium ſalutis eorum?

§. I.

Fundamenta negantium neceſſitatem medicinæ dogmaticæ, & à quibus oppugnetur?

Diximus in medicinæ definitione, quod eſt neceſſaria in ſubſidium ſalutis humanæ. Hæc aſſertio nos trahit in incudem diſputationis. Opponuntur illi inſipientes, & aliarum artium aliqui Profeſſores; Vulgus, & inter vulgares Scurræ & Comici; fatui & imprudentes, quibus eſt proprium abhorrere medicinam, quam improbant quaſi inutilem, & nullis firmis fundamentis ſtabilitam. Poſt Sectatores, Hippocrate antiquiores, & Georg. Leontinus ei opponebantur. Turcæ, ut tenet Proſperus Alpinus *lib. 1. de medicina Ægyptiorum cap.* 15. judicant à Deo eſſe præfixum vitæ terminum, & ſpeciem mortis nullis auxiliis medicis mutabilem: ideò inutilem judicabant medicinam uſque ad noſtra tempora, in quibus ab illa exoptant auxi-

auxilia. Eorum opinionem ſecuti ſunt alii vulgares, quos refutant Valleſius, Cardanus, Levinius, Lemeius, Biverivicius, & Gaſpar à Reyes,: negantium tamen medicinæ neceſſitatem varia ſunt fundamenta.

Primò: quia ut tenet Levinius Lemnius, Jacobus Gutherius & Tertullianus, Stoici, fato veluti potentiori alicui Deo, vitæ, mortiſque imperium concedebant, illi fata adſcribenda advocabant. Ultima primæ hebdomadis die; ab ipſo contendebant præfixum eſſe diem mortis inevitabilis, & conſequenter medicinam nullum poſſe ſubſidium præſtare, quod tanquam inevitabile axioma credebant, quod confirmat Homerus *Iliad. 6.*

Nec vi Herculeâ fatum vitabis acerbum;
Et Virgilius *lib. 2. Æneidos*:
Deſine fata Deum flecti ſperare precando.
Et ulterius:
Venit ſumma dies, & inevitabile fatum.

Seneca apud Lucillum *epiſtola* 102. dicit: *Stat quidem terminus nobis, ubi illum inexorabilis Fatorum neceſſitas fixit.* Quintilianus dixit: *Fato vivimus, languemus & morimur. Medicina quid prodeſt?*

Secundò: relicto fato nobis fatendum eſt, quòd à Deo unicuique eſt præfixus terminus vitæ ante omnia ſæcula, nullis potens auxiliis mutari medicinæ; aut alterius ſcientiæ aut artis humanæ. Credunt enim Chriſtiani, omnia à Deo regi, & gubernari, æternum eſſe ejus conſilium, certum & immutabile, ex æterna Dei ſententia ſtabilitum, & docet *Job.* 14. & *Pſal.* 38. & lumine naturæ cognovit Ariſtoteles, *libr. 2. de ortu & interitu.* & Seneca, Plutarchus, & plures Ethnici: ex Theologis omnes cognoſcunt, Deum eſſe naturæ Authorem, nulli affixum ordini ſecundarum cauſarum, ſi velit elevatiori potentia operari. Bonaventura apud *Divum Lucam* 12. inquit, *Sicut non poteſt corpus augere, ſic nec terminum vitæ, quem præfixit Dominus protelare.* Seneca ad Marciam dicit: *fixum cuique terminum, eumque manere, & ſemper ubi poſitus eſt; nec alterius diligentiâ, aut gratiâ promoveri.* Ergo nullius uſus poteſt eſſe medicina.

Tertiò: Si medicina Dogmatica, quam probavimus eſſe ſcientiam, eſſet propter hominis ſalutem neceſſaria, homo eſſet immortalis, quia per demonſtrationes doceret omnes morbos neceſſariò curare; Sed contrarium experimur, ergò non eſt à Deo homini data ob vitæ conſervationem.

Quarto: Sine medicina dogmatica Romani vixerunt per plures annos; Turcæ, & alii Barbari nunc vivunt: & ætate primorum Patrum nulli fuère Medici: Ergo ſuperflua eſt medicina.

Quintò: *Natura* (ex Hippocrate *in lib. Epidem.*) *eſt morborum medicatrix.* & *ex lib. de elegant. Medici. Morbi qui ſanantur à medicis, ope Deorum ſanantur*: Et ex Galeno, *Medicus eſt miniſter, ſeu adjutor naturæ, ipſa autem curatrix morborum.* Ergò medicina non eſt neceſſaria in ſubſidium ſalutis humanæ.

§. II.

Sancitur medicinæ dogmaticæ neceſſitas in ſubſidium ſalutis humanæ.

Reſolvendum. Quod medicina dogmatica fuit hominibus à Deo condonata, tanquã neceſſaria in ſubſidium ſalutis eorum:

Digitized by Google

eorum : Sic fatentur, quicunque medicinæ Profeſſores, & quicunq; homines prudentes, ut docet ſacra Pagina ; ex qua etiam conſtat: *lib. enim Eccleſiaſtes* docet ; *Deum medicinam creaſſe*; & cum omnia ſint propter aliquem finem , & non ſit ob alium medicina : Patet fuiſſe creatam in ſubſidium ſalutis humanæ : & Chriſtus Dominus docuit: quòd *benevalentibus non eſt opus medico*, confirmans: quòd illo opus eſt languentibus ; *& lib. Eccleſ. citato.* Defendunt hanc doctrinam Hippocrates *in lib. Iſagog.* Et ibidem illius commentatores. Valleſius *lib. de ſacra Philoſophia, cap.* 74. Heurnius *in oratione de origine medicinæ.* Tiraquellus, *de nobilitate cap.* 32. Joannes Baptiſta Peregrinus, *lib. adverſus Philoſophiæ. & medicinæ calumniatores* ; Turturetus, *lib.* 2. *de nobilitate.* Andreas Barbacia *in cap. Clerico de Judiciis.* Cortes *diſcurſu Apologetico medicinæ.* Merola *libr. de Republica originali.* Zachias , *tom.* 1. *quæſt. Medicolegal.* Canonherius, *tom* 1. *in Aphoriſm.* Gaſpar à Reyes Francus, *in ſuo Elyſio Campo quæſtion.* Joannes Abræus, Raymundus, Piant, Levinus Lemnius , Codronchus , Henricus Smentius, Mindererus , & Beverovicius ; & omnes , quos non obcæcavit barbaries, ſtultitia, aut ſcurrilitas, qualiter contingit comicis Poëtis.

Probatur ex ſacra Pagina. *lib. Eccleſ. cap.* 38. *Honora Medicum , propter neceſſitatem ; etenim creavit eum Altiſſimus :* & ibidem *in infirmitate tua da locum medico. etenim illum Dominus creavit , & non diſcedat à te : quia ejus opera ejus ſunt neceſſaria.* Ergo in ſubſidium ſalutis humanæ, docet ſacra Pagina, eſſe neceſſariam medicinam.

Probatur ſecundò ex Galeno. *lib. de arte parva: & lib. de ſanit tuend.* Ubi hanc demonſtrat doctrinam, ſic : *Corpus humanum obnoxium eſt variis mutationibus; ortui enim & interitui ſubjacet : quia contrariis conſtat mutuò inter ſe agentibus & patientibus*; Ergò illi eſt neceſſaria medicina , quæ doceat illud reducere ad priſtinam ſanitatem.

Probatur tertiò : Tum ex Origene : *hom.* 37. §. *Creator humanorum corporum Deus ſciebat, quod talis eſſet fragilitas humani corporis, quod languores diverſos poſſet recipere, & ideò Medico dedit diſciplinam , ut ſi accideret ægritudo non deeſſet medicina.* Tum Quintilianus inquit , *Sola eſt medicina quæ opus eſt omnibus ; nam licet reliquis artibus egemus; nec ſemper , nec omnes hujus utililitate mortalium conſtat omnis vita.*

Probatur quartò : Deus in Vegetabilibus, in animalibus, in Plantis, in lapidibus, & omnibus, quæ pro homine creavit , poſuit Virtutes medicinales ad morbos hominum curādos, docet Sacra Pagina, quòd creavit Medicinam de terrâ; in horum productione, & hac forſan ratione vidit Deus quod eſſent pleraque eorum bona : & experientia docet, eorum alia calida , alia frigida, alia laxantia , alia adſtringentia , alia attemperantia, alia purgantia ; alia operari manifeſtis viribus , alia occultis ; ergò ab eodem Deo debuit hominibus tribui aliquā Scientia , qua hæc cognoſcerent, & tempus, & modum vtendi illis , in ſubſidium ſalutis humanæ: aliàs enim fruſtra à Deo , & à naturâ fuiſſent pro hominibus producta, & ſuperfluæ in illis eſſent tot à Deo productæ virtutes.

Probatur quintò ab experientia, Qui repletione ægrotant, curātur euacuatione, & è contrà: qui luxatū habet brachium , aut

crus, ope medicinæ adquirit ſanitatem: qui calculo laborant, eius extractione liberantur à cruciatibus: qui colico ingemiſcit dolore, euacuatâ causâ liberatur ab illo. Et hac cognita neceſſitate ſubveniendi ægris per medicinā: decernunt Theologi, teneri ægros ſub peccato mortali ad vſum medicinæ, tanquā neceſſariæ pro vitæ conſervatione, & in ſubſidiū humanæ ſalutis. Ergo Scurris relictis, & fatuis tenendum, medicinam eſſe à Deo hominibus collatam, & neceſſariam in ſubſidium ſalutis eorum.

Dices: Nequit medicina omnes ad ſanitatem reducere: ergò ſub hoc dubio nemo tenetur ad vſum medicinæ? præcipue ſi ſit in termino præfixo vitæ.

Reſpondet Gratianus, *l. 2. 3. q. 4. ff ſed in omnibus. Quantumvis ſciamus, neminem vltra terminum ſibi à Deo præfixum eſſe victurum, omnibus tamen languentibus, non incongruè medemur.* Ratio autem huius eſt: quia in dubijs, tutior pars eſt ſequenda; & ideò ſub dubio, An ſit terminus præfixus? tentandum eſt remedium.

Probatur ſextò: Si quid obſtaret, ut non admitteretur tanquam neceſſaria medicina pro ſalute hominum, maxime Stoicorum opinio, quæ fatum eſſe numen tenent, à quo vitæ terminus & ſanitatis conſeruatio, pendet abſolutè; ſine eo, quòd ſit medicinæ aliqua poteſtas in ipſum immutandum. Sed fatua hæc opinio fati non obſtat; ergò ut neceſſaria eſt admittenda medicina in ſubſidium ſalutis humanæ: Probatur Minor. Tum quia: etſi eſſet fatum, neceſſaria eſſet medicina; inquit enim ex Stoicis Seneca, *lib. 2. natural. quæſt. cap. 38. Cum ſanitas videatur eſſe de fato, debetur & medico: quia ad nos beneficium fati per huius manus venit:* & Cicero, *lib. de fato*, inquit: *Tam facilè eſt conualeſcere, quam medicum adhibere*: Et elegantiùs Origenes, *tom. 2. contra Celſum*, inquit *ſi fato decretum eſt, vt liberos tollas, ſiue uxorem ducas, liberos procreabis; ſed ſi in fato eſt, vt liberos non ſuſcipias, ſiue vxorem ducas, ſive non ducas, non procreabis liberos, ſive igitur tibi facile eſt, vt procrees, vel non procrees liberos, fruſtrà eum vxore des operam liberis. Quemadmodum enim, quia non poſſunt ſine congreſſu cum vxore procreari liberi, non fruſtra vxor ducitur, ita, quia ex morbo releuari æger ſine ope medicinæ non poteſt. neceſſe eſt medicinam adhibere:* Tum quia fatum recipiens opinio fatua eſt: inquit enim D. Auguſtinus *tract. 37. in Ioannem: Si cor tuum non eſſet fatuum, non crederes fatum*; & Seneca fatum irridens *lib. 4. de benef.* fictitium eſſe numen aſſerit; niſi ſumatur pro prima cauſa omnium rerum, ex qua cætera pendent; dicitque: *Si naturam vocas fatum, fortunam, omnia eiuſdem Dei nomina ſunt, variè vtentis ſuâ poteſtate.*

Probatur Septimò: Quòd à ſummo Deo ſit vnicuique præfixus vitæ terminus; non obſtat, quominus Dogmatica medicina ſit neceſſaria in ſubſidium ſalutis humanæ ergò vt neceſſaria eſt admittenda. Probatur antecedens; Tùm quia: Cùm lateat hora præfixi termini, & ante ipſum plura poſſint mortem properare, ad ea igitur vitanda, poſuit Deus conſeruationem in conſilio hominis vt perueniat ad præfixum terminum, alias qui ſe præcipitat de ſaxò in flumen, vel puteum, vel gladio ſe interimit, aut alij violentæ lethalique cauſæ, properabit mortem: quod nobis oſtendit, vt tenet Leuinius Lemnius, Chriſtus

Domi-

Dominus fugiens iram Judæorum, & ne properarent mortem, quam contendebant, ante conveniens, ac determinatum ab ipſo tempus: & D. Paulus fugiens in ſporta per Damaſci mœnia: & David fugiens Saulis inſidias. Tum idem docet D. Baſilius, *lib. de reg. fuſ. diſp.* §. *Quemadmodum ſi in Paradiſo eſſemus, agricultura labore non indigeremus, ſic ſine dolore juxta gratiã, quæ erat ante lapſum re nulla ad ſolamen ex medicina egeremus, ut poſtquam doloroſa carni, & ad corruptionem damnatæ propter peccatum, & hiſce, quæ patimur obnoxiæ aptati ſumus, hæc ægris producta eſt medicinæ adminiculatio quâ, quantum fieri poteſt, utemur.* Tum quia: licet medicina non poſſet prorogare vitam, eſſet utilis ad levamen accidentium, quæ vitam ærumnoſam reddunt, doloris, pervigilii, cibi faſtidii, fæditatum, & ſimilium. Tum quia: non obſtante vitæ præfixo termino, homo indiget ad vitæ conſervationem; agricultura, qua ſe valeat munire à fame, per quam poſſet mors anteverti: indiget arte militari, qua poſſit liberari ab occurſu inimicorum, per quos poſſet debellari, & trucidari ante præfixum vitæ terminum; indiget & arte ædificatrice domus, per quam liberetur ab injuriis temporum, quæ mortem anteverterent. Tum quia: Si eſt prædeſtinatus in ſiniſtram partem; faciat ut prædeſtinetur in bonam: inquit D. Paulus, & ſicut id conſequitur per divina media, vitæ prolongationem per humana poſſumus conſequi, uſque in illud præfixum vitæ tempus. Tum quia Deus præfinit unicuique terminum vitæ, ultra quem progredi non poſſit juxta ordinem cauſarum naturaliũ, ad quem poteſt pervenire; ſed poteſt à violentis impediri, & has ſi morboſæ ſint poteſt debellare dogmatica medicina; Ergò adhuc ſi ſit homini præfixus vitæ terminus à Deo, eſt neceſſaria medicina dogmatica in ſubſidium ſalutis humanæ.

§. III.

Adhibetur ſolutio fundamentalis contrariè opinantium.

AD primum reſpondetur: Quod patet ex probatione concluſionis; quod fatum, ſi ſumatur pro numine ut Ethnici de eo loquuntur, eſt fatuitas ipſum admittere: ſi ſumatur pro vero Deo, licet ab ipſo præſcribatur vitæ terminus, ultra quem progredi non datur, intra ipſum poteſt anteverti, & ideo reliquit Deus in conſilio hominis, ut poſſit ſe præmunire contra cauſas violentas valentes illum anteverteri, & ſic à morbis & morboſis cauſis per ſcientiam medicinæ dogmaticæ liberari.

Ad ſecundum reſpondetur juxta ea quæ diximus *p.* 1. *Reſolut. Medic. ſect.* 1. ex Raymundo Lullio dicente: *Unicuique vitæ terminus eſt ſtatutus, quem nullo ingenio transgredi poſſumus, ſed intra terminum mortem accelerare in promptu eſt omnibus: ideò à Medicina petendum remedium, quo corpus noſtrum à putredine præſervemus, & infirmum curemus, donec veniat is poſtremus dies a Deo præſtitutus.* Vel ex Hieremia Drexelio inſigni Theologo *in Heliotropio* hæc reſpondente: *Bellum & omnes clades à Deo ſunt, res jam liquida. At hinc mala eſt conſequutio iſta: ergo iſtis non reſiſtendum, ergo morbis non occurrendum, nam aliud eſt voluntas ſigni; aliud voluntas beneplaciti. Atq; de illa voluntate ſigni per leges nobis explicata ut plurimũ*

D 2 ſatis

ſatis conſtat. *At verò de hac beneplaciti non item: nec continuò ſcilicet, quouſq; ſe extendat. Nunc exemplo ſit morbus hic à quacunq; cauſa ortus, Divinæ volũtatis eſt; nec in hac re quidquam ambigendum; cum autem ægrotus neſciat, quamdiu velit Deus in morbo cubare, licitè poteſt prorſus reſiſtere, & recuperandæ ſanitatis quidquid eſt legitimorum remediorum adhibere.* Alii Theologi decretum de vitæ termino duplex eſſe admittunt, unum abſolutum, quod nullis auxiliis medicis poſſe revocari dicunt: aliud conditionale, quod debitè à medicina applicatis remediis revocari poſſe affirmant. Alii negantes conditionalem terminum vitę dicunt alium eſſe naturalem ex defectu humidi radicalis, qui nequit per medicinam reſarciri, juxta illud Job: *Conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt;* Alium eſſe accidentalem, qui à cauſis violentis, aut morboſis fit, quem Deus ob noſtra peccata vel ob alios fines poteſt infligere, & nos ob imprudentiam, vel ob indebitum uſum rerum non naturalium: & hic pręcipuè medicis auxiliis poteſt vitari: Si autem ob noſtra præſcribitur peccata, à Deo tantùm poteſt prorogari, inquit enim Divus Gregorius de iſto: *Singulis ab æterno Dei præſcientia præfixit dies; nec augeri poſſunt, nec minui, niſi aut optimis operibus longiores fiant, vel peſſimis breviores,* & *in cap.* 10 *Proverb.* dicitur: *Timor Domini apponet dies, & anni improborum abbreviabuntur.* Seneca *epiſt.* 56. idem confirmat: *Non accepimus brevem vitam, ſed facimus per peccata ſcilicet, vel per errata.*

Sed redeuntes ad Medicos Beverovicius *libr. de præfixo vitæ termino* pro argumento ſic ſatisfacit. *Hinc nunc infero uti itaque ſit, cum vegetabilibus brutis animantibus ut vivant, & ſuperſint uſq; ad terminum determinatum vitæ unicuiq; ordinariè, ſi cum unoquoque eorum adhibeantur illæ cauſæ; quas Deus ad id conſtituit, ſi non obſerventur, aut negligantur non aſſequuntur illum terminum id itaq; volente ac diſponente ſummo noſtro rerum Oeconomo, ſic inquam ſit quoq;, cum hominibus, idq; diſpenſatione magna ejuſdem Oeconomi, ut ſi cauſas ſecundas conſervandæ valetudinis, aut reſtaurandi veras, & oppoſitas adhibeat, eam obtineat, & eam obtineri ipſe Deus velit, quamdiu vitæ terminus proportione uniuſcujuſq; phyſici temperamenti eſt ab eo conſtitutus. ſi cauſæ non adhibeantur, collabitur valetudo, & vita ante poſitum ſemel à Deo, & conceſſum ejus terminum.*

Ad tertium reſpondetur; Quod medicina dogmatica eſt ſcientia, & eſt neceſſaria, ut probavimus, non tamen ex hoc ſequitur, quod neceſſariò curet omnes morbos, quia non omnes ſunt curabiles, docet enim Hippocrates, *lib. de arte, Medici eſt vehementes morborum impetus tundere, ſanabiles curare, & inſanabiles non attingere;* nec omnes poteſt ſanabiles ſe ſolo curare: docet enim idem 1. *Aphoriſm. Sententia* 1. *Oportet non ſolum Medicum ſe præſtare opportuna facientem; ſed ægrum aſſiſtentes, & reliqua exteriora:* Præterea: quia nulla ſcientia demonſtrat omnes propoſitiones, quæ ſunt de ejus objecto; ſed plures ſunt Sophiſticæ, plures opinabiles, & hoc etiam contingit in medicina dogmatica. Præterea: quia cùm non poſſint omnia remedia inveniri per demonſtrationem: utitur medicina dogmatica aliis inſtrumentis ad eorum inventionem, analogiſmo ſcilicet, ratiocinio, & experientia, quæ conjecturaliter

liter procedunt, & ideò non poteſt ſemper cum evidentia conſequi finem. Unde Ovidius de morborum pertinacia ſic canit:

Non ſemper in manu eſt Medici relevetur ut æger;
Sed quandoque doctâ plus valet arte malum.

Ad quartum reſpondetur: Quòd (incognitam fuiſſe ab aliquibus medicinā dogmaticam) potius arguit eorum barbariem, quam non fuiſſe neceſſariam, ſicut & quod non cognoſcatur Theologia à Barbaris, & hoc convincitur eorum barbaries potius, quàm aliquid de ejus neceſſitate, aut præſtantiâ auferri inſinuetur; qui enim vixerunt ſine illa, ſine medicis potius quàm ſine medicina vivunt; eſt enim pars medicinæ ordinatus vivendi modus, ſine quo nequit vita prolongari.

Ad quintum reſpondetur: Quod nos fatemur, morbos curari ope Dei concurrentis ſimultaneo concurſu, & prævio; & etiam ope naturæ, quæ morborū eſt curatrix ſe ſola in parvis morbis; ſed in magnis non ſine medicinæ adjuvamine, & operâ, abſq; qua Deus non concurreret ſuo ordinario concurſu.

RESOLVTIO X.

Vtrùm corpus humanum, ut ſanabile ſit objectum medicinæ?

§. I.

Proponuntur variæ opiniones, & fundamenta partis negativæ.

Valleriola *lib. 1. de locis communibus*, & reliqui admittentes dogmaticam medicinam eſſe artem, non admittunt habere objectum ſui ſpecificativum; quia hoc eſt proprium ſcientiarum; Sed tenent, artes mechanicas ſpecificari per ſuam materiam circa quam verſantur, cum ordine ad finem, & ideò tenent ſpecificari medicinam per corpus humanum tanquam per materiam, & per ſanitatem, tanquam per finem quod fatemur eſſe verum reſpectu artium deſervientium architectonicæ, dogmaticę medicinæ; ſed cum demonſtratum ſit, hanc eſſe ſcientiam, de illius objecto dubitamus.

Plempius *libr. de fundamentis medicinæ*, artem eſſe & ſcientiam contendit: & quòd prout ſcientia habet pro objecto corpus ut vivens, quaſi contendens ſe Veterinarium eſſe. Sanctorius judicat, quód ſpecificatur à corpore humano; ut ſanabile eſt, & ut ſanum eſt. Quidam, (ut tenet Conciliator) Canones medicinales, traditos ſub Aphoriſticā brevitate eſſe medicinæ objectum, tenebant. Fernelius refert: Alios judicaſſe objectum medicinæ Dogmaticæ eſſe morbos, & vulnera. Benedictus Victorius judicat, quòd corpus ſuſcepturum animam, eſt medicinæ objectum, quia animæ non accidit Sanitas. Achilinus hominem judicat objectum eſſe medicinæ.

Sed corpus humanum ut ſanabile non eſſe objectum medicinæ Dogmaticæ, ſpecificativum, videtur primò ſuaderi ex Galeno *lib. ad Traſibulum*, dicente: *Artes non à materia, quam tractant, ſed à fine diſtinguuntur*: & ſuperaddit, *Medicina ars una cum ſit, infinitæ ſunt materiæ, & corpus ipſum ſanitatē accipiens, ac potus, ac medicamenta omnia, hæc igitur medicamentorum materia,*

 corpus

corpus verò tanquam id, ex quo finis : ergò non ſpecificatur ab illo tanquam ab objecto.

Secundò: Medicina non ſolum reſpicit corpus ut ſanabile, ſed contendit ſani corporis conſervationem, ut docet Galenus *lib. de ſanitate tuenda*, ergò corpus humanum ut ſanabile non eſt adæquatum objectum medicinæ.

Tertiò: Objectum ſcientiæ eſt, circa quod ſuam operam accuratè gerit; ſed circa vulnera & morbos profligandos eſt tota medicinæ intentio, ergò hæc ſunt ejus objectum.

Quartò: Medicina ſpeculatur res naturales, ergò ultra corpus ſanabile progreditur ejus ſpeculatio.

Quintò: Si ſpecificaretur à ſanitate, maximè tanquam ab illius ratione formali; ſed ſanitas nequit eſſe ratio formalis objecti medicinæ dogmaticæ. Tum quia medicina æquè reſpicit morbos, & ſanitatem. Tum 2. quia Galenus *lib. Artis medicinalis* definit medicinam: quod ſit *ſcientia ſalubrium inſalubrium, & neutrorum*, quæ ſunt diverſæ rationes formales. Tum tertiò: quia medicina ſpeculatur plura, quæ ſanabilia non ſunt, ut elementa aſtra, aquas, & alia hujuſmodi. Tum quartò, quia medicina ſpeculatur hecticum corpus in tertia ſpecie & alios morbos, qui curari non poſſunt; ergò ſanabilitas non eſt formalis ratio objecti medicinæ.

§. II.

Non omne corpus ut ſanabile eſt medicinæ objectum:

Eſolvendum primò: Quòd corpus humanum ut ſanabile à natura non eſt objectum medicinæ: ſic docet D. Thomas ſuper Boëtium *de Trinitate*, *quæſt. 5. artic. 1. ad 5.*

Probatur *ex lib. 1. Eccleſ. §. citato*: *Da locum medico, quia opera ejus ſunt neceſſaria*; Sed non ſunt neceſſaria circa corpus, quod eſt curabile à ſola natura, ergo ut ſanabile à natura non eſt objectum medicinæ dogmaticæ.

Probatur ſecundò: Morbus qui petit curari à medicina, eſt diſpoſitio ſenſibiliter lædens operationes; ſed ſunt plures, quæ inſenſibiliter lædunt, & à natura curantur: ergo corpus hoc modo ſanabile non eſt medicinæ objectum: hæc enim tantum intendit curare morbum medicum à Galeno definitum.

Probatur tertiò: Medicina, (ut probavimus) eſt neceſſaria in ſubſidium ſalutis humanæ, & ſpecificatur per ordinem ad illud ad quod eſt neceſſaria; ſed ad morbos, quos ſola natura curat, non eſt neceſſaria; ergo non ſpecificatur, niſi à corpore humano, quod ſanabile eſt ab ipſa medicina.

§. III.

Sancitur proprium objectum ſpecificativum dogmaticæ medicinæ materiale.

Eſolvendum 2. Quod corpus humanum eſt objectum materiale ſpecificativum medicinæ dogmaticæ: ſic tenet D. Thomas nuper citatus: tenet etiam Conciliator *differentia ſexta.* Carreyrus, *diſp. 2. in Fen. 1. 1. Avicennæ cap. 1.* Varandæus *de præcognitis in medicinam.* Mercurialis *de arte Gymnaſtica.*

Probatur primò: corpus humanum eſt notius,

notius, quod in medicina primò occurrit intellectui, & ejus cognitione cætera cognoſcuntur ſpeculatur à medicinæ habitu, habet partes, in quas dividitur, & ſanitas tanquam paſſio illius demonſtratur. Ergo quæ requiruntur, ut ſit medicinæ materiale objectum, habet.

Probatur ſecundò: Illud eſt medicinæ objectum, cujus naturam, affectiones, & proprietates ſpeculatur, & circa quod agũt artes medicinæ deſervientes. Sed habitus medicinæ dogmaticæ ſpeculatur, quæ ſunt ſecundum naturam in corpore humano, & agit de proprietatibus, paſſionibus, & facultatibus illius, & de affectionibus illi ſupervenientibus; morbo, cauſa & ſymptomate, & de iis, quibus eſt curabile; ergò eſt medicinæ materiale objectum.

Probatur tertiò: Objectum medicinæ ut ſcientia, eſt per quod ſpecificatur, & fit una ab aliis diſtincta; ſed per reſpectum ad corpus humanum ſanabile fit una, & diverſa ab aliis, ergo illud eſt ejus objectum. Probatur minor; nam licet omnia ſublunaria ſpeculetur, ſicut Phyſica & Metaphyſica, quia non attingit illa ſub ratione entis, nec ut mobilia, ſed ut ordinantur ad corpus humanum ut ſanabile, ab illis differt, ergò per reſpectum ad illud ſpecificatur.

§. IV.

Proponitur formalis ratio objecti medicinæ.

RESolvendum tertio: Quod ſanitas ab arte adquiſibilis, eſt ratio formalis, ſub qua corpus humanum ſpeculatur ab habitu ſcientifico medicinæ dogmaticæ, & ratione cujus ſit ejus objectum.

Probatur: Ratio formalis quæ objecti ſpecificativi ſcientiæ eſt quæ præter materialem conſiderationem, determinat materiale objectum, ut ſub illa ratione ab ipſa ſcientia, & non ab aliis attingatur, ſed corpus humanum, quod ut dimenſiones habet, attingitur à Mathematicis; ut ens, à Metaphyſica, ut ens mobile à Phyſica; per hoc quod ſanabile, ita determinatur ad ſpeculationem medicinæ, ut à nullo habitu ſcientifico ut ſic ſpeculari debeat, niſi ab illa.

Probatur ſecundò: Ratio formalis quæ eſt in quam omnia, quæ ſub illa ſcientia tractantur, ordinantur; Sed ad ſanitatem hominis diriguntur omnia quæ tractantur in medicina: Ergò hæc eſt ratio formalis ſuique objecti conſtitutiva.

§. V.

Solvuntur fundamenta quæ opponuntur.

AD Primum reſpondetur. Quod Galenus loquitur de artibus medicinæ miniſtrantibus, & ideò dicit: quod ſunt plures materiæ, à quibus ſpecificantur: quia artes Mechanicæ per materiam circa quam cum ordine ad finem ſpecificantur, & ideo ſunt plures artes miniſtrorum medicinæ diverſæ penes diverſas materias, circa quas operantur.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd ſemper reſpicit medicina corpus humanum ut ſanabile, ſive contendat adquirere ejus ſanitatem, ſive illam conſervare.

Ad tertium reſpondetur: Quod medicina, cùm reſpiciat corpus humanum ut ſanabile, agit de morbis & vulneribus, quæ ſanare contendit.

Ad

Ad quartum reſpondetur : Quòd medicina ſpeculatur omnia entia non ut entia , ſed ut conducentia ad corpus humanum, ut ſanabile eſt, prout ſunt res naturales, non naturales, aut præternaturales.

Ad quintum reſpondetur : Tum pro 1. Quod medicina reſpicit ſanitatem tanquam rationem formalem quæ, morbum verò tanquam illius contrarium. Tum pro 2. Quod medicina reſpicit corpora ſalubria, quatenus habent ſanitatem, inſalubria quatenus petunt per curationem reduci ad ſanitatem, & neutra quatenus petunt præcaveri , ne decidant à ſanitate. Tum pro 3. Quod reſpicit elementa , & alia non ſanabilia quatenus ſunt materiæ, aut cauſæ ſanitatis adquirendæ, aut conſervandæ. Tum pro 4. Quod medicina verſatur circa corpora inſanabilia , ut ea diſtinguat à ſanabilibus , ut præſervet quantum ſit poſſibile à morte, ut corrigat eorum accidentia, & ex hoc partim æger ad ſanitatem reducatur.

RESOLVTIO XI.

Vtrùm medicina Dogmatica indigeat fortuna?

§. I.

Fortunæ acceptiones variæ ; affirmantis opinionis ponuntur fundamenta.

Aliquibus viſum fuit : Quod medicina ſe ſola nequit perfecte proſequi curationes ſine concomitante fortuna: unde communiter apud vulgum eſt receptum : quòd *oportet Medicum eſſe fortunatum* ; & quòd oportet ad ægroto convocare quoſdam medicos quos ignaros in medicina cognoſcunt quia fortunato eſſe credunt ſine ſcientia. Hæc vulgari opinio videtur pro ſe habere Hippocratem, ita *libro de decenti ornatu* dicentem ; *Morbos tum à natura, tum à fortuna mutari.* Cornelius Celſus *lib. 3. cap. 1.* inquit : *in nullo quidem morbo minus fortuna ſibi vendicare poteſt quàm ars.* Plato *lib. 1. de lege* inquit: *Si quis humana omnia fortunis agi in navigatione , medicina & militari imperio affirmaverit rectè videtur dicere.* Seneca *libr. 4. de Beneficiis,* inquit ; *multos fortuna ſanat; ſed neque adeò remedia ſunt* , ex quibus videtur ſuaderi, indigere medicinam fortuna.

Variæ ſunt fortunæ acceptiones, ex quibus hæc poſſent verificari : aliqui, ut tenet Roſellus, fælicitatem vocabant fortunam, quam in medicina & aliis artibus requiri nullus dubitat. Alii prudentiam eſſe fortunam dicunt, de qua Hippocrates *libr. 1. Prognoſticorum* dicit: *Medicum uti providentia ut mihi videtur optimum eſt.* Plerique naturam vocant fortunam , quæ pro medicina eſt neceſſaria; nam *Medicus eſt imitator naturæ,* & eſt *Miniſter naturæ,* & eſt *ipſa natura morborum curatrix.* Alii Deum fortunam vocant; ſine cujus concurſu nihil medicina operatur : ſic Boëtius *de conſolatione* inquit: *Atqui inquam nullum exiſtimarim modo ut fatuita temeritate tam certa moveantur , verum operi ſuo conditorem præſidere Deum ſcio :* & Montanus inquit : *Si fortunam definis , requirenda eſt eventus cauſa, Deus ſcilicet.* Qui tenent fortunam eſſe numen, vel Deam quandam , fictitiū quid proponunt, ut inquit Juvenalis:

Nullum

Nullum numen adeſt: ſi ſit prudentia: Sed te
Nos facimus Deam Cœloq; locamus in alto.

Ariſtoteles *lib. 2. Phyſicor. cap. 2.* fortunam docet eſſe cauſam per accidens, quæ acceptio communis eſt apud Philoſophos, & juxta hanc acceptionem fortuna indiget medicina Empirica, quę per ſolam ſimilitudinem adinvenit remedia; & Methodica quæ è rationibus communibus deſumit indicationes tantum. Paracelſius fortunæ nihil tribuit, inquit enim *in libro Paragrani. Non eſt fortuna qua non habeat cauſam, & ſuam præſcientiam apud Medicum peritum. Quid aliud eſt fortuna quam ſervato ordine notam habere naturam? Quid infelicitas, quam contra naturæ ordinem rem aggredi. Itaq; infelicitas eſt inſcitia; felicitas verò peritia.*

§. II.

Sancitur: quod dogmatica medicina non indiget fortuna.

Reſolvendum. Quod medicina dogmatica non indiget fortuna: tenet à Keyes *in Elyſio Campo jucundarum quæſtionum 17.* Roſellus *in lib. de differentiis & cauſis morborum.* Julius Cæſar Benedictus *in ſuis epiſtolis.* Rodericus à Caſtro *lib. de Medico Politico.* Lemosſius *lib. 11. Methodi c. 1.* Meybonius *Commentario in jurejurando Hippocratis.* Freytagius *lib. 2. p. 3.* Doringius *de medicina & Medico.* Ballonius *lib. 1. Conſiliorum Medicor.* Mindererus *in Threnod. Med. cap. 4.* Zacutus *lib. 4. Hiſtor. Princip. Medicinæ hiſtoria 1. q. 1.* Scidelius & Joannes Matthæus.

Probatur primò ex Ariſtotele: Tum *lib. 2. Phyſicor. & lib. 2. Magnorum Moralium,* ubi inquit: *Fortuna in ejuſmodi re eſſe videtur, ubi nec mens ulla, nec recta ratio eſt:* Hæc ex Moralibus: in Phyſicis verò ſic habet: quòd *fortuna eſt cauſa per accidens,* & quòd *fortuna & intellectus circa idem verſantur, quanquam accidat fortuna, ob defectum intellectus, qui non poteſt prævidere omnia futura, ne quid accidat præter ejus intentionem.* Plato in Gorgia dicit: *Fortunam eſſe inimicam arti; Sociamq; imperitiæ.* Div. Thomas dicit, quod *fortuna eſt cauſa per accidens, ut in paucioribus præter intentionem in iis quæ ſunt præter finem, & à propoſito:* Galenus *in exhortatione ad bonas artes,* dicit: *Rationis vim negligentes caducarum rerum ſtudio teneri, ac ſpretis artibus, nos improbæ fortunæ committere, quæ plerumq; bonis viris poſthabitis, quorum oportebat adhibere rationem, locupletat indignos, non conſtanter, ſed tantiſper, donec pari qua dedit temeritate rurſus eripiat.* Ex quibus patet, nullam eſſe vim fortunæ, ob quam poſſit eſſe ex uſu medicinæ dogmaticæ.

Probatur 2. ex Hippocrate *libro de locis in homine. §. Medicina itaq; mihi, jam tota inventa eſſe videtur, quæ ſic habet, & quæ docet ſingulas & conſuetudines & occaſiones; qui enim ſic medicinam novit, minimè fortunam reſpicit, & citra fortunam, & cum fortuna rectè operatur. Conſtans enim ac firma eſt tota medicina, & doctrinæ optimæ in ipſa compoſitæ, minimè fortuna egere apparent: nam fortuna ſui juris eſt, & nullius imperio ſubeſt, nec operantis eſt ad ipſam pervenire,* & ſuperaddit: *Deinde verò quid opus eſt medicina fortuna, cum clara ſint & manifeſta morborum medicamenta: Si verò exhibere: ipſa cum fortuna prodeſt, non magis medicamenta quam quæ non ſunt medicamenta ſanos facient, ſi cum fortuna in morbis porrigantur:* Et infra: *Mihi verò fortunatè aſſequi, item infor-*

infortunatè non aſſequi videntur, qui rectè quid, vel malè facere ſciunt. Fortunatè enim aſſequi eſt rectè facere, non aſſequi autem, ſi quis non ſciat, hoc non rectè faciat: quomodo fortunatè aſſequi poterit, & libro de arte: quaſi ex iis concludit: *Bonam ægrotis fortunam contingere, ſi in bonum: malam ſi in malos incidant Medicos.* Hæc confirmat Menander dicens: *Omnibus quidem benè ſapientibus auxiliatur fortuna.* Ergo dogmatica medicina nullo indiget auxilio fortunæ.

Probatur ex dictis ratione: Fortuna eſt cauſa per accidens, quæ contingenter attingit eventum. Medicina dogmatica (ut probavimus) eſt ſcientia quæ demonſtrativè deducit, quidquid agendum ſit, ergò hæc illa non indiget, cùm evidens ſit, quod ad ſui certitudinem fortuitis non indigeat.

§. III.

Quid dicendum de dubitandi rationibus?

VUlgaris opinio, & authoritates nihil convincunt in oppoſitum; niſi quod oportet Medicum Empiricum, aut Methodicum eſſe fortunatum: quia cum ab arte non poſſit ſequi ſecurè ſalutem, per accidens debet illam expectare: non verò Dogmaticus, qui ratione, intellectu, & demonſtratione illam proſequitur; & juxta hæc Hippocrates dicit curari morbos aliquos à fortuna, alios à natura, dum curantur ab imperito Medico, qui nequit illos ſcientificè curare. Cornelius Celſus etiam contendit; quod ſi ſit ars ſcientifica, fortuna minus utilis, cum ſine illa ars operetur ſanitatem. Plato contendit: quod propter ignorantiam Profeſſorum poteſt fortuna in navigatione, medicina, & militari imperio agere: non autem ſi apertiſſimis horum opera exequantur: quia tunc omnia à propriis artibus rectè fient, & nihil à fortuna, id eſt per accidens.

RESOLVTIO XII.

Vtrum medicina habeat remedia, per quæ poſſit hominis vita prorogari in ultimum terminum vitæ præfixum?

§. I.

Proponitur ſtatus difficultatis, & vitæ communis terminus; fulcitur pars negativa.

ARiſtoteles vitam definit: Quod ſit *permanſio calidi in humido*: per calidum intelligit innatum, per humidum, radicale, de quibus diſputavimus latè, *p. 1. Reſolut. medicar. diſput. de calido innato.* Eſt tamen hominis vita permanſio animæ rationalis in corpore humano. Hujus permanſio non omnibus æqualis. In prima mundi ætate fertur; homines ultra nonum centeſimum annum vitam prorogaſſe, licet varient plerique in annorum conſignando tempore, ſaltem temporis progreſſu conſtat, coarctatum fuiſſe vivendi tempus hominibus. David inquit: *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur dies annorum noſtrorum in ipſis Septuaginta annis, & Eſaï anni ſeptuaginta. ſicut dies Regis unius.* Ultra hunc terminum alium determinare videtur ſacra pagina. *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt, eruntque dies illius centum & viginti anni*, & Moyſes inquit; *Centum viginti annorum ſunt hodie: non poſſunt ulterius progredi & egredi.* Nec

intra

Digitized by Google

intra hos contineri annos terminum vitæ hominis viderunt aliqui, unde Divus Auguſtinus *lib. 15. de Civitate Dei*, poſſe hominem ultra progredi contendens docet: Sacram paginam conſignaſſe vitæ terminum punitorum, non abſolutum hominis vitæ debitum terminum.

Abſolutus vitæ hominis terminus, ut tenet Gisbertus Boëtius, alter à Deo decretus eſt abſque ullo reſpectu ad cauſas ſecundas naturales, qui immutabilis eſt, alter eſt præfixus à Deo cum reſpectu ad cauſas ſecundas naturales, qualis eſt permanſio animæ in corpore juxtà permanſionem calidi in humido, qui terminus variari poteſt, nec neceſſario debet contingere intra aſſignatum à ſcriptura terminum, ut tenent Valleſius *lib. de ſacra Philoſophia*: Apollinarius, Caſſiodorus, Hayman Lyranus, Ludovicus Vives, Auguſtinus Dalechamp, & Lactantius: de hoc vitæ termino juxta cauſas naturales homini debito inquirimus modum, quo poteſt à medicina dogmatica prolongari.

Claudius Deodatus *in ſuo Pantheo Hygiaſtico*, plures proponit rationes comprobantes, Dogmaticam medicinam, nullam poſſe præſtare opem pro vitæ præfixo termino conſequendo. Cujus hoc eſt præcipuum fundamentum: Vita hominis ita eſt fragilis, ut nullis poſſit ſubſiſtere fulcimentis; ergo nequit ope medicinæ ſuſtineri. Probatur antecedens, tùm ex ſacra pagina locis citatis; ex quibus apparet vitam abbreviatam, & ſi ob punitionem, cùm ſepties juſtus peccet in die, nemo poterit auxiliis medicinæ præſervari; Tum quia ex *Eccleſiaſtico: Omnis poteſtatum brevis eſt vita*: & Pſaltes. *Notum fac mihi finem meum & numerum annorum meorum: ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, recordatus eſt quoniam pulvis ſum.* Et docetur in ſacris Literis: quod hominum vita eſt fugax ſicut fumus, ſicut inanis umbra, ſicut ventus volatilis, ſicut bulla fragilis: Ex quo apparet, nullis poſſe auxiliis detineri. Tum idem conſtat ex variis eventibus, & exemplis. Rex Xerxes infinitam hominum multitudinem ſui exercitus videns flevit quia poſt paucos annos nullus eorum futurus eſſet ſuperſtes. Anacreon fugacē vitæ durationem oſtendit, ſtrangulatus deglutito acino vinaceo: Et Fabius Senator mortuus eſt ex pilo in lacte deglutito. Alcibiades, Theobaldus Gallus, Titus, & Dei flagellum, Attila, Aſtulphus Imperator, repentè extincti ignotâ cauſâ, ſicut Amurates Turcarum Imperator. Zeuxis anima ſpoliatur, dum videt vetulam à ſe depictam: Alii mœrore obiêre, alii gaudio. Chryſippus eſt riſu exolutus; quia vidit aſinum in ſporta ficus comedentem; Philemon, quia vidit Milum vino inebriatum. Tum comprobat hominis confirmatio ex terra, ex elementis, ex contrariis qualitatibus mutuò ſe corrumpentibus; ex quo Hippocrates *lib. de natura humana*, demonſtrat: hominem continuò corrumpi, & ſacra Pagina ejus fragilitatem, *Geneſ. 3. Eccleſ. 10. & 33.* & Divus Gregorius Nyſſenus, *lib. de beatitudine*, inquit: *Non erubeſcit terra ſtatua mox pulvis futura, qui in bulla modum brevi duraturum in te tumorem contines, te ſuperbia repleri faſtuq; tumere.* Solon dicit de homine, quod *eſt putredo in exortu, bulla in omni vita, eſca vermium in morte.* Phocides: quod *ſit corpus ex terra, & labitur in illam.* David *Pſalm. 143. Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies ejus ſicut umbra prætereunt.* Tum quia continuò opponitur vitæ homi-

hominis inevitabilis corruptio per calorem: Unde Hippocrates ait: *Calor qui nos vivificat, nos occidit*: Continuò opponuntur animæ paſsiones ab arte irreparabiles. Cœli oppoſiti influxus, continua excrementorum alteratio, & inevitabilis aëris immutatio, ſine quo nec reſpirare licet, nec vivere: quia ex Ariſtotele: *Animal vivere, & non reſpirare impoſſibile eſt.* Opponuntur vitæ varii occurſus rerum inevitabilium, inedia, fatum, fortuna, venenoſæ plantæ, & animalia, hominum inſidiæ, vis, violentia. Tum quia Medici ob vitę brevitatem & artis longitudinem illam nequeunt comprehendere, & ſi comprehendant ex Hippocrate: *Oportet non ſolum Medicum ſe præſtare opportuna facientem; ſed ægrum aſiſtentes, & reliqua exteriora*: Et victus ratio non eadem ſemper, in cibo, & potu variatur quotidie temperies, anni diverſitas, regionis, exercitii diverſus uſus, & alimentorum præparatio nos aliter alterant & immutant: ergò implicat poſſe medicinam præſtare ſubſidium quo poſsit homo pervenire in terminum vitæ, ſibi conceſſum ex ordine cauſarum naturalium.

§. II.

Naturæ conatus ſæpè conſequitur ultra communem ordinem, vitæ durationem, & alias accidentales perfectiones.

RESolvendum primò. Quod natura avida conſervationis, & perfectionis hominis ſæpè ultra communem ordinem progreditur.

Probatur de vitæ duratione. Paracelſiſtæ nugantur: poſſe hominis vitam prorogari in 1900. annum: Sed Sacra Pagina docet, Adam vixiſſe 930. Seth 912. Milalaël 895. Jared 962. Mathuſalem 969. & poſt diluvium Noach 950. Lamech 777. Sem 600. Tare 175. Iſaac 180. Jacob 147. Levi 137. Job 140. Aaron 104. Moyſes 120. Profanæ Hiſtoriæ referunt plures ultra communem terminum vixiſſe. Poëta Anacreon tenet Argentoricum vixiſſe 150. annos. Cynara fertur vixiſſe 160. Sabellicus obſervat Indos aliquos vixiſſe 130. annos. In Aquilonaribus regionibus plures vivunt 170. annos, ut tenet Olaus Magnus; In Arabia 120. ut tenet Barthemia Cel. à Veneta refertur viſum Senem 300. annorum in portu Mudaſara. Lucianus idem refert de Incolis Orientis, & Veroſius idem vixiſſe tenet Sanctum Severinum. Ex quo patet, non annis preſcribi ubique vitæ terminum, ſed variari in regione, in ſexu, in temperie, cum quadam latitudine, quia præter decretum Dei terminum abſolutum, qui immutabilis eſt, dum ſe accommodat ejus decretum cauſis naturalibus, eſt diverſus; nam iſtæ ſunt diverſæ, externæ, quæ pendent ab aëre, à cauſis alterantibus; à varia victus ratione, & rerum uſu non naturalium: Sunt & internæ, ut generationis principia, ex quibus fit humidum radicale varium juxta eorum diverſitatem & calidum innatum. Patet 1. quod natura luxuriet in aliis, præcipuè in proceritate corporis, ut apparet in Gigantibus, quos ſacra Pagina fuiſſe docet multum in magnitudine exſuperantes ſuper communem hominis ſtaturam, quæ extenditur ad ſeptem pedum longitudinem, ultra quam tempore Claudii viſus fuit, qui excedebat novem pedes. Solinus in Indiæ populis quoſdam homines dicit fuiſſe quaſi elephantes. Iſidorus, *lib. de admiranda*

Digitized by Google

miranda rerum natura, in occiduis partibus refert viſam puellam ſtaturæ integri cubiti, ſupra ſtaturam majoris hominis. Pigaffeta Armeniæ Gigantem narrat fuiſſe exuperantem à cingulo ſupra reliquos homines. In freto Magellanico fuerunt plures, quorum cervix dimidii brachii habebat longitudinem: narratur apud Chinas Pagin cuſtodes fuiſſe Gigantes longitudinis quindecim pedum. Divus Auguſtinus vidit dentem Gigantis molarem, qui centum ex noſtris adæquabat.

§. III.

Non omnes valet medicina impedire cauſas accelerantes præfixum vitæ terminum.

RESolvendum ſecundò. Quod ſunt plures cauſæ accidentales impedientes poſſe pervenire ad vitæ terminum præfixum juxta cauſas naturales; quas nequit dogmatica medicina impedire. Probatur ex eventibus inopinatis ſupra adductis, ex quibus ſubitò pluribus fuit ſublata vita. Tum quia nequit Medicus impedire peccata reliquorum, ex quibus à Deo vita abbreviatur, inquit enim Divus Gregorius: *præfixit dies ſingulis ab æterno Dei præſcientia, nec augeri poſſunt nec minui, niſi aut optimis operibus longiores fiant, aut peſſimis breviores*, & *in Exodo 23. Servies Domino Deo ..., & numerum dierum tuorum explebo*; & ... 10. *Timor Domini apponet dies, & anni proborum abbreviabuntur.* Tum incontinentes homines vitam breviorem reddunt, quod Plinius & alii demonſtrant ...erientiis, & ex brevi vita animalium, ...e multum luxuriæ dantur: Laxantur ...n vires conſervativæ & robur, & ideò ...es, qui continentes fuerunt poſt nonageſimum annum vigorem retinere ad generandum, & ad ſui conſervationem, tenent Rhaſis ad *Almanſorem lib. 9. c. 28.* Plinius *lib. 7. c 14.* Avenzoar *lib. 2. Theyſir. tract. 2. c. 1.* Matthæus de Gradi in Rhaſim. Tum quia ex veneno occulto ab homine exhibito, ab animali contracto, aut à plantis, ſeu mineralibus, ex vulneribus, ex domus ruina, ex inevitabilibus paſſionibus animæ & aliis, quæ nequeunt prævideri, niſi à Divina providentia, & ex morbis nulla auxiliorum vi exuperari valentibus manet medicina impotens violentam vitare mortem. Ergo plures ſunt inopinabiles & inevitabiles cauſæ, quas nequit dogmatica medicina impedire, quo minus præfixum vitę terminum juxta cauſas naturales antevertant.

§. IV.

Qualiter medicina poſſit coadjuvare conſequutionem vitæ præfixi termini juxta ordinem cauſarum ſecundarum?

RESolvendum tertiò: Quod vitæ terminus à Deo præfixus juxta ordinem cauſarum naturalium, poteſt ope medicinæ coadjuvari & conſequi.

Probatur: Medicina poteſt in hunc finem coadjuvare mediis cauſis naturalibus in illum conducentibus; Sed plures ſunt cauſæ naturales conducentes in hunc finem: Ergo poteſt conſequi à medicina dogmatica. Probatur minor: Tum ex *Geneſi cap. 2.* conſtat fuiſſe in Paradiſo lignum vitæ dictum, quia conducebat fructus ejus in hunc finem, & ideò dixit Deus: *Ejiciamus Adam è Paradiſo, ne fortè mittat manum ſuam & ſumat de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Tanta enim erat illius virtus,

Digitized by Google

ut poſt Adæ lapſum poſſe prolongari vitam eius fructus eſu per decem millia annorum, tenent Divus Thomas *1.p. q.97.* Scotus *in 2. ſentent. diſt.* 19. Bellarminus *lib.3. Contr.* Valles *li.de Sacra philoſophia.* Tum quia ut tenent Marſilius Ficinus *lib. de vita productione*, Cardanus *de vita longitudine*, Savanarola *tract.6.cap.21.* Sunt plura, quæ ſua virtute vires roborant: & ut alimenta ſubſtantiam reponunt, per quam poſſit vita retardari. Tum quia mors naturalis provenit ex varijs cauſis, quas neceſſariò illam inducere probavimus *p. 1. diſput.de cauſis mortis naturalis*, quæ omnes licet nequeant ex toto impediri, poſſunt tamen retardari ex uſu contrariorum illorum. Tum quia plerique cum debito uſu rerum non naturalium conſequuntur à natura ducti vitæ terminum longiſſimum; Ergò potiori jure cum adjuvamine dogmaticæ medicinæ, quæ ſcientificè id docet. Tum quia Galenus *lib.de ſanitate tuẽda*, docet modum, quo quiſque poſſit ſe præſervare, & ſecuriùs poſſit unamquamque ætatem pertranſire conſervando debitam in illa ſanitatem, ergò ex eiſdem præceptis valebit medicina conſequi vitæ prolongationem. Tum quia medicina curat, & impedit morbos deducentes hominem in ſenium ex morbo, ut hecticam, & alios morbos inducentes Maraſmum: Ergò poterit retardare per ſimilium rerum uſum à Senectute prouenientem Maraſmum. Tùm quia: cùm vitæ conſervatio, & prolongatio ſtet in conſervatione calidi in humido, poteſt hanc docere medicina, ſive reparando hæc principia per alimentum ſimile, ſive impediendo plures cauſas evitabiles, per quas continuò reſolvuntur violenter. Tum quia vitæ conſervatio magna ex parte pendet, ex debito uſu rerum non naturalium, qui à Dogmatica medicina exactè poteſt cognoſci, & præſcribi, ergò & conſequi conſequutio termini vitæ præfixi juxta cauſas naturales. Tùm quia Adeodatus, & alij Spagyricì promittunt elixir, magiſteria, & alia plura medicamenta, per quæ humidum radicale poſſit conſervari, quibus Dogmatica medicina valet uti.

Dices: Quod nullum eſt tale medicamentum: quia principia conſervationis vitæ, quæ ſunt calidū innatum, & humidum radicale, fiunt ex principijs generationis ſanguine & ſemine, & à facultate formatrice fabrefiunt, & ideò poſtquam ſunt ſemel conformata, nequeunt iterùm reſarciri, alias fieret homo immortalis.

Contra ſtat: Quod licet nequeant reproduci, poſſunt tamen præcaveri quominus properanter reſolvantur, invertantur aut conſumantur à cauſis morbificis à quibus ſemper oppugnantur, vel ab indebito uſu rerum non naturalium, cui debitus opponitur earum uſus à quo diu conſervantur & retinentur.

§. V.

Nequit omninò præfixum vitare terminum medicina.

Reſolvendum quartò: Quod Dogmatica medicina, nequit omninò vitare præfixum terminum vitæ juxta ordinem cauſarum naturalium, ſic tenent Martinus Panſa, Valleſius, Villanova, Cardanus & omnes Medici, qui diſputarunt de cauſis mortis naturalis, & nos *ibid.* demonſtravimus. Probatur: Tum quia ex Divo Paulo *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori*; Sed hoc non præcisè à morbo, aliave violenta cau-

ſa,

ſa, ergo ob inevitabilem præfixum vitæ terminum. Tum patet ex Hippocrate docente; quod *calor, qui nos vivificat, nos occidit*; cujus actio, quæ eſt noſtræ ſubſtantiæ reſolutio, cum ſit inevitabilis, inevitabilis etiã eſt vitæ præfixus terminus. Tum quia demonſtrat Ariſtoteles; quod naturalia entia habentia ortum, neceſſariò habitura ſint finem. Tum quia potentia finita qualis eſt conſervativa hominis, non poteſt operari in infinitũ, & ideo conſervationis debet habere præfixum terminum. Tum quia calidum innatum, & humidum radicale conſervantia vitam, cùm continuò reſolvantur, & nequeant iterum ſub illo homine produci, debent neceſſario finiri, & terminus illorum vitæ præfixus eſt, in quo tempore ultra progredi nequeunt, ergò nullis valet auxiliis dogmatica medicina hunc præfixum vitæ prolongare terminũ.

§. VI.

Fit ſatis prò Adeodato propoſitis fundamentis.

AD rationes dubitandi reſpondetur: quòd probant hanc ultimam concluſionem, & quod non poteſt medicina impedire, quo minus tandem reſolvantur, & finiantur cauſæ conſervativæ vitæ, quod tempus eſt præfixum illius vitæ terminus à Deo juxta ordinem cauſarum naturalium. Non tamẽ probant, quòd in vitæ progreſſu non poſſit medicina uſu rerum non naturalium, & curando morbos impedire, quominus antevertatur mors, & impediatur vitæ conſervatio, uſq; in illum præfixum vitæ terminum juxta ordinem cauſarum naturalium, & probat nobiſcum non poſſe à medicina omnes mortis vitari cauſas.

RESOLVTIO XIII.

Vtrum medicina valeat ſenectutem retrahere ad progreſſas ætates?

§. I.

Paracelſi ridicula proponitur opinio.

PAracelſus à Dæmone inſtructus in impoſturis conatur ſuadere, poſſe vitam jam ad ſenectutem deductam medicamentis retrotrahi ad progreſſas ætates, ita ut ſenex reddatur juvenis, cum ſuo præcipuè Mercurio vitæ, cujus impoſturas redarguit Joannes Freytagius, ridetque, quod etiam contendit, metalla convertere in primam materiam & ſenio confectos in pueritiam; Valleſius, Peramatus, Francus, Panſa & Cardanus demonſtrant impoſſibilitatem, Lorichius reprehendit, quòd nequierit ſe præmunire à morte in conſiſtentia; in hoc Epigrammate:

Si præcox Medici mors ſcandala præbet oportet,
Scandala præbuerit mors, Paracelſe, tua:
Nam dum Neſtoreum promittis pluribus ævum;
Ipſe prius letho præveniente cadis.
Ridiculum Medicum! Si vis Panacæa ſenectam
Conferat ut reliquis, ne moriare prius.

Senectus eſt menſura durationis hominis ſub frigido & ſicco temperamento ratione annorum adquiſito; in qua ætate omnes marceſcunt reliquarum ætatum florentes actiones, & ut canit Poëta à Deodato citatus: *---Barba comaque,*
Canitie poſita, nigrum rapuère colorem,
Pulſa fugit macies, abeunt pallorque, ſitusque,

Adje-

Adjectoque cava ſupplentur corpore ruga,
Membraque luxuriant, Æſon miratur, & olim.
Ante quaternos hunc ſe reminiſcitur annos.

Inter Paracelſiſtas Deodatus Paracelſi opinionem conatur ſuſcitare varijs poſitis fundamentis, quæ Francus repetit, varijſque hiſtoriis in hujus confirmationem adductis, Torreblanca, *lib.3. de jure ſpirituali cap.12.* Pro eadem opinione plura adducit. Tum Primo. Quia Galenus *de ſanitate tuenda lib.5. & lib.2. Artis medicinalis* Marſilius Ficinus, *lib. de vita prodoctione*, & *lib. de ſtudioſorum vita tuenda.* Valleriola *lib. 3. de locis communibus*: Cardanus *lib. de vita longa*. Vallerius *lib. 6. Controuerſiarum* tenent: poſſe calorem innatum Arte medica ex vſu attemperantium conſeruari. Tum Secundo. Quia inter animalia ſunt plura, quæ ſenectute depulſa novam induunt juuentutem, quod homini non eſt denegandum ope medicinæ adjuto. Sacra Pagina. *Pſalmo 66, & 102.* & Iſaias *cap.4.* docent: Aquilam alas renouare, & juuentutem adquirere. Ariſtoteles, *lib. 8.* hiſtor. natur. docet: Serpentes Senectute relicta reduci ad juuentutem, de bombice & papilione, de ſilpha, & cicada, idem referunt alij Hiſtorici. Tum tertio. Quia multa latent remedia nondum inuenta, quibus poſſet calidum innatum reſarciri, vt tenet Marſilius *lib. de vita productione*, & Cardanus *lib de vita longa*; & in nouo orbe in inſula Bonica, ſcaturit ſons, cujus aqua deponit Senectam, & hominem reddit ad juuentutem, vt tenet Langjus, & ejuſdē virtutis fontē reperiri in Lucazan in Peru, tenet Petrus Zieza *p. 2. Hiſtoria Peru*, & Marſilius tenet apud Indos Mirabolanos [illegible] producere effectum. Pherecides tenet, Medeam cū ſanguine recente Iaſonem reddidiſſe juuenem. Tum Quarto. Quia Tarenti fertur Senem à Senectute reditum ad juuentutem, & Caſtellæ apud Riojam idem alteri contigiſſe tenet Torquemada, & in Monbredo, in Regno Valentiæ, Abbatiſſa menſtruis ſuperuenientibus reddita juuenis fuit cum eſſet in vltima ſenectute, vt tenet Valaſcus de Taranta, *li. 6. cap. 2.* Ferdinandus Caſtanneda *lib. 8. hiſtoria*, & Maphæus *de Hiſtoria Indica lib. 11.* tenent, Indum vixiſſe trecentos annos, & poſt centum vnumquemque rediſſe ad juuentutem relicta ſenectute. Tum quintò Quia dæmoni ſaltem non eſt incognita ratio reparandi calidum innatum, & adquirendi illud de nouo, & conſequenter cum hoc ſit ſcibile, poterit inueniri à medicina, immò & inuentum hoc eſſe contendit Paracelſus, intēdens ad hoc conferre ſuum Mercurium vitæ, & Deodatus maxime illi aſſentitur, & Haſſo Spagyricus, ſeu potiùs Paracelſiſtica dicebat, ſuo quodam elixir vitæ quendam Senem ad juuentutem fuiſſe reſtitutum, Torquemada idem aſſirmabat contigiſſe cuidam ſeni Taurentino cum ſuo elixir vitæ: Ergo fatendum poſſe medicinam hominem Senectute relicta ab ipſa ipſum reuocare in juventutem.

§. II.

Medicinæ vim rejuveneſcendi hominē denegamus.

Reſoluendum: Quod implicat, quod poſſit homo ope medicinæ Senectutem adquiſitam denudare & in antecedentes ætates retrotrahi, ſic demonſtrauimus. *p. 1. Reſolut. Medicar. diſput. de mortis naturalis cauſis.*

Pro-

Probatur à Galeno *lib. de Maraſmo c. 4.* :: *Si igitur facere potuiſſet natura, ut poſtquam animal, vel ſtirpem ad vigorem uſque perduxiſſet, aliam rurſus viribus parem inferret elementationem: hoc itaque duntaxat modo ſine ſenio ac corruptione ejus perduraſſet fabrica.* Tum ſecundò: ex Hippocrate: *calor qui nos vivificat, nos occidit*: Sed nequit homò ſine calore vivere per totum ætatis decurſum, nec abſolvi ad hoc quod continuò hic reſolvat calidum innatum, humidum radicale, ex quorum conſumptione provenit Senectus: ergò nequit medicina Senectutem in antecedentes ætates permutare.

Probatur ſecundò: ut probavimus. *p. 1. reſolut. Medicarum diſputat. de cauſis mortis naturalis.* Calidum innatum, & humidum radicale, in quorum permanſione ſtat vita, & in quorum inverſione ad frigidum & ſiccum temperamentum ſtat Senectus, poſtquam reſolvuntur, & homo tendit ad Senectutem nullo auxilio humano poſſunt ſarciri, ergo nec homo ad antecedentes ætates reſtitui. Probatur: quia fiunt ex ſeminali ſubſtantia & generationis principiis à facultate conformatrice, ergo cum hæc ulterius non ſit poſſibilis pro ſemine generando: nec illa principia quæ in utero fuerunt, poſſunt ulterius coadunari; neque hominis calidum innatum, aut humidum radicale reſtitui.

Probatur tertiò: nequit impediri tranſitus per ætates ad ſenectutem; quia nequit impediri reſolutio caloris reſolventis principia vitæ; ergo multominus poterit, retrahi temperies ſenectutis jam contracta.

Probatur quartò. Mutatio ætatum provenit, quia supervenit in unaquaque nova temperies naturalis ætativa ob reſolutionem partium materialium elementorum, quæ adquiruntur in conformatione hominis; ergo cum illi denegetur nova conformatio, denegatur etiam & implicat, quod fiat reditus ad temperiem ætativam ſemel amiſſam.

Probatur quintò. Qui adquirunt ſenium ex morbo, ut illi qui conſtituti ſunt in Maraſmo per febrem hecticam, ſunt incurabiles, ut docet Galenus *libro de Maraſmo, & in libris Methodi*; quia pabulum vitæ ſeu humidum radicale ſemel reſolutum, & conſumptum, nequit reſtaurari; Sed eadem currit difficultas, de partibus reſolutis à calore nativo in Senectute; ergo nequit fieri reditus ab illa in progreſſas ætates.

Probatur ſextò. Nullum valet medicamentum inſtaurare humidum radicale, ergò nec reducere hominem in quo in Senectute jam eſt deperditum in anteriores ætates. Probatur antecedens. Tum ex Galeno in principio id docente. Tum quia nequit alteratione recuperari, cum ſit ſubſtantia ut demonſtravimus, *p. 1. reſolut. medicarum*, quæ ex ſola alteratione non reponitur. Nec reponendo ſimiles partes, quia illud fit ex principiis generationis; quæ nullum poteſt præſtare medicamentum. Nec per alimentum præſtans materiam pro nutritione, quia repugnat tam perfectam reponere, qualem reſolvit calor, & ideò mors naturalis ſequitur, & nequit aliquid præſtare ſubſtantiam perfectiorem, quàm quæ deperdita eſt, & ideò nequit dari reditus in perfectiorem ætatem.

Probatur ſeptimò: ex Divo Paulo dicente: *Statutum eſt hominibus ſemel mori*; quod

Google

quod ſtatutum ſtatim debet fundari in neceſſitate perveniendi per reſolutionem partium, & deperditionem humidi radicalis ad Senium, cujus ultima pars eſt terminus à Deo præfixus homini dum ſe accommodat modo operandi cauſarum ſecundarum; Sed ſi medicina poſſet hominem à Senio liberare & reducere ad juventutem fieret immortalis, ergò contra ſtatutum à Deo id conſequeretur medicina.

Gaſpar Francus à Reyes convictus fundamentis ſupra propoſitis ex Deodato, & Torreblanca aſſentitur illis dicens: *Hoc pacto licet rariſſime, accidere tamen poteſt; ut humidum radicale, vel ex ſua natura, vel ex vitæ ſtudio talem elementationem ſortitum fuerit, ut ſenectute jam fractum, & quodammodo conſumptum ab intrinſeca ſui vi iterū ad initia & priſtinum vigorem recurrat.*

Sed contra eſt: Humidum radicale non poteſt adquirere elementationem ex principiis generationis, à quibus eſſe & vim recepit, per quam poſſit ſe defendere, quominus viribus deperditis labatur in ſenectutem. ergo poſtquam delapſus eſt homo in illam, jam confractus, & partibus humidis reſolutis, & ut ipſe fatur quodammodo conſumpto humido radicali, nequit ex intrinſeca vi ſe reducere ad vigorem, & ad ætates antecedentes, nec hoc fit niſi in utero commixto ſemine.

§. III.

Solvuntur fundamenta pro parte contraria adducta.

AD fundamenta contrariorū reſpondetur: Tum pro Primo. Quod Authores citati à Torreblanca contendunt dari aliquam elementationem perfectiorem, cum qua poteſt vita prorogari, non tamen abſurdum intendunt: quod ipſa deperdita alia nova poſſit adquiri, quia hæc ex principiis generationis, & à facultate formatrice poteſt tantum provenire. Tum pro Secundo. Quod animalibus accidit aliquibus non quod ab ætate provectiori in antecedentem reducantur, ſed quod in unaquaque mundentur ab aliquibus, quæ in illa ætate reproducuntur, ſicut homo à dentibus mundatur, & alii reproducuntur non tamen reducitur in infantiam. Tum pro Tertio. Quod Ficinus & Cardanus imaginarium promittunt remedium & impoſſibile, cum à naturâ nequeat conſequi, quod illud quod naturaliter neceſſarium eſt, non contingat & fontes, de quibus fit mentio & Aſtra, & influentiæ illius ſoli poſſunt diutius coadjuvare ad vitæ conſervationem, non tamen impedire præfixum vitæ terminum juxta cauſas naturales. Demirabolanis Indicis docet nos experientia purgare, non tamen à morte præſervare. Medææ hiſtoria Poëtica eſt. Tum dro Quarto. Quod Spagyrici ut ſua venditent medicamenta, ſæpe confingunt prædicta miracula, quæ à pluribus recepta ab Hiſtoricis, & aliis creduntur, vel quod fuerunt intra eandem ætatem à morboſo ſtatu in Sanum reſtituti aliqui, & ideò crediderunt reliqui ad anteriores rediiſſe ætates, & communiter dum aliquis fruitur bona valetudine, dicimus, quod reditus eſt ad juventutem, non quia ita judicent, dicentes, ſed ut ſanitatem cum majori hyperbole atteſtentur. Tum pro Quinto. Quod Dæmon non poteſt impedire, quominus homo habeat præfixum terminum ſuæ durationis à Deo juxta ordinem cauſarum naturalium; nec poteſt inſtaurare humi-

humidum radicale, quod ex ſolis principiis generationis, à generante poſſunt generari: Et caſus poſiti ex Paracelſiſtis ſunt meræ nugæ illorum, ut habent pro more.

RESOLVTIO XIV.

Vtrum medicina ſit Ars longa?

§. I.

Quid de aliis Sectis, quid de dogmatica medicina alii ſentiant?

PAracelſus ſuam ſectam & Spagyricorum remediorum operationem, ſine labore, & ebrius didicit à Dæmone: Spagyricam præparationem reliqui non conſequuntur, niſi labore & tempore. Mediorum impudentisſimus Theſſalus in ſex menſibus ſuam poſſe docere ſectam gloriatur. Empirica indiget tota vita, conſequitur enim uſu & experimentis. De dogmatica eſt difficultas, de qua dixit Hippocrates, *lib. 1. Aphoriſm.* quod *eſt Ars longa* reſpectu *vitæ*, quæ *eſt brevis*: hoc idem docet Galenus *in Comment.* Rhaſis 4. ad Almanſorem dicit: quod *vita eſt brevis* comparatione ad medicinam, ſi experimento ac literis adquiratur. Cardanus *lib. 1. cont. ad. 1.* tenet: quod *vita eſt brevis* comparativè ad medicinæ longitudinem; Si ipſa comparetur ad alias artes, quæ breviori inſequuntur tempore.

Galenus *lib. Definit. Medic.* docet: quod dogmaticus Medicus aptus ad exercendã medicinam eſt duplex: alter conſummatus, alter optimus: Conſummatus eſt, *qui in ſpeculatione & actione numeros omnes explevit*: Optimus, *qui in medicina omnia agit ratione recta.*

§. II.

Dogmatica medicina comparatur ad vitæ brevitatem.

REſolvendum primò. Quod medicina dogmatica ita eſt ars longa, ut præ vitæ brevitate nullus poſſit in illa pervenire ad hoc, ut ſit medicus conſummatus.

Probatur primò ex Hippocrate, 1. *Aphoriſm.* 1. *Vita brevis, ars longa.* Galenus in Commentario dicit, quòd adeò longa eſt medicina facta comparatione ad vitam humanam, ut impoſſibile ſit ab eodem homine, quantumvis diligente & ſtudioſo, poſſe ſimul Inchoari & abſolvi; Tum Hippocrates, *epiſtola ad Democritum* docuit. *Ego enim* (inquit) *ad finem medicinæ non perveni, etiamſi jam Senex ſim: neq; enim Inventor ipſius Æſculapius, ſed & ipſe in multis à ſeipſo diſſentit quemadmodum nobis Scriptorum libri tradiderunt.* Tum Galenus *lib. 3. de differentiis pulſuum cap. 1.* dixit: *Nam rerum cum ſit ea obſcuritas, ut ſi vel in triplum vita noſtra prorogaretur; nec tunc nos exactè omnia cognoſceremus: & hac adductus re Hippocrates dixit: Vita brevis, Ars verò longa.* Tum quia dogmatica medicina eſt ſcientia; ſed quævis ſcientia tam in ſpeculatione objecti, quam in varietate opinionum, & in obſcura cognitione & ſucceſſiva earum, ad quas ſe extendit doctrinas, progreditur in infinitum, & docemur experientia, in omni ætate novas ſuperaddi difficultates à Profeſſoribus; nec in antecedentibus quieſcere: ergò cum ex Galeno Medicus dogmaticus ut ſit conſummatus, debet eſſe inſtructus in omnibus ſcientiis, ſi pro una non ſufficit vita, nequibit per totam vitam conſummatus fieri. Tum quia

quia in ſola medicina debet medicus exactè cognoſcere res non naturales: naturales: & præternaturales, quæ omnium rerum, quæ ſunt ſub univerſo complent latitudinem. Tum quia cùm nullus ſit Author contemnendus; Omnium doctrinæ debent legi,& diſcerni, & cum innumeri ſint Authores,nequit ea, quæ ab ipſis traditur doctrina, exactè per vitam complecti. Tum quia quotidie novi apparent morbi, & infiniti adhuc incogniti ſunt; nec omnium cauſæ patefiunt; nec omnia morborum medicamenta, à natura enim producta nova continuò reperiuntur apud Indos,quæ ab arte fiunt, & à dogmaticis, & ab Spagyricis continuo nova elaborantur, ergo cum conſummatum vocet Medicum, qui in ſpeculatione & actione numeros omnes explevit; cum ii per totam vitam expleri nequeant, nequit medicus conſummatus reperiri.

§. III.

Medicus optimus in medicina dogmatica admittitur.

RESolvendum ſecundo: Quod non eſt ita longa medicina reſpectu eorum, quæ requiruntur, ut in illa fiat aliquis Medicus optimus, ut id non poſſit conſequi à pluribus.

Probatur primo. Quia Medicus optimus ex Galeno eſt, qui in dogmatica medicina omnia agit ratione recta, & præcipuè ut hæc agat,requiritur,ut ſit in illa inſtructus in univerſalium cognitione, & methodo & exercitatione particularium, in artis operibus præſtans, naturali prudentia præditus, judicio excellens, moribus admirabilis, modeſtia gravis, innocentia & vitæ integritate inculpatus, fidelis, juſtus, & nunquam à recto recedens, ſedulitate alacris,amore in ægros flagrans, ut ex libris Iſagogicis Hippocratis deducitur, quæ cum in medico dogmatico poſſint reperiri,poteſt reperiri &quod ſit optimus.

Probatur ſecundo. *Si quid obſtaret, ut* nequiret dari optimus dogmaticus Medicus: maximè, quia dogmatica medicina in hunc finem non poſſet conſequi; ſed eſt aſſequuibilis in hunc finem, ut Galenus, Hippocrates, Avicenna, & alii conſequi illam valuerunt, & alii innumeri, qui boni medici ab omnibus ſunt judicati. Tum id docuit Hippocrates, *lib. de locis in homine* §. *medicina itaque jam tota inventa eſſe videtur*. Loquitur de ſufficiente, ut poſſit Profeſſor illius eſſe medicus optimus, aliàs ſibi eſſet contrarius, qui ut vidimus nondum adeptam eſſe affirmavit, adhuc ut poſſit quis conſummatus medicus dici: & ſuperaddit, *quæ ſic habet: & quæ docet ſingulas & conſuetudines & occaſiones qui enim ſic medicinam novit minimè fortunam reſpicit; Sed citrà fortunam & cum fortuna rectè operatur* Ergo eſt optimus medicus.

Probatur tertiò; Tota medicinæ Dogmaticæ latitudo, Philoſophiæ ad ipſam requiſitæ, Chirurgiæ, Anatomiæ, Pharmaceuticæ, & artium illi deſervientium notitià, poteſt in octo annis per aſſignaturas decem & ſex actuum complecti, & defendi. Ergò hic medicus ſic inſtructus poteſt eſſe optimus. Probatur antecedens: poſſunt enim percipi & more ſcholaſtico in Dogmaticorum ſcholis defendi.

Sub primo anno in primo actu poſſunt defendi quæ pertinent ad elementa, temperamenta, humores ex Diagnoſi Medica, ad Oſſium hiſtoriam ex Anatome; ad corpus naturale, & illius principia mate-

giam,

riam, formam ſubſtantialem, & ejus privationem ex Philoſophia. In ſecundo actu quæ pertinent ad partes, facultates, ſpiritus, calidum innatum, & principia generationis ex diagnoſi medica: quæ ad cartilagines, vincula, membranas, villos ex Anatome, quæ ad quatuor genera cauſarum materialem, formalem, & finalem ex Phyſica.

Sub ſecundo anno, in primo actu poſſunt defendi, quæ pertinent ad coctionem & putredinem, ad morborum differentias, & cauſas; ad ſymptomata & cauſas, ac differentias eorum ex diagnoſi medica, quæ pertinent ad viſcera, ad glandulas, ad muſculos; ad hepar & illius inſtrumenta, ventriculum, inteſtina, veſicam felleam, lienem, renes, & venas, ex Anatome, quæ pertinent ad infinitum, locum, vacuum, & tempus ex Philoſophia. In ſecundo actu quæ pertinent ad pulſus, lotium, ſudores, ex Diagnoſi medica: quæ pertinent ad partes procreationis, fœtus formationem, vitam, partum ex Anatome, quæ pertinent ad ſpecies, motus, & proprietates, ſpecificationem, contrarietatem, velocitatem ex Philoſophia.

Sub tertio anno poſſunt defendi in primo actu quæ pertinent ad Criſes, tempora morborum, & dies decretorios ex diagnoſi medica; ad cavitatem vitalem, & animalem, ad arterias, & nervos ex Anatome; ad continui compoſitionem, maximum & minimum rerum & inceptionem, ac deſitionem earum, ex Phyſica. In ſecundo actu quæ pertinent ad febres, ex diagnoſi medica: quæ ad organa ſenſuum exteriorum, & interiorum ex anatome, quæ ad mundi perfectionem, unitatem, & æternitatem ex Philoſophia.

Sub quarto anno poſſent defendi in primo actu, quæ pertinent ad ſimplicium medicamentorum facultates, ad medicamentorum compoſitionem ex diagnoſi medica; quæ ad tumores præter naturam in communi, & ſecundum genera, ad phlegmonem, abſceſſum ex inflammatione, furunculum, carbunculum, gangrænam, Eſthiomenum, aunериſma; ad eryſipelatem, herpetem erodentem miliarem; ad œdema tumorem flatuoſum & aquoſum, atheroma, ſteatoma, meliceridem, ſtrumas ad ſchirrhum exquiſitum, ſpurium, cancrum, verrucas, ad tumores ex carnea ſubſtantia fungoſa, carnis extuberantiam ex Chirurgia; ad alterationis naturam, ſpecies, proprietates, conditiones; ad ſubſtantialem generationem ex Phyſica. In ſecundo actu quæ pertinent ad curationem in communi, victus rationem, ſanguinis misſionem, & purgationem; ad curationem morborum capitis faciei, ad libros prognoſticorum ex Diagnoſi medica; quæ pertinent ad tumores ſecundum locos capitis, & colli hydrocephalum, hordeolum, grandinem, polypum, parorydas, epulidē, & parulidem, ranulam, boccium, natam; ad tumores ventris, tumorem umbilici, herniā, bubonem, inflammationem Peritonæi; ad tumores artuum, varices, perniones, paronymachiam, ex Chirurgia; quæ pertinent ad intenſionem, & remisſionem, activitatem, & reſiſtentiam; actionem & reactionem ex Phyſica.

Sub anno quinto poſſent defendi in primo actu, quę pertinent ad ſex libros de locis affectis ex diagnoſi medica; quæ pertinent ad vulnera in genere, & in partibus ſimplicibus, tàm carne, venis, arteriis, nervis ligamentis, quàm organicis, capite, fa-

-cie, cervice, thorace, ventre inferiore, inguine, pene, teſtibus, utero, aut in femoribus & articulis, ex Chirurgia ad vulnera illiſa ſclopeto, ignariis machinis, & omni genere telorum; ad vulnera venenoſa ex morſu canis rabidi, & aliorum venenoſorum animalium, & ad omnes contuſiones ex chirurgia; & quæ pertinent ad animam vegetativam; ſuas potentias miniſtrantes & miniſtratas. In ſecundo actu, quæ pertinent ad libros methodi medendi ex diagnoſi medica: quæ pertinent ad ulcera in communi, & cum dolore, intemperie, cum callo, cum putredine, cum vermibus, cum fœtore, cum oſſe corrupto, cũ ſorditie, aut quod fit cacoëthes, vel quæ fiunt in oculis naribus, ore, tonſillis, auribus, aſpera arteria, œſophago, ventriculo, inteſtinis, renibus, veſica, utero, quę ad fiſtulas & hemorrhoïdes, ex chirurgia, quæ pertinent ad eſſentiam animæ ſenſitivæ, & potentiarum cognoſcitivarum in communi ex Philoſophia.

Sub ſexto anno: In primo actu poſſunt defendi quæ pertinent ad curationẽ membratim omnium morborum cavitatis vitalis, naturalis: ad varias facultates ſimplicium medicamentorum alterantiũ, repellentium, laxantiũ, reſolventium, emollientium, ſuppurantium, detergentium, carnẽ generantium, cicatricem inducentiũ, glutinantium, anodinorum, roborantium, ex diagnoſi medica: quæ pertinent ad cauteria actualia, potentialia, ſonranellas, ſetones, ex chirurgia, & quæ pertinẽt ad quinq; ſenſus exteriores ex Philoſophia. In ſecundo actu, quæ pertinent ad morbos mulierum, puerorum, & morbum gallicũ, peſtẽ, ex diagnoſi medica: quæ pertinent ad cadaver condendum ex chirurgia; & ad ſenſus externos, numerum, objecta, actus & organa, ex Philoſophia.

Sub anno ſeptimo poſſunt defendi: In primo actu, quæ pertinent ad libros de ſanitate tuenda, de alimentorum facultatibus, de cibis boni & mali ſucci. De Officina Medici ex Diagnoſi medica: quæ pertinent ad varios affectus chirurgicos communes omnibus partibus, caſu, inquam, ſubverſione, diſtenſione, offenſione, combuſtione aquæ, & rei ardentis, ablatione partis ſuperfluę, ſupplemento partis deficientis, phlebotomia, cucurbitulis, hirundinibus, & modo eis utendi ex chirurgia: quæ pertinent ad animæ rationalis eſſentiam, intellectum, utrumq; appetitum ex Philoſophia. In ſecundo actu: quæ pertinent ad morbos populares, contagioſos, peſtem ex Diagnoſi medica: quæ ad libros de fracturis, ad tineam, pilorum vitia, decorationem, palpebrarum laxitatem, & contractionem, ad agglutinationem, ad pruritum, ad oculi procidentiam, unguem fiſtulam lachrymalem, cataractam curtorum, chirurgiam narium, aurium, labiorum, ad aurium meatum occluſum, & elapſum in illum rerũ præter naturam, ad extractionem corporum adhærentium faucibus, quæ ad dentium affectus, & evulſionem; ad linguæ impedimentum ex chirurgia, & ad appetitum ſenſitivum, motumq; muſculorum ex Philoſophia.

Sub anno octavo: In primo actu poſſunt defendi, quæ continentur in libris artis medicinalis; de articulis ex Diagnoſi medica; ex chirurgia, quæ pertinent ad brevitatem, aut conſtrictionem præputii, ad glandem imperforatam, breviuſque penis ligamentum, calculumque renum, aut veſicæ, lotii ſuppreſſionem, partum Cæſa-

rium

rium; extractionem fœtus mortui in utero; ad digitos cohærentes, tophos, nodos, in Arthiride ſupervenientes, ex Philoſophia, quæ pertinent ad riſum, fletum, lachrymas. In ſecundo actu foret complenda univerſa medicina diagnoſtica rerum naturalium, non naturalium, & præternaturalium. Prognoſtica præteritorum, præſentium, & futurorum; curatio Diæterica Pharmaceutica, & chirurgica.

RESOLVTIO XV.

Vtrum medicina dogmatica variis inſtrumentis, ſeu medicis materiis utatur?

§. I.

Inſtrumentorum numerus dogmaticorum profertur.

DOgmaticæ medicinæ actiones ex Hippocrate ſunt adjectio & detractio quæ nos inquirimus, quibus inſtrumentis exequantur, & finis conſequatur.

Reſolvendum primò, Quod dogmatica medicina tribus inſtrumentis operatur, Diæta, Chirurgia, & Pharmaceutica. Sic fatentur omnes Dogmatici.

Probatur ex Galeno *lib. artis medicinalis cap.* I. *lib.* I. *Acutor. comment.* 6. *lib.* I. *localium cap.* I. docet, quod pro iis requiritur, ut Medicus illa eligat, & poſtea illis rectè utatur; adinvenit eligenda indicatione, ratiocinio, analogiſmo & experientia. Rectus eorum uſus ex Galeno, *lib. Definit. Medic. lib. artis medicinalis, cap.* 85. *lib.* 6. *Epidem. Comment.* 2. ſtat in eo: quod remediis inventis utatur in debita quantitate, cum debito modo, in tempore opportuno, & ſecundum debitum locum.

§. II.

Proponitur Diaterica partis neceſſitas, & uſus.

REſolvendum ſecundò. Quod pars Diæterica medicinæ docet modum rectè utendi ſex rebus non naturalibus, quæ ſunt Aër, ſomnus & vigilia, motus & quies, cibus & potus, quæ excernuntur, & retinentur, & animi pathemata.

Probatur ex Galeno, qui præcipuè *in lib. de ſanitate tuenda.* docet, quod hæ res non naturales aliquando ſe habent ex parte naturæ, aliquando ex parte morbi: Unde provenit: quod maximè attendantur à Medico. Quercetanus *lib.* Diæticon proſequitur, quidquid requiritur pro earum cognitione & uſu præter innumeros alios. Sed Galenus latiſſimè prius docuerat de aëre, quod poteſt conſiderari, ut alimentum, ſeu materia ex qua fiunt ſpiritus, & ut ſic *libro* 12. *Methodi cap.* 3. *libr. de tuenda valetudine cap.* 11. docet: quod debet eſſe purus, bonum odorem ſpirans. Vel conſideratur ut materia medicinalis, & ut ſic eſt calidus, frigidus; humidus, & ſiccus. Ut docet Galenus *libro nono Methodi cap.* 11.

De cibo ſimiliter Galenus *libr.* 8. *Methodi cap.* 3. *lib.* 3. *de temperamentis cap.* 2. docet: Quod alter eſt medicamentoſus, alter alimentum tantum. Si alimentum, reſpicit virtutem, à qua indicatur, ex Galeno *libr.* I. *de ratione victus* 44. Si medicinalis, vel refertur ad cauſam, vel ad morbum; Si ad cauſam, vel quatenus peccat putredine, pro qua conveniunt cibi refrigerantes, & deſiccantes, ex Galeno *libro* 11. *Methodi cap.* 4. Vel plenitudine & conveniunt cibi in parva copia, ut in morbis exactè peracu-

tis,

tis, quibus convenit victus tenuis, ex Hippocrate & Galeno, 3. *Aphoriſm.* 4. Si morbus attendatur, ut calida intemperies convenit ex Hippocrate victus humidus, & ſic de reliquis, pro eorum contrarietate.

Somnus & vigilia, uterq; ſi modum exceſſerit, malum: ex Hippocrate 2. *Aphoriſ.* 4. Somnus deficiens conciliari petit ex Galeno *lib.* 10. *Methodi cap.* 8. *& lib.* 12. *Methodi cap.* 3. *lib.* 1. *Simplic. & lib. local.* 6. econtra in vigiliis.

In excretis inquit Hali Abbas, 1. *Theor. Quod in habendo ventrem lubricum conſiſtit ſanitas:* Et idem tenendum de omni naturali excrementorum evacuatione, ex Hippocrate *lib.* 1. *de ratione victus* 32. ex Galeno 6. *lib. de ſanitate tuenda, cap.* 9. Ubi proponit modum, ſi exceſſerit, *lib. de locis, & ſecundum loca* proponit auxilia.

Quies poſt labores utilis, exercitium convenit uſque ad ſudorem, ex Galeno *lib. artis Medici* 87. *lib.* 6. *Epidem.* fit motus frictionibus, deambulationibus, navigatione, geſtatione; nocet hæc ventriculo pleno.

Animi pathemata omni tempore vitanda ex Galeno, *de tuenda valetudine lib.* 1. *c.* 8. omnia morbos excitare poſſunt, & accelerare mortem; ipſamque ſubitò inducere; quod etiam pleriſq; accidiſſe fertur in gaudio.

§. III.

Chirurgiæ medicinæ partis proponitur neceſſitas.

RESolvendum tertiò. Quod pars medicinæ chirurgicæ multa offert inſtrumenta pro morborum curatione.

Probatur: Nam materiæ medicæ chirurgicæ aliæ ſunt communes, aliæ propriæ: Communes vocantur illæ, quæ communiter ferè in omnibus modis requiruntur. Propriæ, quæ determinatis affectibus appropriantur; communes ordinantur ad corpus evacuandum ope manualis operationis, aliæ ſenſibiliter, aliæ inſenſibiliter; quæ inſenſibiliter, aliæ ſanguinem, aliæ alios ſuccos extrahunt: evacuant ſanguinem venæ ſectio, ſanguiſugæ, ſcarificationes, cucurbitulæ ſcarificatæ: ſuccum diverſum evacuant cauteria, veſicantia, inſenſibiliter evacuant cucurbitulæ ſiccæ, picationes, lotiones, vincula, balnea, frictiones, ſuperaddendæ ſunt operationes chirurgicorum per quæ vulnerum, ulcerum, tumorum, luxationumque proſequuntur curationes, ut docet Hippocrates *libro de iis*, quæ in medicina fiunt; quorum eſt munus unire, quod eſt ſeparatum; ſeparare, quod præternaturaliter eſt unitum, & conſumere quod eſt ſuperfluum, ut docet Hippocrates libro de morbis, quæ Chirurgus variis inſtrumentis exercet, quæ illi debent eſſe in promptu, ut docet Hippocrates *libro de decenti ornatu*, §. *Sint tibi inſtrumenta & machinæ præparata, & conſequenter ſertum: nam in iis penuria deprimentoſa eſt, & artem mancam faciunt.*

§. IV.

Pharmaciæ uſus & neceſſitas proponitur.

RESolvendum quartò. Quod Pharmacia, quæ docet modum ſeligendi medicamenta, præparandi & miſcendi, eſt inſtrumentum medicinæ dogmaticæ pro actionibus illius maximè utilis. Patet: Nam pro medicamentorum uſu, præparatione, & electione reſpicit eorum materiam & virtutes. Ratione materiæ medicamenta alia

alia ſumuntur ex plantis, alia ex mineralibus, alia ex animalibus. Horum virtus eſt facultas ex qua pendet eorum actio. Præparationes Dogmaticorum Pharmaceuticorum, fiunt lotione, purgatione medicamentorum; infuſione, humectatione, nutritione, maceratione, infectione, digeſtione, trituratione, decoctione, aſſatione, frictione, uſtione, extinctione, calefactione refrigeratione, inſolatione, diſſolutione, liquatione, molitione, duratione, ſiccatione, expreſſione, cribratione, colatione, filtratione, deſpumatione, clarificatione aromatizatione, conditurâ, ſal:turâ, diſtillatione, & ex ſimplicibus compoſita parat medicamẽta ſyrupos, ſuccos, ſapas, conſervas, condita, pulveres, ecglemata, electuaria, opiatas, pillulas, trociſcos, unguẽta, cerata, emplaſtra, ſpadrapa errhinna, peſſaria, ſuppoſitoria, clyſteres, epithemata, embrocas, linimenta, collyria, dropaces, veſicatoria, picationes, pſylotra, cucuphas, ſacculos. Spagyrici verò Pharmacopæi majori ignis vi, & arte plura alia præparãt medicamẽta calcinatione, ſublimatione, diſſolutione, reverberatione, aſſatione, inhumatione, incineratione, de quorũ uſu ſtatim diſputabimus.

RESOLVTIO XVI.

Vtrum medicina dogmatica pro materia medica ſub Pharmacia debeat admittere Spagyricorum remedia?

§. I.

Riolani, & Libavii diſſenſus & fundamenta non admittentium ſpagyrica medicamenta ponuntur.

PHarmaciæ propoſuimus operationes varias, & operationum diverſitatem inter Dogmaticos, & Spagyricos. Ex quibus patet: quod pharmacia, quæ modum docet, medicamenta ſeligendi, præparandi, miſcendi, & componendi eſt duplex: alia Dogmatica, quam inſtituit perfecitque Meſue, & elaborarunt plures; & inter Iuniores Ranodæus, Vueckeirus. Quercetanus in pharmacopæa reſtituta; & Auguſtani: Alia Spagyrica, quæ ut tenet Alſtedius, *tom.* 3. *lib.* 27. eſt artificioſa medicamentorum præparatio; *quæ Dogmaticam pharmaceuticam auxit, & variis, ac magnificis remediis inſtruxit.* Cujus fuit primus inventor Hermes Triſmegiſtus, adjutor illius fuit Lullius, & plerique Arabum; ſuſcitavit illam noſtris temporibus Theophraſtus Paracelſus, à quo paracelſiſtica ſolet vocari, quia ipſam ampliavit; & quia ipſam conatus eſt immiſcere ſuæ ſectæ, ſuiſque commiſcere impoſturis, & impiis doctrinis, ob quæ apud pleroſque male audit: ipſa tamen de ſe pars eſt Pharmaceuticæ, & ut tenet Beguinus in ſuo *Tyrocinio Chymico*: *Eſt ars corpora naturalia mixta ſolvendi, & ſoluta coagulandi, ad medicamenta gratiora, ſalubriora, & tutiora concinanda.*

Hæc medicamenta, an ita ſint utilia, & ſecura ut Dogmatica medicina debeat illa recipere tanquam inſtrumentum Pharmaciæ ad morbos curandos, ſub lite manet. Hæc ſuſcitata fuit inter Riolanum & Libavium apud Judicem Pariſienſem, conante Riolano ſpagyrica medicamenta exterminare ab uſu dogmaticæ medicinæ, Libavio verò ſuadente eorum uſum, neceſſitatem, præſtantiamque pro morbis curandis Dogmaticæ. Adhærent Riolano plerique uſque ad noſtra tempora, vel in odium Paracelſi, quia illis immiſcuit im-

pia alia, vel in odium Paracelſiſticorum, qui ſolis ſuis medicamentis fidendum eſſe contendunt, Dogmaticis relictis, vel quia experiuntur ex Spagyricis medicamentis plura ſubſequi incommoda ægris, fors, an quia non præſcribuntur à Dogmaticis, & rationalibus Medicis, ſed ab ipſis eorum operatoribus, qui lucri cauſa inſcii morborum, pro nutu offerunt, nequeuntes cognoſcere indicationem, quantitatem, utendi modum, tempus & occaſionem; nec morbos, quorum curationi poſſent prodeſſe: Ex quibus provenit, quod ægri pereant, & remedia infamentur, quæ aliis poſſent eſſe ſubſidium. Riolanus Pariſienſis forſan contra hos à Magiſtratu Pariſienſi obtinuit ſententiam, ut Spagyrici exules exirent è Civitate; & ſuorum medicamentorum uſus fuit interdictus in Regno. Edictum revocatum fuit poſteà Libavio pro arte Spagyrica reclamante: quia aliud eſt Artem eſſe utilem; aliud verò ejus abuſum eſſe pernicioſum. Riolani conantis medicamenta ſpagyrica exterminare, & inutilia eſſe pro Inſtrumento Pharmaceutico Dogmaticæ medicinæ, hæc ſunt fundamenta.

Primò: Quia Hippocrates, & Galenus, qui aſſecuti ſunt perfectiſſimè (ut *ſuprà* diximus) quod ſint optimi medici; immò & Magiſtri omnium medicorum optimorum, ſine Spagyricis medicamentis dexteritate omnimoda, cum dogmaticis auxiliis uſi ſunt illis: ergò fruſtrà ſunt addenda medicamenta ſpagyrica.

Secundò: Medicina Dogmatica contendit, morbos curare *tutò, citò & jucundè*, ut docuit Hippocrates; quia *extrema remedia extremis morbis* tantum debent ex ejus doctrina applicari, 1. *Aphoriſm.* 6. & Avicenna *Fen.* 4. *cap.* 1. *in fine*, idem confirmat §. *Et ſcias, quod non omnis repletio, ſeu complexionis malitia ſuo medicatur contrario, ſed ſæpè ſufficit multa Regiminis bonitas.* Sed medicamenta Spagyrica non poſſunt applicari *citò, tutò & jucundè*, ſunt enim violentiſſima, ignea, cauſtica, & quæ nullis valent correctionibus attemperari & ideò Arabes maximi cultores Chymiæ, his relictis medicamentis in ſuis ſcriptis recurrebant ad Dogmatica medicamenta. & in ſuis curationibus., & ideò uſque ad Paracelſum ſpagyrica medicamenta oblita fuere, & expulſa ab uſu medicinæ, ergo Dogmatica medicina non debet illa recipere, nec reponere in ſua Pharmacopæa.

Tertiò: (ut Libavius fatetur, & tradit ex illo Gabriel Fontanus, *libro medicinæ Authermetica ſect.* 3. Cenſor Scholæ Pariſienſis libere aſſentitur uſum Antimonii; quod ſpagyricū eſt medicamētum, damnatum fuiſſe ſenatuſconſulto Perreo, Fernelio, Gorrhæo, Sylvio, Fleſelio, Dureto, & aliis ejuſdem notæ ſexaginta præclariſſimis medicis dogmaticis id expoſtulantibus: quia Chymicum hoc remedium exitiale judicarunt contra ſalutem & vitam hominum, quæ ratio currit, ut & reliqua Spagyrica remedia exulent; Ergo Dogmatica medicina non debet illa recipere pro uſu ſub ſua Pharmacopæa.

Quartò eadem doctrina deducitur ex Galeno *libr.* 4. *Methodi* §. *Noviſſe debet quilibet medicus, quod omnes antiqui in hoc conſentiunt medicamentū id quod plures experti ſunt, & naturæ eſt familiarius illi eſſe longo intervallo præferendum, quod non eſt experientia comprobatum.* Sed Dogmaticæ Pharmaceuticæ medicamenta à pluribus experta, & naturæ familiaria ſunt, cum mi-

mus violenta ſint, ergo Dogmatica medicina non debet illa admittere ſub ſua Pharmacopœa pro uſu, & curatione morborum.

§. II.

Quid de Spagyricis medicamentis ſit tenendum, ſancimus.

RESolvendum: Quod dogmatica medicina tenetur amplecti *Spagyrica* medicamenta, ipſaque recipere ſub ſua Pharmacopœa.

Probatur primò ex doctrina Hippocratis, de quo inquit Plinius, quod fuit inſtaurator medicinæ Dogmaticæ penè jam delapſæ, qui ex illius principiis hoc deducit theorema: *Contraria contrariis curantur*: Et cum nequeat quodvis contrarium ſuum ſemper depellere contrarium, proponit medicamentæ, quæ affectui aut cauſæ contrariantur, & ſuo ordine quæ ſint inter ſe potentiora, & reſolvit, quod *ſi non ſanat medicamentum, ſanat ferrum, quod ferrum non ſanat, ſanat ignis*; Ergo ſi morbi nequeunt curari per medicamenta dogmatica, debemus tranſire ad Spagyrica, quæ potentiora ſunt, & adhuc ſi ſint igneæ naturæ, ſicut enim nos docet Hippocrates tranſire ad ignem actualem, docet tranſire ad potentialem; & noſtris temporibus ob hoc præceptum, dùm morbus exigit non minori ſecuritate utuntur Chirurgi oleo vitrioli, aut ſulphuris; aliiſque Spagyricis igneis remediis, quam ipſo actuali igne.

Probatur ſecundo: Si non eſſent admittenda in medicinæ dogmaticæ Pharmacopœa, Spagyrica remedia, maximè, quia Hippocrates illa non recepit, nec cognovit; Sed hæc ratio convinceret, ut etiam eſſent excludenda omnia ferè medicamenta dogmatica, quæ ſunt in Pharmacopœa Dogmatica. Nam Hippocrates, inter purgantia pauca cognovit medicamenta, & hæc violentiſſima, quæ ideo noſtris temporibus receſſerunt ab uſu, ut ſunt turbith, ſcammonea, peplium, helleborus, elaterium; poſtea uſus invenit, & in Pharmacopœa dogmatica recepit, aloëm, rhabarbarum, agaricum, myrabolanos, Caſſiam, tamarindos, Sennam, polypodium, ebulum, carthamum, hermodactylos, mannam, ex ſimplicibus: ex compoſitis, electuarium Sennatum, tripheram ſolutivam, electuarium roſatem, hydorgogum diacaſſiam, electuarium lenitivum, Diaphenicum, confectionem Hamec, & pillularum innumeras compoſitiones, Hippocrates lacte uſus fuit, ſero, mulſa, ptiſannâ, & aliquibus radicibus, quas ſubminiſtrabat Crateuas, ex quibus coctiones, piſtationes, aut cataplaſmata apponebat; nec ex hoc ſequitur; quòd Dogmatica medicina non recipiat plures alias præparationes, quas poſteà adinvenit Ars: lotionem, infuſionem, macerationem, trituram, coctionem, aſſationem, diſſolutionem, liquationem, expreſſionem, cribrationem, deſtillationē, & alias innumeras præparationes. Nec ſequitur, quòd non receperit ſimpliciū infinitas ferè differentias, eorum compoſitiones, quæ temporum progeſſu cognitæ fuit à Dogmatica medicina, & pro morborum curatione recepta, & recenter recepta ſunt innumera medicamenta ex Indijs delata cum maximo ſalutis commodo, quæ priùs Arabum familiæ etiam ignòtæ fuerunt: ergò cum in eundem finem ſint neceſſaria medicamentà Spagyrica, debent recipi à Dogmatica medi-

medicina. Confirmatur: Tum ex Beguino *in Tyrocinio chymico, in præfatione* §. *Conclamatum eſto neminem, jure elegantis Medici nomen hoc noſtro ævo poſſidere titulum, qui non Hippocratis ſimul & Hermetis diſcipulus fuerit, qui non æquè Paracelſi & Ariſtotelis intellexerit principia: qui enim vitiatam compoſitionem, intemperiem, & ſolutionem continui, ac morbos mercuriales, Sulphureos & Salinos cognoverit, nemineмq; aſſequntum legitimum ſanandi modum niſi veterum cum nova conjungat medicina auxilia.* Tum Libavius *in principio libri de Alchymia triumphante cap.* 1. dicit: *In aliquibus ſanè Germaniæ Pharmacopæis pleraque iſtiuſmodi mediocri preparantur ſtudio, ſuntq; in promptu tum iſta Galenica; tum hæc chymica, abſq; omni jactura medicinæ Hippocraticæ, aut Galenicæ; immo jure optimo, quandoquidem poſtquam ex Arabica & Græca diſciplina factum eſt, unum corpus medicinæ, Chymica in eſſentiam quoque artis ſunt recipienda, adeò, ut ſi iterum ſeparanda eſſent, medicinam haberemus nobili admodum membro mutilatam.* Eidem innumeri Spagyrici tradunt, quos non refero, ut præſtent autoritatem; ſed quia ratione manifeſta convincunt, non eſſe denegandum dogmaticæ medicinæ, ut ſuperabundet novis, & potentioribus auxiliis, ut eis pro neceſſitate liceat uti Medico rationali, juxta morborum exigentiam.

Probatur tertiò: Pharmacopæa dogmatica præcipuè debetur Meſue, ex quo & Canones & omnem artem recipiunt Pharmacopæi dogmatici; Sed ille non ſolum in ſuis operibus proponit dogmatica rememedia, ſed etiam Spagyrica, & tanquam peritus etiam Spagyricus commendat eorum uſum Pharmacopolis dogmaticis, vel quod illorum medicamentorum extractionem committant peritis Spagyricis, & illa in Pharmacopæis dogmaticis obſervent, & retineant pro uſu: Ergo dogmatica medicina debet Spagyrica remedia recipere in ſua Pharmacopæa. Probatur minor ex Meſue, *lib.* 1. *diſtinct.* 12. *de oleis.* Ubi docet tres modos extractionis, & ultimum proponit, quod arte Spagyrica extrahitur, remittitque dogmaticos Pharmacopæos ad opera Chymiſtarum pro extractione perfecta; conſulitque, ut adhibeant Chymiſtas Præceptores, & quod verſentur cum illis: à quibus perfecte tantum operari Spagyrica remedia tenet. Sylvius idem confirmat, docens: Oleum à Spagyricis extrahi ſive in capitellum ſurſum, ſive deorſum: idem docet Meſue, dum docet extrahere oleum ovorum, ſuperaddens. *Sapientes tibi omninò legendi, & imitandi, ſi famæ illorum maxime es cupidus*. Ubi per Sapientes intelligit Spagyricos, ut tenent ibi Manardus, & Sylvius, *in ultimo prædicta diſtinctionis*, proponit Meſue pro Officina dogmatica oleum Philoſophorum, quod etiam ſapientiæ, & perfecti magiſterii vocat cum Spagyricis, quos vocat Philoſophos etiam, ut Manardus notat, qui ſuperaddit, quòd cùm Meſue eſſet ex numero Spagyricorum, voluit finire cum hoc oleo *diſtinctionem*, finumque proferens judicium de medicamentis Spagyricis, ſuperaddit: *Ego verò ſcribam, quid de hiſce rebus ſentiam, ubi opus eſt vehementer calefacere, & ad intima uſque accedere, nullam naturalem rem poſſe iis oleis per hanc videlicet artem elicitis, conferri, adeò ut etiam vim ignis exæquent, & ſuperent*. Ergò Meſues & dogmatici illius Commentatores, Pharmacopææ dogmaticæ inſtitutores tenent

dogma-

dogmaticam medicinam debere in ipſa recipere medicamenta Spagyrica, ut eis pro uſu & neceſſitate, utantur dogmatici Medici.

Probatur quartò. Præclariores claſſici inter juniores Dogmaticos recipiunt uſum medicamentorum Spagyricorum, & eis utuntur pro morbis curandis. Ergò dogmatica medicina debet illa habere in ſua Pharmacopæa. Probatur antecedens latiſſimè à Primoroſio, *lib. 4. de vulgi errorib.* admittunt enim Spagyrica remedia Raymundus Lullius, & Quercetanus, qui & Dogmaticam & Spagyricam Pharmacopæam in lucem edidit, Avicenna, Meſve, Rhaſi Geberus, Villanova, Blemias, Bracerus, Morienus, Fernelius, qui chymicis oleis maximè utebatur. Mathiolus *epiſtola ad Andream Blac* cenſet, neminem poſſe eſſe perfectum medicum dogmaticum ſine cognitione, & uſu remediorum Spagyricorum. Crato *in ſuis conſiliis*, iis utitur medicamentis, Eraſtus *in Paracelſum* ſcribens, Spagyrica tamen medicamenta laudat, & recipit. Riolanus Scriptor acerrimus in Spagyricos, & qui eos conatur excludere; Spagyrica tamen remedia poſſe utilia eſſe fatetur. Sennertus ubique utitur auxiliis Spagyricis, & Riberius in ſua praxi, & frequentius in Conſiliis ſeu obſervationibus, nullum effectum ferre proponit, in quo hæc non proponat remedia eorumque laudes, uſum, & experientiam proferat. Rodericus de Fonſeca *in ſuis Conſiliis*, quam plura proponit. Gabriel Fontanus, *ſect. 3. cap. 7.* docet Pharmacopolarum remedia à Chymicis differre approbat plura Spagyrica medicamenta, ipſaque utiliora eſſe, & ſuaviora dogmaticis demonſtrat, maximè in purgantibus medicamentis id oſtendit. Sennertus agens de conſenſu Chymiſtarum cum Spagyricis comprobat medicamentorum Spagyricorum neceſſitatem, & utilitatem in uſu dogmaticæ medicinæ. Fallopius *libr. 2. cap. 3.* aperit hujuſmodi neceſſitatem, Laurentius Cæſar *diſputat. 4.* concludit Spagyricorum remediorum uſum neceſſarium in Dogmatica medicina. Zacutus *tom. 1. lib. 1. q. 3.* idem fatetur, Schenckius in ſuis obſervationibus ſæpiùs idem confirmat. Matthæus de Gradi *lib. de Secretis*, idem tenet, Andernacus, *tom. 2. de nova & veteri medicina* probat idem, & Rondeletius, *Conſil. 293.* Augenius, *tom. 1. epiſtol. 2.* Caprivacius in Arthritide, & aliis affectibus diurnis recurrit ad Spagyrica auxilia. Perduclis *li. 8. Pharmaceut. cap. 21.* & innumeri alii recentiores eandem amplectuntur doctrinam.

Confirmatur ex doctiſſimis Medicis Auguſtanis, qui poſtquam locupletiſſimā & perfectam ediderunt Pharmacopæam Dogmaticam, ipſam judicarunt diminutam, quia deficiebant in illa Spagyrica medicamenta, quæ communi uſui deſerviunt noſtris temporibus; & ideò in nova editione illa ſuperaddiderunt Dogmaticis, dicentes Mantiſam Hermeticam ſuperaddendam dogmaticæ Pharmacopææ, ipſam judicantes neceſſariam ob ſpagyrica remedia dogmaticis Medicis utilia, & admonent, quod hæc operentur vel à Dogmaticis Pharmacapolis in arte Spagyrica benè inſtructis, vel quod ab illis committantur facienda Hermeticis peritis: quia anima præcipuè medicamentorum Spagyricorum conſiſtit in debita illorum præparatione.

Probatur quinto. Inter purgantia medicamentum nullum eſt, quod Galenus non

judicet venenoſum, ingratiora, fortiora, & periculoſiora ſunt, colocyntida, helleborus, peplium, ſcammonea, turbith, & quæ uſitata ſunt ab Hippocrate, quæ relicta ſunt, quia Arabes benigniora, ac ſecuriora, alia invenerunt, & magis grata; ſed Gabriel Fontanus, dum carpit Spagyricos, fatetur tamen in libro adverſus Hermeticos, *ſect.* 3. *cap.* 7. *num.* 2. quod Spagyrica ars reddit benigniora & ſuaviora purgantia medicamenta. §. *Extractum chymicè paratum longè ſuavius & utilius eſt, ut conſtat exemplo extracti colocynthidis.* Ergò Spagyricorum hujuſmodi medicamenta debent recipi in ſua Pharmacopæa à Dogmatica medicina.

Probatur ſextò. Quod potentiora ſunt medicamenta Spagyrica, non impedit, ut non recipiantur à Dogmaticis. Tum quia ex Hippocrate: *Extremis morbis*, extrema & exquiſita remedia ſunt apponenda, ideoque debent fortiora Pharmaca eſſe in officinis Pharmaceuticis pro illis curandis. Tum quia Dogmaticus Medicus poterit illis uti in majori, aut minori doſi; vel imminuere eorum potentiam admixtis aliis contrariis. Tum quia ſunt plurima alexipharmaca, & alia Spagyrica medicamenta, quæ gaudent moderatis viribus. Tum quia pleraque medicamenta corriguntur per præparationem Spagyricam, ut Mercurius dulcis, Laudanum opiatum, Nempetes. Quercetani, vel colocyntidis extractum, de quo Fontanus. Tum quia Medicus dogmaticus ſolet uti ex præcepto Hippocratis igne actuali; quo nihil potentius. Tum quia medicamentum utcunque potentiſſimum non poteſt progredi ultra quartum gradum, & verſus quodcunque modū agendi ſunt in Pharmacopæa dogmatica, quæ ſub quarto gradu virtutis ſunt quæ non ideò excluduntur ab ea. Tum quia: ſi quæ medicamenta Spagyrica eſſent timenda, maximè quia fortiora calida; ſed dogmatica medicina habet plura medicamenta in quarto gradu calida, ex quibus fiunt dropaces, pſylotra, quæ erodentem & urentem habent vim, & ulcerandi; & excitandi cruſtas, & veſicatoria, quæ vehementiora ſunt phænigmo, ſeu ſinapiſmo, à quibus rubra fit cutis. Fiunt etiam pyrotica ſeu cauteria, quæ loco ignis actualis ſolent ſubſtitui, ergo ſi hæc ponuntur in Pharmacopæa, poterunt & Spagyrica poni, utcunq. calida, & potentiſſima ſint.

Confirmatur: quia non ſolum potentiſſima medicamenta ſunt in Pharmacopæa dogmatica pro communi uſu, ſed quamplurima venena, quæ à dogmatico Medico correcta, & debitè applicata poſſunt prodeſſe pro ſalute, ergo Spagyrica etſi potentia polleant ſimiliter debent admitti.

Probatur ſeptimò: Præter medicamenta potentiora Spagyrica ars elaborat elixir vitæ, cum quo vita conſervatur; & ex margaritis, & aliis Alexipharmacis innumera alia medicamenta ſuavia, vires corroborantia, ſpiritus generantia, & quæ oppugnant contra venenum; ergo hujuſmodi medicamenta non deberent ut potentiſſima, & noxia timeri, nec excludi à dogmatica medicina.

§. III.

Solvuntur rationes dubitandi & fundamenta Riolani.

Ad primum reſpondetur: Quod Hippocrates & Galenus fuerunt optimi Medici,

Medici, quia in medicina *omnia egerunt ratione recta:* non tamen fuerunt conſummati, quia *non omnes numeros expleverunt in ſpeculatione & actione*, & ideò ignorarunt plura medicamenta quæ poſtea invenerunt Arabes; & plura quæ recenter afferuntur ex Indiis, & ſicut hæc recepit dogmatica medicina in ſua Pharmacopæa debet recipere medicamenta Spagyrica, quæ poſtea inventa utilia experta ſunt.

Ad ſecundum reſpondetur: Quod non omnia medicamenta ſpagyrica ſunt violentiſſima; ſed pleraq; benigniora reddita præparatione Spagyrica, quædam beniguiſſima, & alexipharmaca; & quæ ſunt fortiora, etiam ſunt utilia, vel quia mixtione cum aliis; vel imminuta doſi imminuitur virtus, vel quia ſic requiruntur pro extremis morbis, qui non cedunt benignioribus remediis, & ideo non oblita ab Arabibus: Sed minus uſitata fuére, quia non omni tempore fuerunt periti eorum operarii, qui poſt Paracelſum magis inſtructi melius operantur illa.

Ad 3. reſpondetur: quod omnes Authores citati deterriti fuerunt in inventione novi medicamenti, quod plures viderunt perdere, quia offerebatur ab ejus operariis; poſtea verò cognita virtute illius, vi & efficacia cępére ſicut & reliqua ſpagyrica medicamenta exhiberi à dogmaticis medicis in doſi proportionata in ſubjecto apto ipſius vim tolerare, & pro morbis ab ipſo curabilibus, & ideò revocatũ fuit primũ edictum, & illud ac reliqua ſpagyrica medicamenta recepta. Tum etiam: quia licet non eſſet antimoniũ iterùm receptum, non quia inutile eſſet illud, deberent ſpagyrica medicamẽta excludi. Tum quia ex nova præparatione benigniſſimum illud aperimus.

Ad quartum reſpondetur: Quod medicamenta magis experta, ſi æquis viribus gaudeant, debent offerri, non tamen ſemper ſi inferioris ſunt virtutis, aut minus grata, ob quæ vitanda plerumque utimur ſpagyricis medicàmentis, inquit enim Primoroſius. *Addita igitur fuerunt operationes Chymicæ ad ægrorum ſolatium, Artis decus, & ornatum, non quidem ut abſolutè, ſed ut meliùs, & commodiùs Medici mederentur.*

Dices: Quòd ſemper experimur, quod medicamenta Spagyrica, vel nimis nocent, vel minus ſunt grata & ſecura, ergò non eſt tentandus uſus eorum contrà experientiam eorum, quæ experta ſunt prodeſſe.

Reſpondet Primoroſius. *Verùm hæc ex ignorantia iſtius Artis originem habent, & quorundam nebulonum audacia, qui ſolùm vehementiſſimis, & præpoſterà operatione præparatis utuntur. Non enim qualibet chymica præparatio cuilibet medicamento convenit. Plurima enim habent chymici medicamentã valde benigna, minimumque violenta. Eadem ſiquidem eſt materia medica Pharmacopæi Chymici, & vulgaris ex vegetabilibus animalibus, & mineralibus, & omnibus tàm benignis, quàm violentis, quæ in uſum medicum venire ſolent. Præparatio autem Chymica in violentis, quæ noxia ſunt, emendat, aut tollit. ſecuriora ea gratioraque efficit. Quin etiam cardiaca & roborantia habent Chymici quàm plurima, vulgaribus ſæpè elegantiora. ſed ſæpiſſimè plurimi morbi vehementiora poſtulant: qui imbecilliorum vim contemnunt & eludunt, validioribuſque uti petunt.*

RESOLVTIO XVII.

Vtrum medicina dogmatica debeat uti incantationibus pro curandis morbis?

§. I.

Quid incantatio? & quid prodeſſe poteſt? proponitur.

INcantatio eſt Oratio, vel prex ſolemnibus verbis concepta, qua ad Dæmonem dirigitur. Ut Torreblanca deducit ex D. Auguſtino. *In cap. Igitur 26. quæſt. 3.* Incantatores ſunt, *qui ſuam artem peragunt verbis.* Vel ut tenet D. Hieronymus, *in Daniël. cap. 2.* Magi ſunt, *qui verbis rem peragunt.* Cum igitur Dogmaticus intendat morborum curationem, & hanc ſæpè conſequi non valeat per inſtrumenta ſupra propoſita. Dubitamus; Utrùm ſaltim pro illis morbis curandis deberet Medicus uti incantatione, ſeu verbis, aut carminibus in hunc finem conducentibus. Plinius anceps fuit: An verba prodeſſent pro morbis curandis? Zoroaſtes, Jamblicus, Alkimd, Sineſius, Origines, Pythagoras, Homerus; Theophraſtus verbis poſſe morbos curari affirmant. An illis liceat uti (diſputamus) prò morbis curandis?

Primò: pars affirmativa ſuadetur: quia Medici munus eſt curare: ſed ſunt plura verba ſeu incantationes, quæ plures valent morbos curare. Ergo Dogmatica medicina illis tenetur uti. Probatur minor: Marcellus enim, ſuſurriſtis verbis tenet necari lumbricos, à faucibus & oculis erui, quæ inhærent; alii facilitant partum his verbis in aure prolatis. *Su. Cymu due*, alii auferri febrem nugantur dicendo, *Sancte Petre & Paule ſtultum hunc ſanate.* Pomponatius tenet quendam ſolis verbis perſanaſſe duos: alterum ab Eryſipelate, alterum à fluxione in inguen. Gatinaria pro inſulto Epileptico hæc adducit verba ad aures dicenda:

Gaſpar fert myrrham: thus Melchior: Balthaſar aurum
Hæc tria qui ſecum portarit nomina Regum;
Solvitur à morbo Chriſti pietate caduco.

Taranta pro eodē morbo iis utitur verbis ad aures prolatis. *Purget & mundet & muniat nos.* Gordonius in idem ex D. Matthæo hæc deſumpſit verba. *Erat ſpumans & ſtridens.* Trallianus ut curet podagram, collegit herbam altercum ante ſolis occaſum; Luna exiſtente in Aquario, aut piſcibus; & dicit hæc verba: *Adjuro te herba ſacra per ſancta nomina Joath, Sabath & Donac Eloi. Deus qui terrā formavit. & fecit mare fluviis abundans fluentibus, & qui exſiccavit uxorem Loth in ſtatuam ſalinariam, adjuro inquam te ut reſiſtas fluxione pedum.* Ad dentium dolores fertur verba hæc prodeſſe *Galbas, Galba, Galdei, Galda*; ad fluxum ſiſtendum ſanguinis: *Charat, cara, ſarite, confirma, conſona, imabolite*: Cardanus his utitur verbis: *Sanguis mane in te: ſicut Chriſtus fecit in ſe. ſanguis mane in tua vena, ſicut Chriſtus in ſua pena; ſanguis mane fixus ſicut Chriſtus fuit crucifixus.* Cato luxata mēbra tenet iis verbis reſtitui; *Danata Daries, Dardaries, Aſtararies.* Ad morſum canis rabidi alii hæc proponunt verba. *Irioni, Rhibori, Eſtera, Huder, fere*; Alii hæc *Pax max, drux, adimax*: Sanguinem aliqui ſiſtere tenent, ſi digito poſito, loco ex quo fluit hæc proferantur verba: *Soc non, Soc non, Soc non,* Marcellus Paronchimiam curat his verbis: *Pu, pu, pu, nunquam ego videam per parietem repere.* Varro coxendicem

cem curat his verbis : *Siſta, piſta, riſta, xiſta* ; Alii hæc afferunt verba pro coxendice. *Negat Apollo, peſtem creſcere quam nuda virgo reſtringat.* Alii pro morſu canis rabidi hæc proponunt verba, *Gax, pax, max, Deus adimax.* Cantu ſeu carmine plures curari morbos tenent D. Thomas 22. *q.* 95. Turrecremata, *cap. ſed & illud, cap. ſin ſalutat ore 26. q. 2.* Sanchez *lib.* 2. *Decalogi,* Jacob Graffias *lib.* 2. *deciſion. cap.* 5. Petrus Vinclef, *lib.* 3. *(de maleficis.* Lucanus *Pharſal.* 7. Propertius *lib.* 3. *ecloga* 8. Alchindus *lib. de effectib & project. radior.* Theophraſtus. Si inter devorandum, quid in tonſillis affigitur excludi tenet dicendo: *Egredere os, quemadmodum Jeſus-Chriſtus è Sepulchro Lazarum eduxit & Jonam ex Cete* : Vel apprehenſio manu gutture dicendo: *Blaſius Mártyr, & ſervus Chriſti dicit* ; *aut aſcende, aut deſcende* : Alii epilepticos reduci tenent in aure, *Purget & mundet, & muniat nos titulus triumphalis, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Cardanus Weckerus & Mizaldus, plura hujuſmodi verba pro morbis curandis adducunt : Marcellus verbis poſſe ſordes excludi ab oculis tenet, Aëtius aliis prolatis dicit dolores dentium curari. Jovinian. dicit: Apuli oppidanos, quibuſdam carminibus prolatis rabiem curaſſe : Agrippa plura ſuperaddit exempla.

Secundò : Galenus medicum Dogmaticum requirit Rhetoricum, non alia ratione : niſi quia verbis poſſit devincere morbos : Ergò dogmatica medicina debet uti verbis prolatis, pro morbis curandis.

Tertiò : Jus permittit uti incantationibus pro curandis morbis, ſed ut patet ex dictis verbis & carminibus morbi curantur; ergo dogmatica medicina hoc inſtrumento debet uti ultra ſupra annumerata. Probatur major. Tùm ex Divo Paulo ad *Coloſſenſ. cap.* 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut opere omnia in nomine Domini Jeſu-Chriſti.* Ex quo apparet, licere verbo operari. Tùm ex Jure Cæſareo. Conſtantinus enim, *lib.* 4. *C. de maleficiis* dicit, *nullis criminationibus implicanda ſunt remedia hominis quæſita corporibus*, & patebit latiùs *infrà.*

§. II.

Qualis verborum uſus liceat pro curandis morbis?

Verba ad curandos morbos, vim habent recipere ex Summa Dei poteſtate; vel ex propria verborum vi, & efficacia; vel ex pacto cum Dæmone tanquam ſigna illius pacti.

Reſolvendum primò : Quod poſſint habere virtutem verba ſanandi morbos, quatenus concurrit Deus, & ideò licet Medicis uti verbis & deprecationibus, ut à Deo conſequantur ægrorum ſanitatem.

Probatur : Tùm ex Chriſto Domino, qui verus eſt Medicus, & qui vera eſt poteſtas, qua utitur pro morbis curandis, & qua uſus fuit, dum tot ægros ſanavit, leproſos, paralyticos, lunaticos, lycanthropicos, cæcos, ſurdos, febrientes, hydropicos, convulſos, immò & Lazarum quatriduanum ſuſcitavit verbis, ipſos ad ſanitatem, & ad vitam reducendo, quia ut inquit Divus Chryſoſtomus, *homil.* 25. *Ceſſit extemplò natura ubi Chriſtus juſſit:* Prophetæ ante ipſum, & poſt ipſum Apoſtoli, & innumeri Sancti verbis & deprecationibus conſecuti ſunt morborum curationes, ita ut hac præcipuâ virtute, ſint collocati in numero Sanctorum

Digitized by Google

RESOLVTIO XVII.

Vtrum medicina dogmatica debeat uti incantationibus pro curandis morbis?

§. I.

Quid incantatio? & quid prodeſſe poteſt? proponitur.

INcantatio eſt Oratio, vel prex ſolemnibus verbis concepta, qua ad Dæmonem dirigitur. Ut Torreblanca deducit ex D. Auguſtino, *in cap. Igitur 26. quaſt. 3.* Incantatores ſunt, *qui ſuam artem peragunt verbis.* Vel ut tenet D. Hieronymus, *in Daniël. cap. 2.* Magi ſunt, *qui verbis rem peragunt.* Cum igitur Dogmaticus intendat morborum curationem, & hanc ſæpè conſequi non valeat per inſtrumenta ſupra propoſita. Dubitamus; Utrùm ſaltim pro illis morbis curandis deberet Medicus uti incantatione, ſeu verbis, aut carminibus in hunc finem conducentibus. Plinius anceps fuit: An verba prodeſſent pro morbis curandis? Zoroaſtes, Jamblicus, Alkimd, Sineſius, Origines, Pythagoras, Homerus; Theophraſtus verbis poſſe morbos curari affirmant. An illis liceat uti (diſputamus) prò morbis curandis?

Primò: pars affirmativa ſuadetur; quia Medici munus eſt curare: ſed ſunt plura verba ſeu incantationes, quæ plures valent morbos curare. Ergo Dogmatica medicina illis tenetur uti. Probatur minor: Marcellus enim, ſuſurriſtis verbis tenet necari lumbricos, à faucibus & oculis eruì, quæ inhærent; alii facilitant partum his verbis in aure prolatis. *Su. Cymu due*, alii auferri febrem nugantur dicendo, *Sanℓte Petre & [illegible] ſaltum hunc ſanate.* Pomponatius tenet quendam ſolis verbis perſanaſſe duos: alterum ab Eryſipelate, alterum à fluxione in inguen. Gatinaria pro inſulto Epileptico hæc adducit verba ad aures dicenda:

Gaſpar fert myrrham: thus Melchior: Balthaſar aurum
Hæc tria qui ſecum portarit nomina Regum;
Solvitur à morbo Chriſti pietate caduco.

Taranta pro eodē morbo iis utitur verbis ad aures prolatis. *Purget & mundet & muniat nos.* Gordonius in idem ex D. Matthæo hæc deſumpſit verba. *Erat ſpumans & ſtridens.* Trallianus ut curet podagram, collegit herbam altercum ante ſolis occaſum; Luna exiſtente in Aquario, aut piſcibus; & dicit hæc verba: *Adjuro te herba ſacra per ſancta nomina Joath, Sabath & Donac Eloi, Deus qui terrā formavit, & fecit mare fluviis abundans fluentibus, & qui exſiccavit uxorem Loth in ſtatuam ſalinariam, adjuro inquam te ut reſiſtas fluxione pedum.* Ad dentium dolores fertur verba hæc prodeſſe *Gallas, Galba, Galdei, Galda*; ad fluxum ſiſtendum ſanguinis: *Charat, cara, ſarite, confirma, conſona, imabolite*: Cardanus his utitur verbis: *Sanguis mane in te ſicut Chriſtus fecit in ſe, ſanguis mane in tua vena, ſicut Chriſtus in ſua pena. ſanguis mane fixus ſicut Chriſtus fuit crucifixus.* Cato luxata mēbra tenet iis verbis reſtitui; *Danata Daries, Dardaries, Aſtararies.* Ad morſum canis rabidi alii hæc proponunt verba. *Irioni, Rhibori, Eſtera, Huder, fare*; Alii hæc: *Pax max, drux adtmax*: Sanguinem aliquī ſiſtere tenent, ſi digito poſito, loco ex quo fluit hæc proferantur verba: *Soc non, Soc non, Soc non,* Marcellus Paronchimiam curat his verbis: *Pu, pu, pu, nunquam ego videam per parietem repere.* Varro coxendi-

ccum

tem curat his verbis : *Siſta, piſta, riſta, xiſta* ; Alii hæc afferunt verba pro coxendice. *Negat Apollo, peſtem creſcere quam nuda virgo reſtringat.* Alii pro morſu canis rabidi hæc proponunt verba, *Gax, pax, max, Deus adimax.* Cantu ſeu carmine plures curari morbos tenent D. Thomas 22. *q.* 95. Turrecremata, *cap. ſed & illud. cap. ſin ſalutat ore* 26. *q.* 2. Sanchez *lib.* 2. *Decalogi*, Jacob Graffias *lib.* 2. *deciſion. cap.* 5. Petrus Vinclef, *lib.* 3. (*de maleficiis.* Lucanus *Pharſal.* 7. Propertius *lib.* 3. *ecloga* 8. Alchindus *lib. de effectib & project. radior.* Theophraſtus. Si inter devorandum, quid in tonſillis affigitur excludi tenet dicendo: *Egredere os, quemadmodum Jeſus-Chriſtus è Sepulchro Lazarum eduxit & Jonam ex Cete* : Vel apprehenſio manu gutture dicendo: *Blaſius Mártyr, & ſervus Chriſti dicit; aut aſcende, aut deſcende*: Alii epilepticos reduci tenent in aure, *Purget & mundet, & muniat nos titulus triumphalis, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Cardanus Weckerus & Mizaldus, plura hujuſmodi verba pro morbis curandis adducunt : Marcellus verbis poſſe ſordes excludi ab oculis tenet, Aëtius aliis prolatis dicit dolores dentium curari. Jovinian. dicit: Apuli oppidanos, quibuſdam carminibus prolatis rabiem curaſſe : Agrippa plura ſuperaddit exempla.

Secundò : Galenus medicum Dogmaticum requirit Rhetoricum, non alia ratione : niſi quia verbis poſſit devincere morbos : Ergò dogmatica medicina debet uti verbis prolatis, pro morbis curandis.

Tertiò : Jus permittit uti incantationibus pro curandis morbis, ſed ut patet ex dictis verbis & carminibus morbi curantur; ergo dogmatica medicina hoc inſtrumento debet uti ultra ſupra annumerata. Probatur major. Tùm ex Divo Paulo ad *Coloſſenſ. cap.* 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut opere omnia in nomine Domini Jeſu-Chriſti.* Ex quo apparet, licere verbo operari. Tùm ex Jure Cæſareo. Conſtantinus enim, *lib.* 4. *C. de maleficiis* dicit, *nullis criminationibus implicanda ſunt remedia hominis quaſita corporibus*, & patebit latiùs *infrà.*

§. II.

Qualis verborum uſus liceat pro curandis morbis?

VErba ad curandos morbos, vim habent recipere ex Summa Dei poteſtate; vel ex propria verborum vi, & efficacia; vel ex pacto cum Dæmone tanquam ſigna illius pacti.

Reſolvendum primò : Quod poſſunt habere virtutem verba ſanandi morbos, quatenus concurrit Deus, & ideò licet Medicis uti verbis & deprecationibus, ut à Deo conſequantur ægrorum ſanitatem.

Probatur : Tùm ex Chriſto Domino, qui verus eſt Medicus, & qui vera eſt poteſtas, qua utitur pro morbis curandis, & qua uſus fuit, dum tot ægros ſanavit, leproſos, paralyticos, lunaticos, lycanthropicos, cæcos, ſurdos, febrientes, hydropicos, convulſos, immò & Lazarum quatriduanum ſuſcitavit verbis, ipſos ad ſanitatem, & ad vitam reducendo, quia ut inquit Divus Chryſoſtomus, *homil.* 25. *Ceſſit extemplò natura ubi Chriſtus juſſit:* Prophetæ ante ipſum, & poſt ipſum Apoſtoli, & innumeri Sancti verbis & deprecationibus conſecuti ſunt morborum curationes, ita ut hac præcipuâ virtute, ſint collocati in numero Sanctorum

Digitized by Google

RESOLVTIO XVII.

Vtrum medicina dogmatica debeat uti incantationibus pro curandis morbis?

§. I.

Quid incantatio? & quid prodeſſe poteſt? proponitur.

INcantatio eſt Oratio, vel prex ſolemnibus verbis concepta, qua ad Dæmonem dirigitur. Ut Torreblanca deducit ex D. Auguſtino, *in cap. Igitur 26. quæſt. 3.* Incantatores ſunt, *qui ſuam artem peragunt verbis.* Vel ut tenet D. Hieronymus, *in Daniël, cap. 2.* Magi ſunt, *qui verbis rem peragunt.* Cum igitur Dogmaticus intendat morborum curationem, & hanc ſæpè conſequi non valeat per inſtrumenta ſupra propoſita. Dubitamus; Utrùm ſaltim pro illis morbis curandis deberet Medicus uti incantatione, ſeu verbis, aut carminibus in hunc finem conducentibus. Plinius anceps fuit: An verba prodeſſent pro morbis curandis? Zoroaſtes, Jamblicus, Alkimd, Sineſius, Origines, Pythagoras, Homerus; Theophraſtus verbis poſſe morbos curari affirmant. An illis liceat uti (diſputamus) pro morbis curandis?

Primò: pars affirmativa ſuadetur: quia Medici munus eſt curare: ſed ſunt plura verba ſeu incantationes, quæ plures valent morbos curare. Ergo Dogmatica medicina illis tenetur uti. Probatur minor: Marcellus enim, ſuſurriſtis verbis tenet necari lumbricos, à faucibus & oculis erui, quæ inhærent; alii facilitant partum his verbis in aure prolatis. *Su. Cymu due*, alii auferri febrem nugantur dicendo, *Sancte Petre & [illegible] ſaltum hunc ſanate.* Pomponatius tenet quendam ſolis verbis perſanaſſe duos: alterum ab Eryſipelate, alterum à fluxione in inguen. Gatinaria pro inſulto Epileptico hæc adducit verba ad aures dicenda:

Gaſpar fert myrrham: thus Melchior: Balthaſar aurum
Hæc tria qui ſecum portarit nomina Regum;
Solvitur à morbo Chriſti pietate caduco.

Taranta pro eodē morbo iis utitur verbis ad aures prolatis. *Purget & mundet & muniat nos.* Gordonius in idem ex D. Matthæo hæc deſumpſit verba. *Erat ſpumans & ſtridens.* Trallianus ut curet podagram, collegit herbam altercum ante ſolis occaſum, Luna exiſtente in Aquario, aut piſcibus; & dicit hæc verba: *Adjuro te herba ſacra per ſancta nomina Joath, Sabath & Donac Eloi, Deus qui terrā formavit, & fecit mare fluviis abundans fluentibus, & qui exſiccavit uxorem Loth in ſtatuam ſalinariam, adjuro inquam te ut reſiſtas fluxione pedum.* Ad dentium dolores fertur verba hæc prodeſſe *Galbas, Galba, Galdel, Galda*; ad fluxum ſiſtendum ſanguinis: *Charat, cara, ſarite, confirma, conſona, imaholite*: Cardanus his utitur verbis: *Sanguis mane in te: ſicut Chriſtus fecit in ſe, ſanguis mane in tua vena, ſicut Chriſtus in ſua pena; ſanguis mane fixus ſicut Chriſtus fuit crucifixus.* Cato luxata mēbra tenet iis verbis reſtitui; *Danata Daries, Dardaries, Aſtararies.* Ad morſum canis rabidi alii hæc proponunt verba. *Irioni, Rhibori, Eſlera, Huder, fate*; Alii hæc et *Pax max, drux, admax*: Sanguinem aliqui ſiſtere tenent, ſi digito poſito, loco ex quo fluit hæc proferantur verba: *Soc non, Soc non, Soc non,* Marcellus Paronchimiam curat his verbis: *Pu, pu, pu, nunquam ego videam per parietem repere.* Varro coxendicem

rem curat his verbis : *Siſta, piſta, riſta, xiſta*; Alii hæc afferunt verba pro coxendice. *Negat Apollo, peſtem creſcere quam nuda virgo reſtringat.* Alii pro morſu canis rabidi hæc proponunt verba, *Gax, pax, max, Deus adimax.* Cantu ſeu carmine plures curari morbos tenent D. Thomas 22. q. 95. Turrecremata, *cap. ſed & illud, cap. ſin ſalutat ore 26. q. 2.* Sanchez *lib. 2. Decalogi,* Jacob Graffias *lib. 2. deciſion. cap. 5.* Petrus Vinclef, *lib. 3. (de maleficiis.* Lucanus *Pharſal.* 7. Propertius *lib. 3. ecloga 8.* Alchindus *lib. de effectib & project. radior.* Theophraſtus. Si inter devorandum, quid in tonſillis affigitur excludi tenet dicendo: *Egredere os, quemadmodum Jeſus-Chriſtus è Sepulchro Lazarum eduxit & Jonam ex Cete*: Vel apprehenſio manu gutture dicendo: *Blaſius Mártyr, & ſervus Chriſti dicit; aut aſcende, aut deſcende*: Alii epilepticos reduci tenent in aure, *Purget & mundet, & muniat nos titulus triumphalis, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Cardanus Weckerus & Mizaldus, plura hujuſmodi verba pro morbis curandis adducunt: Marcellus verbis poſſe ſordes excludi ab oculis tenet, Aetius aliis prolatis dicit dolores dentium curari. Jovinian. dicit: Apul. oppidanos, quibuſdam carminibus prolatis rabiem curaſſe: Agrippa plura ſuperaddit exempla.

Secundò: Galenus medicum Dogmaticum requirit Rhetoricum, non alia ratione: niſi quia verbis poſſit devincere morbos: Ergò dogmatica medicina debet uti verbis prolatis, pro morbis curandis.

Tertiò: Jus permittit uti incantationibus pro curandis morbis, ſed ut patet ex dictis verbis & carminibus morbi curantur; ergo dogmatica medicina hoc inſtrumento debet uti ultra ſupra annumerata. Probatur major. Tùm ex Divo Paulo ad *Coloſſenſ. cap. 3. Omne quodcunque facitis in verbo aut opere omnia in nomine Domini Jeſu-Chriſti.* Ex quo apparet, licere verbo operari. Tùm ex Jure Cæſareo. Conſtantinus enim, *lib. 4. C. de maleficiis* dicit, *nullis criminationibus implicanda ſunt remedia hominis quæſita corporibus*, & patebit latius *infrà*.

§. II.

Qualis verborum uſus liceat pro curandis morbis?

Verba ad curandos morbos, vim habent recipere ex Summa Dei poteſtate; vel ex propria verborum vi, & efficacia; vel ex pacto cum Dæmone tanquam ſigna illius pacti.

Reſolvendum primò: Quod poſſunt habere virtutem verba ſanandi morbos, quatenus concurrit Deus, & ideò licet Medicis uti verbis & deprecationibus, ut à Deo conſequantur ægrorum ſanitatem.

Probatur: Tùm ex Chriſto Domino, qui verus eſt Medicus, & qui vera eſt poteſtas, qua utitur pro morbis curandis, & qua uſus fuit, dum tot ægros ſanavit, leproſos, paralyticos, lunaticos, lycanthropicos, cæcos, ſurdos, febrientes, hydropicos, convulſos, immò & Lazarum quatriduanum ſuſcitavit verbis, ipſos ad ſanitatem, & ad vitam reducendo, quia ut inquit Divus Chryſoſtomus, *homil. 25. Ceſſit extemplò natura ubi Chriſtus juſſit:* Prophetæ ante ipſum, & poſt ipſum Apoſtoli, & innumeri Sancti verbis & deprecationibus conſecuti ſunt morborum curationes, ita ut hac præcipuâ virtute, ſint collocati in numero Sanctorum

RESOLVTIO XVII.

Vtrum medicina dogmatica debeat uti incantationibus pro curandis morbis?

§. I.

Quid incantatio? & quid prodeſſe poteſt? proponitur.

INcantatio eſt Oratio, vel prex ſolemnibus verbis concepta, quæ ad Dæmonem dirigitur. Ut Torreblanca deducit ex D. Auguſtino, *in cap. Igitur 26. quæſt. 3.* Incantatores ſunt, *qui ſuam artem peragunt verbis.* Vel ut tenet D. Hieronymus, *in Daniël. cap. 2.* Magi ſunt, *qui verbis rem peragunt.* Cum igitur Dogmaticus intendat morborum curationem, & hanc ſæpè conſequi non valeat per inſtrumenta ſupra propoſita. Dubitamus; Utrùm ſaltim pro illis morbis curandis deberet Medicus uti incantatione, ſeu verbis, aut carminibus in hunc finem conducentibus. Plinius anceps fuit: An verba prodeſſent pro morbis curandis? Zoroaſtes, Jamblicus, Alkimd, Sineſius, Origines, Pythagoras, Homerus; Theophraſtus verbis poſſe morbos curari affirmant. An illis liceat uti (diſputamus) prò morbis curandis?

Primò: pars affirmativa ſuadetur; quia Medici munus eſt curare: ſed ſunt plura verba ſeu incantationes, quæ plures valent morbos curare. Ergo Dogmatica medicina illis tenetur uti. Probatur minor: Marcellus enim, ſuſurriſtis verbis tenet necari lumbricos, à faucibus & oculis erui, quæ inhærent; alii facilitant partum his verbis in aure prolatis. *Su. Cymu due*, alii auferri febrem nugantur dicendo, *Sancte Petre & [illegible] ſtultum hunc ſanate.* Pomponatius tenet quendam ſolis verbis perſanaſſe duos: alterum ab Eryſipelate, alterum à fluxione in inguen. Gatinaria pro inſulto Epileptico hæc adducit verba ad aures dicenda:

Gaſpar fert myrrham: thus Melchior: Balthaſar aurum
Hæc tria qui ſecum portarit nomina Regum;
Solvitur à morbo Chriſti pietate caducæ.

Taranta pro eodē morbo iis utitur verbis ad aures prolatis. *Purget & mundet & muniat nos.* Gordonius in idem ex D. Matthæo hæc deſumpſit verba. *Erat ſpumans & ſtridens.* Trallianus ut curet podagram, collegit herbam altercum ante ſolis occaſum; Luna exiſtente in Aquario, aut piſcibus; & dicit hæc verba: *Adjuro te herba ſacra per ſancta nomina Joath, Sabath & Donac Eloi. Deus qui terrā formavit, & fecit mare fluviis abundans fluentibus, & qui exſiccavit uxorem Loth in ſtatuam ſalinariam, adjuro inquam te ut reſiſtas fluxione pedum.* Ad dentium dolores fertur verba hæc prodeſſe *Galbas, Galba, Galdei, Galda*; ad fluxum ſiſtendum ſanguinis: *Charat, cara, ſarite, confirma, conſona, imabolite*: Cardanus his utitur verbis: *Sanguis mane in te: ſicut Chriſtus fecit in ſe, ſanguis mane in tua vena, ſicut Chriſtus in ſua pena, ſanguis mane fixus ſicut Chriſtus fuit crucifixus.* Cato luxata mēbra tenet iis verbis reſtitui; *Danata Daries, Dardaries, Aſtararies.* Ad morſum canis rabidi alii hæc proponunt verba. *Irioni, Rhibori, Eſlera, Huder, fare*; Alii hæc *Pax max, drux, admax*: Sanguinem aliqui ſiſtere tenent, ſi digito poſito, loco ex quo fluit hæc proferantur verba: *Soc non, Soc non, Soc non,* Marcellus Paronchimiam curat his verbis: *Pu, pu, pu, nunquam ego videam per parietem repere.* Varro coxendicem

cem curat his verbis : *Siſta, piſta, riſta, xiſta* ; Alii hæc afferunt verba pro coxendice. *Negat Apollo, peſtem creſcere quam nuda virgo reſtringat.* Alii pro morſu canis rabidi hæc proponunt verba, *Gax, pax, max, Deus adimax.* Cantu ſeu carmine plures curari morbos tenent D. Thomas 22. q. 95. Turrecremata, *cap. ſed & illud, cap. ſin ſalutat ore* 26. q. 2. Sanchez *lib.* 2. Decalogi, Jacob Graffias *lib.* 2. *deciſion. cap.* 5. Petrus Vinclef, *lib.* 3. (*de maleficis.* Lucanus *Pharſal.* 7. Propertius *lib.* 3. *ecloga* 8. Alchindus *lib. de effectib & project. radior.* Theophraſtus. Si inter devorandum, quid in tonſillis affigitur excludi tenet dicendo: *Egredere os, quemadmodum Jeſus-Chriſtus è Sepulchro Lazarum eduxit & Jonam ex Cete* : Vel apprehenſio manu gutture dicendo: *Blaſius Martyr, & ſervus Chriſti dicit* ; *aut aſcende, aut deſcende* : Alii epilepticos reduci tenent in aure, *Purget & mundet, & muniat nos titulus triumphalis, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Cardanus Weckerus & Mizaldus, plura hujuſmodi verba pro morbis curandis adducunt : Marcellus verbis poſſe ſordes excludi ab oculis tenet, Aëtius aliis prolatis dicit dolores dentium curari. Jovinian. dicit : Apuli oppidanos, quibuſdam carminibus prolatis rabiem curaſſe : Agrippa plura ſuperaddit exempla.

Secundò : Galenus medicum Dogmaticum requirit Rhetoricum, non alia ratione : niſi quia verbis poſſit devincere morbos : Ergò dogmatica medicina debet uti verbis prolatis, pro morbis curandis.

Tertiò : Jus permittit uti incantationibus pro curandis morbis, ſed ut patet ex dictis verbis & carminibus morbi curantur; ergo dogmatica medicina hoc inſtrumento debet uti ultra ſupra annumerata. Probatur major. Tùm ex Divo Paulo ad *Coloſſenſ. cap.* 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut opere omnia in nomine Domini Jeſu-Chriſti.* Ex quo apparet, licere verbo operari. Tùm ex Jure Cæſareo. Conſtantinus enim, *lib.* 4. *C. de maleficiis* dicit, *nullis criminationibus implicanda ſunt remedia hominis quæſita corporibus*, & patebit latiùs *infrà.*

§. II.

Qualis verborum uſus liceat pro curandis morbis?

VErba ad curandos morbos, vim habent recipere ex Summa Dei poteſtate; vel ex propria verborum vi, & efficacia; vel ex pacto cum Dæmone tanquam ſigna illius pacti.

Reſolvendum primò : Quod poſſunt habere virtutem verba ſanandi morbos, quatenus concurrit Deus, & ideò licet Medicis uti verbis & deprecationibus, ut à Deo conſequantur ægrorum ſanitatem.

Probatur : Tùm ex Chriſto Domino, qui verus eſt Medicus, & qui vera eſt poteſtas, qua utitur pro morbis curandis, & qua uſus fuit, dum tot ægros ſanavit, leproſos, paralyticos, lunaticos, lycanthropicos, cæcos, ſurdos, febrientes, hydropicos, convulſos, immò & Lazarum quatriduanum ſuſcitavit verbis, ipſos ad ſanitatem, & ad vitam reducendo, quia ut inquit Divus Chryſoſtomus, *homil.* 25. *Ceſſit extemplò natura ubi Chriſtus juſſit:* Prophetæ ante ipſum, & poſt ipſum Apoſtoli, & innumeri Sancti verbis & deprecationibus conſecuti ſunt morborum curationes, ita ut hac præcipuâ virtute, ſint collocati in numero Sanctorum

Digitized by Google

RESOLVTIO XVII.

Vtrum medicina dogmatica debeat uti incantationibus pro curandis morbis?

§. I.

Quid incantatio? & quid prodeſſe poteſt? proponitur.

INcantatio eſt Oratio, vel prex ſolemnibus verbis concepta, quæ ad Dæmonem dirigitur. Ut Torreblanca deducit ex D. Auguſtino, *in cap. Igitur 26. quæſt. 3.* Incantatores ſunt, *qui ſuam artem peragunt verbis.* Vel ut tenet D. Hieronymus, *in Daniël. cap. 2.* Magi ſunt, *qui verbis rem peragunt.* Cum igitur Dogmaticus intendat morborum curationem, & hanc ſæpè conſequi non valeat per inſtrumenta ſupra propoſita. Dubitamus; Utrùm ſaltim pro illis morbis curandis deberet Medicus uti incantatione, ſeu verbis, aut carminibus in hunc finem conducentibus. Plinius anceps fuit: An verba prodeſſent pro morbis curandis? Zoroaſtes, Jamblicus, Alkimd, Sineſius, Origines, Pythagoras, Homerus; Theophraſtus verbis poſſe morbos curari affirmant. An illis liceat uti (diſputamus) prò morbis curandis?

Primò: pars affirmativa ſuadetur: quia Medici munus eſt curare: ſed ſunt plura verba ſeu incantationes, quæ plures valent morbos curare. Ergo Dogmatica medicina illis tenetur uti. Probatur minor: Marcellus enim, ſuſurriſtis verbis tenet necari lumbricos, à faucibus & oculis erui, quæ inhærent; alii facilitant partum his verbis in aure prolatis. *Su. Cymu due*, alii auferri febrem nugantur dicendo, *Sancte Petre & Paule ſtultum hunc ſanate.* Pomponatius tenet quendam ſolis verbis perſanaſſe duos: alterum ab Eryſipelate, alterum à fluxione in inguen. Gatinaria pro inſulto Epileptico hæc adducit verba ad aures dicenda:

> *Gaſpar fert myrrham: thus Melchior: Balthaſar aurum*
> *Hæc tria qui ſecum portarit nomina Regum;*
> *Solvitur à morbo Chriſti pietate caduca.*

Taranta pro eodẽ morbo iis utitur verbis ad aures prolatis. *Purget & mundet & muniat nos.* Gordonius in idem ex D. Matthæo hæc deſumpſit verba. *Erat ſpumans & ſtridens.* Trallianus ut curet podagram, collegit herbam altercum ante ſolis occaſum; Luna exiſtente in Aquario, aut piſcibus; & dicit hæc verba: *Adjuro te herba ſacra per ſancta nomina Joath, Sabath & Donac Eloi. Deus qui terrã formavit, & fecit mare fluviis abundans fluentibus, & qui exſiccavit uxorem Loth in ſtatuam ſalinariam, adjuro inquam te ut reſiſtas fluxione pedum.* Ad dentium dolores fertur verba hæc prodeſſe *Galbas, Galba, Galdel, Galda*; ad fluxum ſiſtendum ſanguinis: *Charat, cara, ſarite, confirma, conſona, imaholite*: Cardanus his utitur verbis: *Sanguis mane in te ſicut Chriſtus fecit in ſe, ſanguis mane in tua vena, ſicut Chriſtus in ſua pena: ſanguis mane fixus ſicut Chriſtus fuit crucifixus.* Cato luxata mẽbra tenet iis verbis reſtitui; *Danata Daries, Dardaries, Aſtararies.* Ad morſum canis rabidi alii hæc proponunt verba. *Irioni, Rhibori, Eſtera, Huder, fate*; Alii hæc: *Pax max, drux, admax*: Sanguinem aliqui ſiſtere tenent, ſi digito poſito, loco ex quo fluit hæc proferantur verba: *Soc non, Soc non, Soc non*, Marcellus Paronchimiam curat his verbis: *Pu, pu, pu, nunquam ego videam per parietem repere.* Varro coxendi-

rem curat his verbis : *Siſta, piſta, riſta, xiſta* ; Alii hæc afferunt verba pro coxendice. *Negat Apollo, peſtem creſcere quam nuda virgo reſtringat.* Alii pro morſu canis rabidi hæc proponunt verba, *Gax, pax, max, Deus adimax.* Cantu ſeu carmine plures curari morbos tenent D. Thomas 22. *q.* 95. Turrecremata, *cap. ſed & illud, cap. ſin ſalutat ore 26. q. 2.* Sanchez *lib. 2. Decalogi,* Jacob Graffias *lib. 2. deciſion. cap. 5.* Petrus Vinclef, *lib. 3. (de maleficis.* Lucanus *Pharſal. 7.* Propertius *lib. 3. ecloga 8.* Alchindus *lib. de effectib & proiect. radior.* Theophraſtus. Si inter devorandum, quid in tonſillis affigitur excludi tenet dicendo: *Egredere os, quemadmodum Jeſus-Chriſtus è Sepulchro Lazarum eduxit & Jonam ex Cete* : Vel apprehenſio manu gutture dicendo · *Blaſius Martyr, & ſervus Chriſti dicit; aut aſcende, aut deſcende* : Alii epilepticos reduci tenent in aure, *Purget & mundet, & muniat nos titulus triumphalis, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Cardanus Weckerus & Mizaldus, plura hujuſmodi verba pro morbis curandis adducunt : Marcellus verbis poſſe ſordes excludi ab oculis tenet, Aëtius aliis prolatis dicit dolores dentium curari. Jovinian. dicit: Apuli oppidanos, quibuſdam carminibus prolatis rabiem curaſſe : Agrippa plura ſuperaddit exempla.

Secundò : Galenus medicum Dogmaticum requirit Rhetoricum, non alia ratione : niſi quia verbis poſſit devincere morbos : Ergò dogmatica medicina debet uti verbis prolatis, pro morbis curandis.

Tertiò : Jus permittit uti incantationibus pro curandis morbis, ſed ut patet ex dictis verbis & carminibus morbi curantur; ergo dogmatica medicina hoc inſtrumento debet uti ultra ſupra annumerata. Probatur major. Tùm ex Divo Paulo ad *Coloſſenſ. cap. 3. Omne quodcunque facitis in verbo aut opere omnia in nomine Domini Jeſu-Chriſti.* Ex quo apparet, licere verbo operari. Tùm ex Jure Cæſareo. Conſtantinus enim, *lib. 4. C. de maleficiis* dicit, *nullis criminationibus implicanda ſunt remedia hominis quæſita corporibus*, & patebit latiùs *infrà.*

§. II.

Qualis verborum uſus liceat pro curandis morbis?

Verba ad curandos morbos, vim habent recipere ex Summa Dei poteſtate; vel ex propria verborum vi, & efficacia; vel ex pacto cum Dæmone tanquam ſigna illius pacti.

Reſolvendum primò : Quod poſſunt habere virtutem verba ſanandi morbos, quatenus concurrit Deus, & ideò licet Medicis uti verbis & deprecationibus, ut à Deo conſequantur ægrorum ſanitatem.

Probatur : Tùm ex Chriſto Domino, qui verus eſt Medicus, & qui vera eſt poteſtas, qua utitur pro morbis curandis, & qua uſus fuit, dum tot ægros ſanavit, leproſos, paralyticos, lunaticos, lycanthropicos, cæcos, ſurdos, febrientes, hydropicos, convulſos, immò & Lazarum quatriduanum ſuſcitavit verbis, ipſos ad ſanitatem, & ad vitam reducendo, quia ut inquit Divus Chryſoſtomus, *homil. 25. Ceſſit extemplò natura ubi Chriſtus juſſit:* Prophetæ ante ipſum, & poſt ipſum Apoſtoli, & innumeri Sancti verbis & deprecationibus conſecuti ſunt morborum curationes, ita ut hac præcipuâ virtute, ſint collocati in numero Sanctorum

Digitized by Google

Et Medici ſancti D. Lucas Evangeliſta, Coſmas & Damianus, Panthaleon, Urſicinus, Cyrus Martyr, ſanctus Samſon, Zenobius. Diomedes, ſanctus Antiochus, nec ſolum uſi ſunt medicina, ſed verbis, orationibus: & deprecationibus, quibus morbos curabant. Præterea: quia ut tenet Divus Thomas, Spingerius, *parte* 2. *q.* 2. *cap.* 6. & admittit Francus, Tum licet uti verbis, & deprecationibus pro morbis curandis, dum verba non continent aliquid expreſſe ad invocandum dæmonem, nec continent verba ignota, in quibus lateat aliquid ſuperſtitionis, nec aliquid falſitatis in verbis continetur, nec aliquod vanum, nec ponitur ſpes in modo proferendi, aut dicendi, aut in aliquo quod non pertineat ad divinam Reverentiam, & præcipuè dum effectus committitur divinæ Potentiæ, & ab ea expectatur morborum curatio. Ergo licet dogmaticæ medicinæ & ejus Profeſſoribus uti verbis, & deprecationibus, ex quibus divina ope fiat morborum curatio.

§. III.

Verba, & carmina omni carent ex ſe agendi poteſtate.

RESolvendum ſecundo. Quod carmina, verbave ab hominibus prolata nullam habent naturalem virtutem ad morbos ſanandos, ſed ſolum ſe habent ut ſigna affectuum proferentis, ſic tenet Torreblanca, *lib* 11. *Practica juris Spiritualis cap.* 10. quæ verba nullam habere phyſicam poteſtatem, ſeu naturalem ad effectus operandos viſibiles confirmat ex Divo Thoma, 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. tenent Cajetanus, Roſet, Tabiena, Armilla, Sylveſr. & alii Summiſtæ *in cap. incantatio*: & tenet Veracruz *li.* 2. *de Anima ſpeculat.* 2. Azor *to.* 1. *Moral. lib.* 9. *cap.* 25. Anania *de natura dæmonum. lib.* 4. Ciruelo *de ſuperſtitione p.* 3. Victoria *in relect. de magia. num.* 34. Del-Rius *lib.* 1. *magia cap.* 3. *q.* 4. Leſſius *li.* 2. *de Juſtit. cap.* 43. *dub.* 10. Stephanus Pabulus *in D. Thom. p.* 1. *q.* 50. *art.* 1. *diſput.* 2. Soncus *de Religion. tract.* 3. *cap.* 8. Beza *p.* 1. *caſu* 24. ex Juris Profeſſoribus, Martinus de Arles *tract. de ſuperſtit. ex num.* 9. *ex Oceano juris tom.* 10. *epiſt.* Simancas *de Cathol. inſtitut. titulo* 63. Paulus Grilland. *de Sortileg. q* 6. *num.* 8. Azpilcuera *in manuali cap.* 11. Jacob Graffis *lib.* 2. *deciſionum. cap.* 3. *& cap.* 5. *n.* 1. Zerola *in praxi epiſcopor. tom.* 1. *quaſt.* 20. Llamas *in Methodo cap.* 3. Majol *tom.* 1. *colloq.* 3. Sequuntur ex medicis Hippocrates, *lib. de ſacro morbo.* Galenus *lib* 2. *&* 7. *ſimplic.* Geropius *in Hermathena lib.* 1. Fernelius, *lib.* 2. *de abditis rerum cauſis cap.* 16. Horatius Augenius, *lib.* 2. *cap.* 7. Andreas Laurentius, *lib.* 1. *de virtute Regis Galliæ cap.* 5. Ceſalpinus *lib.* 6. *de inveſtigat. dæmon. cap.* 22. Codronchus *lib.* 6. *de morbis venefic. cap.* 2. Foreſtus *tom.* 1. *obſervationum cap.* 15. Bayrus *lib.* 2. *de faſcinat. c.* 11. Alfarus *tract. de las heridas de caveza cap.* 2. Fragoſ. *Chirurg. q.* 90. & inter Recentiores Sennertus *tom.* 3. *titulo de faſcinat.* Francus *in campo elyſio quaſt.* 22.

Probatur primo. Vox eſt ſonus prolatus ab ore proſiliens ex aëre verberato à lingua & larynge, ſed naturaliter ex hac aëris verberatione ſolum reſultat ſonus, ex quo naturaliter nihil cauſatur, niſi quod ſumatur ut ſignum alicujus internæ affectionis, vel ad placitum conceptuũ mentis ad quæ omnia paſſivè ſe habet pro nutu audientis, vel placito gentiũ ſignificãdo, ergo in illa nulla eſt agendi virtus morborũ curatrix.

Probatur

Digitized by Google

Probatur ſecundo, Si verba aut carmina prolata haberent aliquam poteſtatem agendi, maximè, quia ut tenet Alchindus *lib. de effectib. & projectu radior.* ab ipſis verbis atque deſiderio, dum aliquid precamur, derivantur radii, qui efficiunt quod optamus. Sed hunc impium errorem confutant Nicol. Eymericus *in Directorio Inquiſitorum p. 2. q. 4.* Franciſcus Picus Mirandulanus *lib. 7. prænot. cap. 6.* & ut tenet Torreblanca, coincidit cum errore Avicennæ, qui tenet orationes & exorciſmos habere vim ex ordine naturæ, quam ipſis tribuit verbis, quemq; refutat etiam Martinus Del-Rio, *lib. 2. magicar. quæſtionum,* Et probat ratio: quia illi radii cum ſint vocum effectus, minorem quam illæ haberent virtutem. Si enim convicti ſunt, quod verba non habent vim agendi, multo magis convinci debent, ut radios non producant, & ipſi adhuc producti vim ſanandi non habeant. Præterea: quia vis ſanandi in rebus naturalibus debet eſſe virtus morbo contraria, cum *contraria contrariis curentur*; nec eſt cur in radiis admittatur naturalis virtus, quæ opponatur morbo.

Probatur tertio: Verba conſiſtunt in ſonitu, qui eſt res fluxilis, & in tranſitu conſiſtens ſeu in via; ſed talia entia nequeunt cauſare effectum naturalem permanentem, nec permanentes habere virtutes, ut probant Abulenſis *in Levit. cap. 19. & Exod. 20. tom. 1. q. 1. & 8.* Paral. pom. 2. *c. 14. quæſt. 12.* Holcot. *in ſapient. ſect. 159.* Cirvelo *de ſuperſtit. p. 3. cap. 12.* Majol. *tom. 2. Canicul. colloq. 5.* Martinus del-Rio *lib. 3. mag. quæſt. 8.* Suarez *de Relig. tom. 2. cap. 15. num 26.* Ex quibus convincit idem Torreblanca loco citato.

§. IV.

Ope dæmonum poſſunt carmina, & verba prolata varios producere effectus morboſq; curare.

RESolvendum tertio: Quod ope dæmonum carmina & verba prolata poſſunt mira efficere, & varios morbos cauſare & curare. Patet exemplis ſupra adductis carminum, & verborum, quæ proponuntur pro morbis curandis, quæ cum non habeant vim operandi à Deo, nec à ſe, à dæmone neceſſe eſt obtineant vim.

Probatur ex Divo Hieronymo *in Danielem cap. 2* ubi dicit: *Magi ſunt qui verbis rem peragunt.* & Divus Auguſtinus *in cap. Igitur 26. q. 3.* inquit: *Incantatores ſunt, qui ſuam artem peragunt verbis.* Livius tantam eis tribuit vim *lib. 1.* ut narret fuiſſe Romanis carmen, quo poterant fugare inimicos; Similiter & ſagæ plerumq; ſanitatem conſequuntur prolatis vel ſuſurratis quibuſdam verbis, quæ non poſſunt illam operari, niſi ob pactum cum dæmone, ut tenet Sanchez *lib. 2. decal.* Martinus del-Rio *lib. 3. Mag. quæſt. p. 2. q. 4.* Suarez *tom. 2. p. 3. diſp. 15.* Ratio eſt: quia verba (ut probavimus) non agunt, nec poſſunt ſagæ inſtituere cæremoniam Divinam, ob quam ope Dei operentur, nec Deus poſſet ab illis cogi ad operandum, ut Torreblanca probat ex Divo Thoma *1. p. q. 110. art. 3. & lib. 3. contra gentes cap. 13.*

Præterea patet: quia Dæmon poteſt miracula facere, & conſequenter Incantatores, qui ope ejus operantur, per verba, carmina, & incantationes, & mira facere, & morbos valebunt curare. Illius virtutem expertus fuit Job: inquit *cap. 1. Egreſſus à*

Digitized by Google

Facie Domini Sathanas percuſſit Job ulcere peſſimo : & ejus ope incantatores poſſunt, quidquid Dæmon, ut tenent D. Auguſtin. *lib*.3. *de Trinitate*, *cap*.3. Raphael de la Torre, *tom*. 2. *de vitiis oppoſitis Religioni*, *q*. 95. Docuitque Chriſtus Dominus *apud Matthaum cap*. 24. *Surgent Pſeudo-Chriſti, & Pſeudo-Propheta, & dabunt ſigna magna & prodigia.* Ex quibus convincitur Seneca *lib*.30. *cap*. 2. qui judicavit incantatorum opera eſſe fictitia: poſſunt enim & morbos curare, & cauſare, & alios producere effectus, ſive per alterationem veram, & applicando activa paſſivis, ſive per propriam virtutem, qua fruuntur ratione propriæ naturæ, ſive per illæſionem, ut deducitur ex Petro Lombardo *in ſecundo ſent. diſt*. 7. ex D. Thoma 1. *p*. *q*. 114. ex Buling *de magia lib*. 1. *cap*. 7. & ex Bonaventura *de pracept. Decalogi diſput*. 3.

§. V.

Dogmatica medicina non datur uti dæmonis ope.

RESolvendum quartò. Quod medicina dogmatica non debet uti verbis ſuperſtitioſis, aut carminibus pro morbis curandis, etiamſi nullis aliis auxiliis valeat ægrorum ſanitatem conſequi: ſic *ſequenti Reſolutione* demonſtrabimus latius.

Probatur primò. Quia ut tenet Frænus à Reyes *quaſt*. 22. Nec uti licet verbis divinis ab Incantatoribus prolatis pro morborum curatione: ergò multo minus reliquis ſuperſtitioſis. Patet antecedens ex Divo Chryſoſtomo *in Matthaum*, ubi dicit: Quod *ſi Evangelii verba ab iis hominibus prolata curarent morbos, melius eos curarent audita in Eccleſia* : & Divus Auguſtinus *in Evangelium Sancti Joannis* dicit: *Illi qui ſeducunt per ligamenta, precationes, & per machinamenta inimici, ſuis precationibus miſcent nomen Chriſti, ut lateat ipſa ſeductio.* Nec ipſi Dæmones perfectam præſtant per hæc verba ſanitatem, quam ſemper contendunt auferre ab hominibus, ut Fernelius tenet, *lib*. 2. *de abditis rerum cauſis c*.16. *Nam licet Dæmon ægrū perſanare poſſit, tantum beneficium in hominem; quem perpetuò inſequitur invidia conferre nequaquam vult:* & ſi quando præſtat, id eſt ad tempus, & vehementior poſtea morbus redit.

Probatur ſecundò: Medicina dogmatica eſt ſcientia naturalis, quæ docet naturali modo morbos curare per medicamenta, quæ præſtitit illi Deus, & ſunt illa creata ex terra, ut docet ſacra Pagina, ergo non debet admittere, quæ tribuuntur à Dæmone.

Probatur tertio, ex decretis omni ætate prohibentibus medicinæ uti dæmonum ope pro curandis morbis. Apud Athenienſes lege cautum fuit; ne quis verbis mederetur, & in Achaia lapidibus obruta fuit mulier legis rigorem experta contra eos, qui verbis curabant morbos. Imperator Caracalla lege idem ſancivit. Martinus del- Rio refert Ypris quendam condemnatum fuiſſe: quia ſanctæ conſecrationis recitatis verbis omnia ſanabat vulnera. Divus Thomas *p*. 2. *quaſt*. 11. *art*. 4. execratur verborum abuſum pro curatione morborum, præcipuè ſi ſint verba ſacræ Scripturæ, inquit enim: *Sic non ſolum per Apoſtaſiam a fide, verum etiam perfidia ſacrilegii vitium incurrat, atq; ipſe Creator amplius offendatur, & ut majori opportunitate plures ruere faciat, Cùm ſacris rebus videant hujuſmodi pacta commendari*: Nec aliter, quam pacto poſſent verba curare

mor-

Digitized by Google

morbos, quod à Dæmone edoctus Paracelſus fatetur, dicens: *Syrupi & Apozemata ſunt medicina hominum, verba & characteres Dæmonum.*

Probatur quartò, (ut probavimus) qui verbis aut carminibus curant morbos, ſunt incantatores; ſed uti incantationibus medicinæ, quæ eſt ſcientia naturalis à Deo communicata hominibus in ſubſidium ſuæ ſalutis, non permittitur: ergò non debet uti verbis aut carminibus pro curatione morborum. Probatur minor ex ſacra Pagina *Levit.* 10. Ubi minatur declinantibus ad Magos, ſuperaddens: *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitamini, ut non polluamini per eos:* ergo nec dogmatica medicina utens illis debet pollui.

§. VI.
Solvuntur primò poſita fundamenta contraria.

AD primum reſpondetur: Quod munus medicinæ dogmaticæ eſt curare, vel opem divinam implorando à Deo, à quo ipſa medicina fuit creata, vel utendo auxiliis in hunc finem ipſi præſtitis. *Creavit enim Altiſſimus medicinam de terra:* id eſt, medicamenta, quæ ſuis virtutibus naturalibus à Deo in hunc finem illis præſtitis morbos profligare valent.

Ad ſecundum reſpondetur: Quod Galenus optat Medicum Rhetoricum, ut ſuadeat facienda ægris; non tamen optat illum impium, & qui utatur remediis ope dæmonum operantibus; ſed ſuis tantum naturalibus viribus, quas unicuiq; præſtitit Deus, ut tanquam inſtrumenta medicinæ prodeſſent pro morbis curandis.

Ad tertium reſpondetur: Quod D. Paulus docet: quòd operemur verbo, & opere, conantes à Deo cònſequi, quod exoptamus. Et hæc omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti. Nec Juſtinianus ſuadet contrarium, cùm ſacra pagina doceat declinare ab Ariolis, & Incantatoribus, nec leges ſuadent niſi licitum, quale eſt quærere omnia auxilia, ex quorum uſu anima non contaminatur; nihil enim prodeſt homini, ſi animæ detrimentum patiatur; nec ex dæmone admittere ſanitatem licitum fuiſſe ignoravit antiquitas; cùm (ut vidimus) Ethnici legibus id vetaverint, & punitionibus impedierint; & latius ſubſequenti Reſolutione patebit hæc doctrina.

RESOLUTIO XVIII.
Utrum dogmatica Medicina pro morbis curandis debeat uti appenſis ſigillis aut characteriſmis?

§. I.
Status difficultatis & fundamenta admittentium characteriſmata, ponuntur.

REcepit vulgus per verba prolata, ſcripta, aliaſve figuras, puncta, lineas, aut characteros in papyro ſcriptas, metallis, annulis, laminiſve inſculptas, morbos curari. Inquirimus; An liceat dogmaticis Medicis uti illis, dogmaticæque medicinæ illa reponere inſtrumenta, quibus utitur pro morbis curandis.

Videntur hæc eſſe recipienda primò: juxta Judæorum Caballiſticam artem magiamve inter ipſos receptam, quæ iis utebatur, & illam ab Adamo dimanare contendunt Judæi, ſeu Hebræi, non ſcripto modo, ſed per traditiones ab ipſo derivatam in homines, Joſeph Carnicoph. Rab. Racanath. Abrach, Æphia in Ramban,

judicant, tamen Sectatores in Caballa, ut tenet Torreblanca, complecti univerſam philoſophiam divinam, & humanam, & omnium rerum doctrinam, non rationibus, ſed nominibus, characteribus, numeris, figuris, punctis, & ſymbolis, ut tradunt Cœlius Rhodiginus, *libr.* 14. *antiq. lection. cap* 102. Petrus Cirvelo Dorocenſis, *in Apologia contra Caballam, & tract. de ſuperſtitionibus p.* 3. Benedictus Pereyra *lib.*1. *de magia capit.*10. Horoſ. Covarrubienſ. *libr.* 2. *de falſa Prophetia, cap.* 18. Martin. del Rio *lib.* 4. *Mag diſput. p.* 1.*quæſt.* 2. Joannes Azor *Inſtitution. Moral. p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 23. & ex hac doctrina ut refert Majolus *tom.* 3. *colloq.* 1. apud Judæos receptum erat, quòd pro morbis curandis licebat uti characteribus, & quibuſlibet aliis remediis, ex quibus poſſet conſequi ſalus, etiamſi magica arte, & ope dæmonum operarentur, & ideo Phylacteria vendere in templo licebat, quibus magica vi conſequi poſſet ſanitas, quia ſaltim gratia finis licitam fuiſſe apud ipſos fuit receptum. Ergo dogmatica medicina in hunc finem debet illa recipere.

Secundò: Pluribus hujuſmodi auxiliis uſi ſunt antiqui pro morbis depellendis: ergo illis debet uti dogmatica medicina. Probatur antecedens. Marcellus Empiricus Hæmitritæum curat per hæc verba: *Habraca dabra* papyro taliter inſcripta & collo appenſa. Trallianus Herculis imaginem ſuffocantis leonem in annulo incluſam, tenet colicos morbos, & dolores poſſe curare: ſicut & ferreum annulum, in quo ſit inſcriptum, *fuge, fuge, heu bilis alauda quærebat*: tenet & podagram curari lamina aurea, in qua luna exiſtente in leone inſcribatur verſus Homeri. De Galeno traditur tractatum edidiſſe de Medico Homeri, in quo plura erant hujuſmodi remedia. Eudemus annulos faciebat inſcriptis verbis, per quæ fugabantur ſerpentes. Polydorus Virgilius meminit Servilium liberatum à morbis oculorum, geſtata in collo charta inſcriptis *P.* & *A.* Vidit annulum dæmonem expellentem ex corpore Philoſophus. Thebit traditur ſimiles feciſſe annulos. Plato credit Gygem habuiſſe annulum, quo ſe inviſibilem reddebat. Averroës fidit characteribus pro morbis curand s. Ludovicus dulcis judicat ex figuris ſyderũ in gemmis inſcriptis provenire indicibiles effectus. Platonici idem crediderunt. Trallianus podagram curat cum herba verbis quibuſdam impoſitis; ergo ſunt plures inſcripti charactere, quibus antiqui varios curabant morbos.

Tertiò: inter res naturales miræ ſunt amicitiæ ſeu ſympathiæ, & inimicitiæ ſeu antipathiæ, ob quas conſervantur, & corrumpuntur ab inimicis, quibus licet uti pro iis conſequendis effectibus; ergo cum poſſent eſſe ſimiles antipathiæ inter characteres & morbos licebit dogmaticæ medicinæ illis uti. Patet antecedens: quia ut inquit Radonæus, quaſi cogente naturali lege, alii ſe diligunt; alii ſe odio proſequuntur. Cæſar ſic convictus amavit Marium, Damon Pithiam, Oreſtes Pyladem, Eſau odivit Jacob, Eteocles Polinecem, lupum ovis, elephas Rhinocerontem, crocodilus Ichneumonem. Tinnunculus accipitres terret, leonem gallus, torpedo ſimiam, aquila draconem, felis murem; cornix noctuam, milvus pullum; ſic concordes reddidit natura pavones, & columbas, turtures & pſittacos, merulas, & turdos,

Digitized by Google

dos, hircos & equos, oves & capras, balenam & hegeterum; & inter ſtirpes, vitem & ulmum, rutam & oleam, myrtum & laurum; ſycilla occidit reliquas plantas; olea & quercus vicinam renuunt; vitis & braſſica, felis & arundo; nux & quercus.

Quarto: pro ſanitate conſequenda, vel alio bono, tenent plures, licere uti ope dæmonum: ergo pro morbis curandis etiam licebit dogmaticæ medicinæ uti characteribus, appenſis, ſigillis, etiamſi ſola ope magica valeant operari. Probat antecedens Felix Malleolus *tomo 2. libr. 6.* Et confirmat: quia Germano Epiſcopo in curia Regis Britanniæ verbis aſinum mortuum reducere ad vitam fuit permiſſum. Et Paracelſus *lib. de cæleſti medicina* dicit: non referre, *An Deus an Angelus an Diabolus ægro opem ferat? modo curetur æger*: quia Divus Lucas inquit: *Salutem ex inimicis noſtris & de manu omnium qui oderunt nos.* Et Hiſpani communiter dicunt: *Hagaſe milagro, hagale el diablo.* Et concludit: quod ſi aliud remedium non ſufficit, pacto dæmonis curare non eſt contra Deum: quidquid Theologi dicant. Sunt qui judicent, idem tenuiſſe Scotum 4. *diſt.* 34. licet Majolus aliter ſentiat, Azor, Archidiaconus, Baldus, Bartholus, & Salicet relati à Camill. *libr. 1. de ſignif. verborum cap.* 17. & Moura *ſect.* 1. tenent, incantationem ad vitandum aliquod malum eſſe licitam, & probant *ex lege eorum, C. de maleſ.* & ex alia *lege 12. tabular.* quibus aſſentitur Hiſpana lex *tit.* 23. *p.* 7. in quibus admittitur ſedare maleficio tempeſtatem, maleficio commotum eſſe actum bonum. Idem confirmat Sanctorum exemplum, qui uſi ſunt dæmonum miniſterio pro rebus non omninò neceſſariis. Divus Thomas probat 2. 2. *q.* 9. *art.* 3. Quòd Divus Jacobus fecit Hermogenem ad ſe adduci per dæmonem. Divus Dominicus dæmonem coëgit ad tenendam noctu candelam. Joannes de Sanctis narrat *lib. 1. hiſt. Orientalis cap.* 91. quòd D. Tecla dæmonem coëgit ad miniſteria domus obeunda. Hortiz refert de Martino Verox Franciſcano, illum videlicet coëgiſſe dæmonem, ut ipſum ſupra ſe portaret per fluvium, & lapides ad Monaſterium conceptionis Toleti; ergo licebit Medicis characteribus, & aliis hujuſmodi uti pro ſalute ægrorum conſequenda, licet non operentur, niſi ope dæmonum.

§. II.

Characteriſmata nullam habere vim naturalem traditur, nec appenſa.

RESolvendum primò. Quod characteres, appenſa & ſigilla nullam habent vim, ob quam debeat Medicus per illa ſanitatem procurare. Probatur: quia virtus ad operandum, aut eſt naturalis, quæ naturalibus rebus ineſt ex propria natura, & petit operari juxta ordinem rerum naturalium; vel eſt ſupernaturalis, quæ excedit vim & modum operandi omnium creaturarum, qualis eſt virtus Dei, quæ efficit miracula, vel eſt ultra naturam, non tamen excedit modum operandi cujuſvis creaturæ, qualis eſt virtus operandi Dæmonum: quæ excedit communem modum operandi juxta ordinem rerum naturaliũ, & ideo prodigia faciunt, operantur tamen ut creaturæ, & ideò non facit miracula, ſed characteres & ſigilla non operantur miraculosè, & per virtutem Dei abſolutam: quia, ut diximus ex Divo Thoma, nequit

crea-

creatura cogere Creatorem ad operandum & ideo per illa nequeunt homines Deum cogere ad operandum. Nec operantur juxta ordinem naturalem : quia non habent virtutem agendi ; nec prout ſunt entia naturalia, haberent enim illam ante characteriſmata, neque ut ſunt entia artificialia, quibus nulla eſt virtus agendi, ut probat Torreblanca, & Scaliger *lib.* 16. *de ſubtilitate, cap.* 349. ex Langio *epiſtola* 33. ex Valleſio *lib. de ſacra philoſophia. cap.* 3. Et ſuadet ratio : quia ſunt quantitas continua, aut diſcreta, quibus denegat Ariſtoteles *capite de quantitate*, vim agendi, ſi ſcribantur, ſunt quædam ſigna ſcripta conceptuum, ſeu vocum, quæ nullam adhuc in ſe habent vim agendi ; ut probavimus; nec characteres, aut ſigilla morbo poſſunt opponi, cùm non ſint ſub eodem genere ; nec ratione materiæ, quæ non agit; nec ratione formæ, quæ non eſt phyſica, ſed artificialis, cui denegatur agere: ergò non debet illis uti medicina dogmatica, quæ debet uti ope Dei, ut diximus, & dixit David : *Ipſe enim omnes infirmitates ſanat verbo virtutis ſua.* Et per illam Angelus Gabriel Tobiæ viſum reſtituit ; & in probatica piſcina plures ſanabat per Angelum moventem aquas : ſic per Eliſæum curavit lepram Naam Syri : per D. Paulum claudum ſanavit, & plures ægros per ejus umbram, & per manus impoſitionem : inquit enim. D. Marcus : *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Vel ope naturali, qua carent, ut probavimus.

§. III.

Dæmonis virtute valent characteres & ſigilla morbos curare.

RESolvendum ſecundò, quòd virtute ultra naturali dæmonis per characteres, ſigilla & appenſas figuras poſſunt morbi curari, & alia fieri portenta, quæ medico fugienda.

Probatur ; Tum ex exemplis adductis, quæ probant per appenſa & characteres curari morbos aliquos, & cum non ope Dei, aut viribus naturæ, ut probavimus, reſtat ut ope dæmonum fiat curatio. Tum quia ut tenet Moura omnium Doctorum eſt regula generalis : quod omnis obſervantia vel cæremonia ad cujus præſentiam conſequitur ſalus, ſolà ope dęmonum poſſunt promittere ſanitatem, quæ fugienda ex dictis antecedenter : & docet Divus Auguſtinus *in libro* Cypriano attributo *de duplici Martyrio.* Tertullianus *lib. de anima cap.* 57. Divus Thomas 1. *Corinthior. lect.* 1. *Nolo vos fieri ſocios Dæmonum*: admittunt Patres : tenent Conſilia : Sacri Canones, ut teſtatur Synodus Hildesheymenſis *cap* 1. *tit. ult.* quæ habetur *tom.* 3. *concilior.* & apud Gratianum *tota cauſa* 25. 26. Farinacius refert plures *pract. q.* 20. *Conſil.* 10. *num.* 6. Concilium Lateranenſe, ſub Leone 10. *ſeſſ.* 9. *titulo reformat. Curia & in Conſtit. Ratisbonenſi* habita *eod. tom.* 3. Idem tenent leges civiles, & diſputant contra contrarium errorem D. Thomas 2.2.*q.*95. *art.* 1. ubi Cajetanus ; *& quæſt.* 96. *art.* 2. *ad Tertium*, *opuſculo* 25. *cap. ultimo*, ubi concludit, eſſe hanc doctrinam manifeſtam. & *in* 4. *diſt.* 34. *q. unica. artic.* 3. *ad* 3. Scotus *lib.* 2. *de Juſtitia, quæſt.* 3. Ciruelo 1. *p. cap.* 2. Sanchetz *lib.* 7. *de Matrimonio.* Suarez *tom.* 1. *de religione, lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 8. Comprobant ex *Geneſi* 3. *Ponam inimicitias inter ſemen tuum & ſemen ejus:* Ubi per inimicitias omne genus earum intelligunt habendum cum Dæmone ; nec cauſa utilitatis poſſe haberi amicitiam. Martinus

del-

Digitized by Google

del-Rio vertit: *ponam bellum irreuocabile ex Iob* 40. *verſ.*27. *memento belli, nec vltra audeas loqui, & 1. ad Corinth.* 10. *Nolo vos fieri ſocios Dæmonis;* & *in Levit.* 19. *&* 20. & *Deuteronom.* 18. A Deo pœnis comminatoriis, etiam uſque ad quartam generationem prorogandis, prohibetur verſari cum Ariolis: & Chriſtiani in Baptiſmo abrenuntiamus Diabolo adhuc pro omni vtilitate, quæ ex ipſo promittatur.

Probatur ultimo; Dæmon ita flagrat odio inexplicabili in homines, & deſiderio nos interficiendi corporaliter, & inferendi quæcunque mala corporalia, quod odium eſt immutabile, ut ſi eſſet in ejus poteſtate, jam homines deperijſſent, ergo ope illius non debet uti Dogmatica medicina, nec debent homines hæc ab illo expectare: patet antecedens ex D. Joanne 8 *verſ.* 44. *Ille homicida erat à principio?* & ex Divo Petro? *Aduerſarius veſter Diabolus circuit quærens quem devoret?* & ex Clemente Romano, qui inde infert *lib.* 1. *de recognit Teſtes, cœlum, & terram inquit Petrus. Quòd ſi quantum cupit inimicus deſervire permitteretur etiam à Deo, olim omnes homines deperiiſſent.*

§. IV.

Contraria ſoluuntur objectiones, & fundamenta.

AD primum reſpondetur: quòd ut probavimus: jure Diuino prohibitum eſt uti ope Dæmonum ſiue in bonum, ſiue in malum finem, non enim excuſat quod fiat in bonum finem, quia docet Divus Paulus *ad Romanos* 3. Quod *non licet facere mala, ut eveniant bona*: Nec ex Arte Caballiſtica quidquam conuincitur: quia origo, & fundamentum Artis eſt falſum: & ſolo Dæmonis pacto vim habet agendi, cum quo licet Iudæi impij fuerint in commercio, nobis eſt fugiendum: expertus enim fuit Rex Ochozias pœnam delicti *Regum* 4. *c.* 1. *Nunquid non eſt Deus in Iſraël, ut eatis ad conſulendum Belcebub Deum Acherontis, quamobrem hæc dicit Dominus: de lecto ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Si enim nullis dogmatica medicina valet auxilijs morbos curare, vel Deus ſic vult contra quem Dæmonis nulla eſt vis; vel incurabilis eſt morbus auxilijs humanis; & tunc cedit medicina, & recurrendum eſt ad Deum; in quo ſtat plena poteſtas vitæ, & mortis.

Ad ſecundum reſpondetur; quòd fatemur, quòd Dæmonis virtute & pacto poſſint ſigilla, characteres, appenſa, & alia hujuſmodi morbos curare; ſed non eſt licitum Dogmaticæ medicinæ illis uti; quia medicinis vim naturalem habentibus ad curandos morbos debet uti, vel recurrere ad Deum, qui nobis illam limitatam dedit ut memores ipſius tanquam ad primam cauſam ad ipſum recurramus.

Ad tertium reſpondetur; quòd licèt dogmaticis liceat uti rebus, quæ ſympathiam aut antipathiam habent cum cauſis ſalubribus, aut morboſis, quia habent virtutes naturales agendi; non tamen characteribus aut figuris, quæ nullam ex ſe & naturaliter vim agendi habent; ſed tantum à dæmone, cujus ope non licet uti, quia inimicus eſt hominum; & non ſalutem, ſed eorum quærit tribulationes, pœnas, pericula ad mortem: ex quo Origenes deducit ad Deum recurrendum: *Quia non ſumus Idolorum nec incantationum, neq; auguriorum, neq; Divinationum, neque maleficiorum; nec Philacteriorum, nec ullius he-*

rum, quæ ſunt ſervitus dæmonum, & diaboli ſeductiones; ſed Domini ſumus, qui dominatur vitæ & morti.

Ad quartum reſpondetur: quod divina lege, ut probavimus, prohibitum eſt, ſive in bonum, ſive in malum finem, uti dæmonis ope, ita ut nec ad auferendum maleficio inductum morbum hoc liceat, quia ut probat Sennertus *tom.* 3. & tenet Torreblanca *in Practica de Jure ſpirituali*: nullo modo poteſt licitè Magus uti arte ſua ad tollendum maleficium; niſi expreſſe vel tacitè invocando dæmonem, ut docent Martinus de Arles *tract. de ſuperſtit.* Joannes Nider *precept. cap.* 10. Navarrus *in manuali cap.* 11. Suarez *de religione lib.* 2. *c.* 18. Sayrus *in Clavi Regia lib.* 3. *cap.* 7. Bonacina *in præcepta Decalogi diſput.* 3. *q.* 5. Ratio eſt: quia cum dæmonis virtute hæc fiant, niſi ipſum orare, nequit magus quidquam agere. Nec Leges Civiles contra Dei decreta quidquam convincunt: quia Legiſlatores errarunt ex ſui ſæculi ignorantia, ut inquit Torreblanca; nec quod illicitum eſt, potuerunt facere licitum, & pacta in bonum finem ſunt illicita, ut Martinus del-Rio probat *lib. 6. Magia.* & Martin. de Arles *in tract. de ſuperſtit.* Sanchez *tom. 1. Decal.* Majolus *tom. 1. colloq.* 3. Actus enim per ſe malus à nemine licitus valet fieri, ut tenet D. Thomas 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. Soto *de juſtitia & jure* 3. & convincit doctrina D. Pauli; *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.*

***

RESOLUTIO XIX.

Utrum medicina dogmatica debeat pro morbis curandis uti Impſalmis & Salutatoribus?

§. I.

Aperitur difficultatis occaſio.

TRia inſtrumenta propoſuimus, quibus utitur dogmatica medicina pro morbis curandis, ultra illa, incantationes & characteriſmata ſæpè conducere ad curandos morbos admiſimus; ſed illis non eſſe utendum, quia ob pactum cum dæmone operantur, & illius virtute quâ non licet dogmaticæ medicinæ uti, Impſalmatores & Salutatores morbos etiam valent curare, ſine aliquo ex inſtrumentis enumeratis, & ideò inquirimus; an his liceat medicinæ uti pro curandis morbis. Sunt Impſalmi quædam orationes, ex certis verborum formulis confectæ, præſertim ad vulnera medenda, & morbos alios curandos, ut tenet Torreblanca, & Moura. Impſalmatores differunt à Salutatoribus: quia Salutatores utuntur virtute perſonali illis propria, dependente aliquando ab alia re exteriori, ut halitu, aut afflatu. Impſalmatores curant media cæremonia confecta ex certis verborum formulis, ità ut ex vi operis operati, quilibet poſſet illis uti. Quod verò dogmatica medicina iis valeat uti auxiliis, ſive inſtrumentis pro morborum quorundam curatione plura ſuadent.

Primò: Quia ut ex ſupradictis patet: dogmatica medicina debet uti pro morbis curandis quibuſcumque auxiliis, quæ

non

non fiant virtute dæmonis, & pacto Magorum cum ipſo; Sed hujuſmodi pactum non impedit: Ergò dogmatica medicina iis curationibus debet uti. Probatur minor: Tum primò. Quia magi nihil valent operari virtute dæmonis: Seneca enim irridet leges duodecim tabularum per quas magi prohibentur, dicens: *lib. 4. c. 7. quæſtionum naturalium. Rudis autem antiquitas credebat, & attrahi imbres cantu & repelli, quorum nihil poſſe fieri tam planum eſt, ut hujus rei cauſa nullius Philoſophi Schola intranda ſit.* Plinius ſecundus *lib.* 30. *nat. hiſtor.* de Nerone inquit, *Magos ſecum adduxerat, magicis enim ſcientiis eum initiaverat, non tamen cùm Regnum & daret, hanc ab eo accipere artem valuit, proinde ita perſuaſum ſit inſtabilem, irritam, & inanem eſſe.* Tum ſecundo Avicenna, Portenta non ope dæmonis, ſed viribus naturalibus fieri docuit, & Alkindus ſine ope dæmonum fieri radiorum virtute, qui emittuntur à corporibus, verbis, & deſiderio junctis cum imaginatione efficere portenta conatur. Tum tertiò Aphrodiſæus Epicurus, Simplicius, Democritus, non ſolum negant, quidquam magos operari ob pactum cum dæmone, ſed & ipſos dæmones dari non admittunt, & Averroës *Epiſtola de Reſurrectione*, dæmones dicit confictos fuiſſe à viris ſapientibus, ut coerceant improbos à ſceleribus, proponentes eos quaſi ultores malorum poſt hanc vitam. Tum quarto Hippocrates *lib. de ſacro morbo.* Galenus *libr. 6. de ſimpl. medicam. facultatibus, & lib.* 10. Viſerius *lib.* 5. *de venef & lib. de lamiis.* contendunt, nullum morbum poſſe cauſari, niſi à cauſis naturalibus, & conſequenter nec curari. Tum quia uti dæmonum ope præcipuè ad curandos morbos admittunt Hermes Triſmegiſtus *in Aſcalapio cap.* 13. Zoroaſtes *in Orat. Mag.* Philon *lib. de mundo & plant.* Conſtantinus *in l. eorum. C. de maleſic.* Rex D. Alphonſus *l.* 3. *tit.* 23. Tum ſexto. Quia præcipuè uti impſalmis approbarunt plures Inquiſitores & Epiſcopi: ergò ratione pacti cum dæmone non impeditur dogmaticæ medicinæ uſus impſalmiorum, & Salutatorum pro aliquibus curandis morbis

Secundò: Dogmatica medicina, ut ex ſupra dictis patet, debet admittere in morborum curationibus eas quæ fiunt Dei poteſtate, ſed Impſalmi fiunt per deprecationes & per verba divina, & S. Scripturæ, & invocato nomine Jeſu, & facto ſigno ſanctiſſimæ Crucis: ergo illis debet uti dogmatica medicina.

Tertiò: Salutatores poſſunt per propriã virtutem hydrophobiam curare ſine pacto cum dæmone, ergo eorum curationibus debet uti medicina dogmatica. Probatur antecedens: Tum primò: quia natura præſtitit plantis, mineralibus, & animalibus peculiares virtutes ad morbos curandos; nec eſt minor ratio ut eaſdem præſtiterit quibuſdam hominibus ratione propriæ elementationis, præcipuè ad determinatos curandos morbos. Tum quia licet à natura non poſſit præſtari vis ſanandi aliquos morbos, poſſet à Deo communicari aliquibus; quia ut docet Apoſtolus *ad Corinth.* 1. *c.* 12. *Alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu; alii operatio virtutum.* Tum quia ut tenet Iſaias *cap.* 59. *Non eſt abbrevianda manus Domini.* Cùm igitur Deus poſſit ſanandi virtutem aliquos morbos communicare aliquibus, hoc non eſt denegandum Salutatoribus.

Quartò: Aliquibus Imperatoribus Hiſ-

Digitized by Google

paniarum, & Galliæ Regibus, aliiſque peculiaribus hominibus à Deo ſunt communicatæ virtutes, ad aliquos morbos curandos, ad dæmones expellendos à corpore & ad alia efficienda portenta, ergo non denegandum, quod ad peculiares aliquos curandos morbos præſtet ſalutatoribus virtutem.

§. II.

Sunt admittendi dæmones, & pactum eorum cum Magicis.

RESolvendum: Quod Ethnicorum error negantium dari dæmones, & eorum pactum cum magicis, & medio illo hos poſſe morbos cauſare, ac curare, opponitur ſacræ *Scripturæ*; ſic latè demonſtrat Codronchus, *lib. 1. de morbis veneſ.* per totum librum, & docet ſacra Pagina, *Lev. cap. 19. verſ. 31.* & *cap. 20. v. 6. Reg. 1. cap. 28. verſ. 3. Paralipom. 2. cap. 33. verſ. 9. Daniel. cap. 1. v. 20.* & *cap. 2. v. 27.* & *cap. 4. v. 4. & cap. 5. v. 7. Sapient. cap. 17. v. 7.* & *Matth. cap. 2. v. 1. Acta Apoſtolorum cap. 8. verſ. 9. cap. 13. v. 6.*

Probat ſecundò Torreblanca: Plura ſunt in rerum natura, quæ à Deo non fiunt, non etiam ſunt miracula, ſed portenta, quæ excedunt virtutem cauſarum naturalium, & ideo neceſſe eſt, quod fiant à Dæmone, ut comprobant Divus Auguſtinus, *lib. de natura Dæmonum cap. 2.* & *3.* & *lib. 2. doctr. Chriſt. cap. 20.* Divus Thomas 2. 2. *qu. 95.* & *96.* Springer *in Malleo p. 2. cap. 2.* Suarez *de Religione lib. 2.* Martinus del-Rio, *lib. 2. Mag. q. 4.* Sanchez *lib. 2. Decalog.* qui ſimiliter comprobat poſſe magos pacto dæmonis, Dæmones à corpore ejicere; & morbos poſſe ſanare, docuit Chriſtus Dominus apud *D. Matthæum, cap. 24. Surgent Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam Electi:* Idem demonſtrat ſacra Pagina in Magis Pharaonis æmulantibus Moyſis vera miracula, varia efficiendo portenta dæmonis ope, cujus virtute, & pacto, quidquid dæmon, valent operari, immo ob pactum cum illis pro eorum nutu dæmon operatur, quidquid ipſe poteſt operari, ut docet Divus Auguſtinus *lib. 3. de Trinitate*, & probat Martinus del-Rio, *lib. 2. Magicar. diſquiſit. quæſt. 9.* dæmones verò operari poſſunt, quæ poſſunt Angeli boni, ut tenet D. Thomas 1. *p. quæſt. 64. art. 1.* & *2. ſent. diſtinct. 7.* & tenet Dionyſius Areopagita *lib. de Eccleſ. Hierarchia cap. 14.*

§. III.

Impſalmi & Impſalmatores reprobantur.

RESolvendum ſecundò, Quod dogmatica medicina non debet uti impſalmis, nec curationibus morborum ab impſalmatoribus factis.

Probatur ex *ſuprà* adductis probationibus: Quia medicina dogmatica non debet uti pro morbis curandis niſi virtute divina, vel auxiliis ferentibus opem virtute naturali: Sed impſalmi ſola dæmonis virtute poſſunt morbos curare. Ergo dogmatica medicina non debet illis uti. Probat minorem Torreblanca, Moura, & Martinus del-Rio. Tum quia orationes, ſeu verba prolata nullas habent curandi naturales virtutes, nec aliquid agendi, niſi ſint incantationes, de quibus diximus operari virtute dæmonis, & tenent Divus Auguſtinus, Divus Thomas, Abulenſis, & nuper citati Authores. Nec habent vim ſanandi divinam ex vi inſtitutionis: quia priva-

tus

Digitized by Google

tus homo non poteſt inſtituere formam illam, quæ ex vi operis producat effectus viſibiles, ut probat Suarez *in Divum Thomam p. 3. tom. 3. diſput. 15.* Ratio eſt: quia hæc poteſtas vel eſſet ex principiis naturæ quæ non dat virtutem, quæ operetur ultra modum naturalem, quia nemo dat quod non habet, nec eſt naturalis virtus, quæ cogat Deum ad operandum. Præterea: nec impſalmus poteſt cauſare ſanitatem tanquam gratia gratis data, quia hæc independens eſt à formulis verborum, ex quibus fiunt impſalmi, & eſt alicui propria & à Deo communicata. Impſalmi verò ſunt communes omnibus, qui formulas verborum didicerunt, & ratione illorum adquiruntur, ut tenet Divus Thomas 1. 2. q. 66. *&* q. 96 *art.* 1. ubi dicit: *Quælibet ex gratiis gratis datis, non datur unicuiq., aut certa obſervatione ſed ſecundum arbitrium Spiritus ſancti dividentis ſingulis prout vult.* Ex quo conſtat: Quod Impſalmiorum curationes, cùm non fiant virtute naturali, nec divina, debent virtute dæmonis cauſari.

Dices: quod Impſalmatores utuntur verbis divinis; invocant nomen Jeſu Chriſti, & Sanctorum: Utuntur ſigno Sanctæ Crucis, quibus eſt divina virtus: In nomine enim Jesu omne genu flectitur, cæleſtium terreſtrium & infernorum: & ideò ipſo invocato dæmon fugit, & nequit conſequenter per illud operari; nec cum his verbis compati pactum cum dæmone.

Contra ſtat: Sed contrarium nos docet Chriſtus Dominus, *apud Matthæum cap. 7.* dicens: *Multi dicunt mihi, Domine, nonne in nomine tuo prophetizamus, & in nomine tuo dæmonia ejicimus, & in nomine tuo virtutes multas facimus, & tunc confitebor illis quia nunquam novi vos: & Apoſtoli apud D. Marcū c. 9.* dicunt: *Magiſter vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos.* Ex quibus probant D. Thomas 2. 2. *q. 96. art. 4.* Cajetanus *in ſumma, v. Incantatio.* Suarez *tom. 1. relig. lib. 2. c. 13.* Quod uti verbis divinis, non aufert quominus interveniat pactum: immò & malefici Euchariſtiâ per pactum abutuntur, ut tenet Thyræus *de Dæmoniac. p. 3. c. 44.* Et proſequitur Martinus del-Rio *lib. 3. Mag. q. 6.* & Grillandus *q. 6.*

§. IV.

Etiamſi Impſalmatores utantur remedis cum verbis, non admittendi.

Reſolvendum tertiò, quod dogmatica medicina non debet uti curationibus Impſalmatorum, etſi admiſceant remedia naturali vi operantia; Solent plerumque Impſalmatores uti verborum formulis, pro curandis vulneribus ſuperaddendo pannos ſæpè mundos, ſæpè vino madefactos, vel alia in quibus ineſt naturalis vis vulneris curandi, quos nec etiam debet admittere dogmatica medicina pro eorum morborum curatione.

Probatur: Quia utuntur cum formulis verborum naturalibus remediis, vel fidunt in pacto in verbis reperto, & ii ſunt Magi operantes virtute dæmonis, quibus non licet uti, ut probavimus: vel intendunt naturalibus remediis morbos curare, ſine interventu pacti cum dæmone, & ii ſunt impoſtores: cùm verba ſuperaddant illudentes vulgum, & impoſtoribus etiam non debet uti medicina, quæ ſcientia eſt naturalis nobis à Deo data, pro morbis curandis, & ut remediis utatur naturalibus, viribus valen-

Digitized by Google

valentibus morbos curare ſine impoſturis & fallaciis.

§. V.

Dogmatica medicina debet uti Salutatorum curationibus ſine pacto factis.

RESolvendum quinto, Quod dogmatica medicina debet admittere curationes Salutatorum, quæ perficiuntur gratiâ gratis datâ.

Probatur: Salutatores & alii plures homines poſſunt habere virtutem à Deo gratis datam pro morbis curandis ſine aliquo pacto: Sed medicina dogmatica, cùm ut ſupra probavimus ſit ſcientia à Deo hominibus communicata pro eorum ſalute, deficiente pacto, debet tentare omnem curationem, ſive per virtutem divinam, ſive per virtutes naturales medicamentorum, & per reliqua inſtrumenta illius: Ergo eo ipſo, quòd virtute à Deo communicata morbos curent Salutatores, debet admittere eorum curationes. Probatur major: Tùm ex Divo Paulo *ad Corinth.* 1. *Alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu, alii operatio virtutum.* Ex quo comprobatur, quod aliquibus impartitur Deus gratiam gratis datam ad morbos aliquos curandos, cujus communicationem in omni ſæculo futuram docet D. Thomas 1. 2. *q.* 111. & hoc fine eo quod ſemper tribuatur ob merita; unde ſæpe communicatur Salutatoribus quibuſdam gratia gratis data ad hydrophobiam curandam; qui ebrii & vini potatores ſunt: quia, ut ibidem docet, gratia gratis data poteſt reperiri ſine miniſtri virtute, & eſſe ſufficiens ad operandum, in quibuſq; quibus fuerit communicata.

Probatur ſecundò: Si medicina dogmatica non deberet uti curationibus Salutatorum, maximè quia cum plures operentur ſine gratia gratis data, ob pactum cum dæmone, poſſet per fallaciam uti ope dæmonum: Sed ſunt manifeſta ſigna, per quæ hujuſmodi Salutatores poſſunt diſtingui: Ergo debet uti Salutatoribus, qui curant gratiâ gratis data. Probatur minor ex Martino del-Rio, Moura & Torreblanca, qui eos manifeſtè diſtinguere docent. Tum quia illi, qui utuntur pane demorſo, aut dicunt indigere largiori vini potu ad hydrophobiæ vim, præſtant indicium maleficii aut ſuperſtitionis, ut tenent Martinus del Rio *lib.* 1. *Mag. quæſt. cap.* 3. *quæſt.* 4. Raphael Torre *tom.* 2. *de vitiis oppoſitis relig.* Et probat Torreblanca: quia gratia gratis data, cùm divina ſit, nequit minui nec augeri naturalibus remediis. Hæc ratio etiam probat: quod vulneris venenati ſuctio, aut cujuſvis alterius remedii applicatio eſt indicium ſuperſtitionis, cùm divina virtus illis non indigeat. Tum pacti ſuboritur ſuſpicio, ut tenet Sanchez *lib.* 2. *Decalogi,* & Martinus del-Rio *lib.* 1. *Magicar. cap.* 3. *q.* 4. Si unus Salutator in præſentia alterius nequeat operari, quia una virtus gratis data non imminuit aliam, & virtus ex pacto cum uno dæmone poteſt imminui à virtute alterius habentis pactum cum ſuperiori dæmone: Tum ſunt ſuſpecti Salutatores, qui diſtantiores, aut res futuras dicunt cognoſcere; hoc enim poteſt facere dæmon, non autem virtus gratis data ad curandum; quæ nihil ultra curationem præſtare poteſt, ut tenet Franciſcus Ricus *lib.* 2. *Præcaution. cap.* 3. Tum eadem convincit ratio, ut cognoſcamus habere pactum cum dæmone Salutatores, qui ferrum ignitum ſine læſione applicant

mani-

manibus,pedibus aut linguæ. Tum convincit hæc ratio : Quod illi qui dicunt cognoſcere alios Salutatores, qui fuerant antea illis ignoti, ſint magici, poteſt enim Dæmon facere, ut illi alios Magos cognoſcant, non tamen virtus gratis data ad curandum præſtat aliorum ſimilium cognitionem. Tum ſigna quædam, quæ aliquibus ſunt, præſtant dignotionem pacti cum dæmone, à quo ſolent ſignari, qui illi offeruntur : Virtus enim gratia data ad curandum, non ad ſignandum datur, nec illa cum ſpiritualis ſit virtus deſignatur niſi ab effectu. Tum quia pro curationibus exigunt pretium, gratis enim Deus dedit virtutem ad curandum, qua gratis debent uti, & dogmatica medicina horum omnium curationes debet fugere tanquam à magicis operatas ob pactum cum dæmone ut Torreblanca tenet, & ab ipſo citati Alphonſus Veracruz *lib.* 2. *de anim. ſpecul.* 1. Martinus del-Rio *lib.* 1. *Magic. cap.* 3. *quæſt.* 3. Suarez *libr.* 2. *de Relig. cap.* 15. Malderus *de virtute Theolog. tract.* 10. *cap.* 8. Fienus *de viribus imaginat.*

§. VI.

Solutio adhibetur fundamentis contrariè opinantium.

Ad primum reſpondetur : Tum pro primo; quod ut probavimus, & docet D. Auguſtinus, *libr. de natura dæmon. cap.* 2. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 95. Martin. del-Rio *lib.* 2. *Mag. quæſt.* 4. Magi ope dæmonum poſſunt multa facere, quæ nequeunt viribus naturæ fieri. DemonſtratCodronchus *lib.* 1. *de morb. venefic.* & docet ſacra Pag. ex Moyſe in portentis, quæ apud Pharaonem magi fecerunt, & *ex Actis Apoſtol.* conſtat ex eis quæ Simon Magus operatus eſt. Tum pro ſecundo, quod Avicenna imaginationi multum tribuit, quæ ex ordine naturæ nequeunt fieri, Alchindus fingit radios, & ipſis tribuit quæ nequeunt ab ipſis operari, ut probavimus *ſuprà*, ut cum illis ſuadeant, quæ fiunt à dæmone, ab ipſis cooperari. Tum pro tertio, quod docet ſacra Pagina, datos fuiſſe dæmones, eoſque, Chriſtum Dominum tentaſſe, & hoc admirrendum de fide tenet Divus Auguſtinus *libr.* 9. *de Civitate Dei, cap.* 16. *lib.* 3. *de Trinit. cap* 8. & Div. Thomas 1. *p. quæſt.* 54. & 2. 2. *quæſt.* 55. Tum pro quarto, quod demonſtrat Codronchus dæmones poſſe morbos cauſare, & Job. *lib.* 1. à dæmone peſſimo ulcere fuit percuſſus, & Saul melancholia vexatus; & apud D. Lucam, mulier convulſione, & puer epilepſia à dæmone inductus laborarunt. Tum pro quinto, quòd licet Pagani judicarint poſſe uti maleficio pro aliquo bono docuit D. Paulus *ad Roman. cap.* 3. *Quod non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*: Et ſacra Pagina, quod à Deo Ochozias morte fuit mulctatus, quia pro conſequenda ſalute conſuluit magos, & Saul, ac Manaſſes eadem cauſa inciderunt in iram Dei, & leges permittentes hujuſmodi maleficia re melius inſpectà, cohibitæ fuerunt, ut probavimus. Tum pro ſexto; quod Inquiſitores, & Epiſcopi ſunt legum executores; ſed non habent poteſtatem approbandi formulas, quæ miraculosè agant effectus viſibiles inconſulto Pontifice, ut tenet concilium Tridentinum *ſeſſion.* 25.

Ad ſecundum reſpondetur, quod dogmatica medicina debet curationes admittere per verba divina, quæ ſunt ordinata ab

ab Eclefia in hunc finem, & quæ poſſunt operari virtute Divina; dum verò Magi illis utuntur, cùm torqueant in malum finem, nequeunt per illa verba ſanitatem conſequi niſi ob pactum cum Dæmone, & ideò Moura, Toreblanca, Martinus del-Rio, Grillandus, eorum verborum abuſum maximè deteſtantur.

Ad tertium reſpondetur; quòd probat poſſe dari virtutum gratis datam à Deo Impſalmatoribus; ſed quia dæmon & magici ſimulantes hanc virtutem, plura ope dæmonis faciunt, non omnes Impſalmatores admittendi; ſed qui à Deo virtutem receperunt, quos docuimus diſtinguere à magicis, ut dogmaticus medicus poſſit cognoſcere, qui verè ſint tales, & quorum ope debet uti pro morborum curatione.

Ad quartum reſpondetur; Quod non negamus, quod poſſit dari gratia gratis data aliquibus à Deo ad aliquos morbos curandos. Docet enim Divus Paulus *ad Corinth.* 1. *Alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu; Alii operatio virtutum.* De Pyrrho, & Veſpaſiano dicitur: Solo tactu ægritudines curaſſe. Dion refert, quod Agrippa cum annulo auguſto plures curavit morbos. Andreas Laurentius *libr. de ſtrumis*, tenet Reges habere virtutem curandi ictericiam. Scipio Plat. & plures poſt ipſum tenent Reges Galliæ habere virtutem ſtrumas curandi. Principibus Auſtriæ hanc fuiſſe virtutem tenet Joannes Paulus *in Spudopæd. Laur. in theatro*: Patricius Armacanus dicit, & refert in Alſatia à Principibus ſimilem curari morbum. Antonius Beuter Angliæ Regibus ſanandi ſtrumas virtutem fuiſſe antiquitùs tenet; Ad epileſiam ſanandam dicitur habuiſſe virtutem Angliæ Reges. Gaſpar à Reyes, Reges Hiſpaniæ habere virtutem ejiciendi dæmones ab obſeſſis corporibus approbat; Et ex pluribus Authoribus confirmat. Idem etiam tenent Carolus Tapia *de conſtit. princip. cap.* 1. Henricus Kormanus *libr. de miraculis vivorum* Beſoldus *in diſſert. Politica de majeſtate in gener. cap.* 2, Fr. Joannes de la Puente *libr.* 2. *cap.* 6. Camillus Borellus *de præſtantia Regum Cathol. cap.* 55. Martinus del-Rio *Diſquiſit. Magicar. libr.* 1. *cap.* 3. *quæſt.* 4. Valdes *de dignit. Reg. Hiſpan. cap.* 15. Caſſanæus *in Cath. part.* 5. *conſiderat.* 1. Joannes Solorzano, inter juniores, Joſeph Pellizer, Euſebius Nierembergius, Pater Hernandez Caſtrillo *in Magia naturali*; ex iis omnibus comprobatur: quod nos admittimus dari gratiam gratis datam aliquibus ad aliquos morbos curandos, quorum curationes debet medicina dogmatica admittere non tamen alias fallaces, quas Magici immiſcere illis contendunt ope Dæmonis factas.

RESOLVTIO XX.

Vtrùm omnes Sectatores Hippocratis ſint medici dogmatici?

§. I.

Proponitur hujus difficultatis ratio.

Dogmatici Medici dicuntur, qui dogmaticam profitentur medicinam: hæc fuit à Deo Adamo condonata, & ab ipſo in poſteros communicata, & jam delapſa ab Hippocrate reſtituta, qui, ut diximus, partim infuſam recepit, partim proprio labore adquiſivit: ſuo enim tem-

tempore erant medicinæ ſcholæ apud Cnidios, apud Rhodios & apud Coos: horum ſcholam perfectiſſimè inſtruxit; inquit enim Heurnius *in oratione de medicina origine. Dicam itaq́; ego de Reverendo illo Sene, qui certa oracula quædam olim medicæ ſcholæ intulit, & quidquid artis medicæ ad nos pervenit, excoluit.* Nec in ſcholis tantum ſuam diſſeminavit doctrinam, ſed in ſuis divinis ſcriptis ipſam per ſæcula ſucceſſiva communicavit cunctis dogmaticis; ſed an omnes ſectatores illius ſint veri dogmatici nondum conſtat; nam non eodem modo doctrinis illius adhærent: Alii enim ſunt Hippocratis Sectatores, qui in illius verſantur ſcriptis, textus commendando memoriæ, ut ipſos valeant morbis accommodare; nec rationem doctrinæ callentes, nec verum ſenſum perſcrutantes, & ubiq; eis utuntur, & ægrorum morbos trahere ad textum laborant: Alii ſunt Hippocratici Rationales, qui adhærent doctrinæ, & Scriptis Hippocraticis, quærentes rationem eorum, quæ docet, & juxta ipſam proſequentes ea, quæ ab ipſo traduntur, non quia ipſe dixit, ut Pythagorici dicebant; ſed quia rationem adinveniunt, quare ita dixit: & ideò ſuam ſcientificam doctrinam ſcientificè diſcunt, & ea ſcientificè utuntur, non ob literarum textus conſonantiam cum aliquo affectu, ſed ob conceptam ex ipſo veram doctrinam.

§. II.

De Hippocraticis textualibus Medicis quid ſentiendum?

RESolvendum: Quod Medici textuales Hippocratici non ſunt dogmatici; ſed Empirici Hippocratici.

Probatur primò: quia dogmatici ſunt rationales, quia ratione utuntur, & per demonſtrationes agendum, & agendi modum conſequuntur, ergo qui ſine iis ſiſtunt in literali contextu Hippocratis, ſolùm ſunt Hippocratici Empirici operantes per ſimilitudinem eorum, quæ ipſe operatus fuit.

Probatur ſecundò: Præter authoritatem Hippocratis, quæ ab extrinſeco perſuadet, ut ſcientificè operentur, illius ſectatores debent rationem doctrinæ quærere, & rem per cauſas cognoſcere; Ergo inſiſtentes in mandando memoriæ Hippocratis contextum, ſunt Empirici tantum illius doctrinæ Sectatores. Probatur antecedens, tùm ex Platone *In Phœdro.* §. *Oportet præter Hippocratem conſiderare, utrum nobis diſputationis ratio conſonet.* Tum ex D. Auguſtino *lib. 2. de ordine cap. 9.* §. *Tempore authoritatis ratio prior eſt; ita quanquã bonorum authoritas imperitiæ multitudine videatur ſalubrior; ratio aptior eſt eruditis:* Tùm ex Socrate *apud Platonem in Enchir.* §. *Conſiderandum ſemper eſt; verenè dictum ſit, non quis dixerit.* Tum ex Cicerone, *lib. 1. de natura Deorum.* §. *Non tam authoritas in diſputando, quam rationis momenta quærenda ſunt.* Tum inquit D. Auguſtinus *lib. de utilitate credendi cap. 16. Sola authoritas movet ſtultos.* Tum idem *lib. 9. de Civitate Dei* dicit: *Quid ad nos, quam de rebus ipſis judicare debemus, quàm pro magno de hominibus, quid quiſpiam ſenſerit ſcire.*

Probatur tertiò ex ipſo Hippocrate, qui cum in Apollinis templo plura adinvenerit remedia, quibus plures ſanati erant, ea tantùm elegit, quorum adinvenit rationem: & Seneca docet: *Interſit aliquid inter te & librum*: Et Argenterius inquit: *Quan-*

Digitized by Google

Quantumvis plures antiquorum doctrinam complectantur, diſcedunt ab eis, quæ judicarunt non conſona fuiſſe rationi. Ariſtotelem deviare à pluribus doctrinis ſui Magiſtri Platonis coegit ratio; Galenum ab Hippocrate, Avicennam, Averroem, & alios, ut diſcederent à Galeno; Ergò ſolis textualibus verbis adhærere, Empiricorum Hippocraticorum eſt munus.

Probatur quartò: Hippocratis Commentatores differunt in doctrinæ intelligentia plerumq; diverſis inſiſtente rationibus: ergo qui ſoli contextui adhærent Empirici, & irrationales ſunt.

§. III.

Rationalem Hippocratis doctrinam ſequentes ſunt Hippocratici dogmatici.

PRobatur primò: Quia ut patet ex dictis, ipſe dogmaticam doctrinam proprio labore ac revelatione adquiſivit, & in ſuis ſcriptis tradidit: Ergò qui ab illis ratione & demonſtratione ipſam exhauriunt, ſunt veri dogmatici Hippocratici.

Probatur ſecundo ex communi omnium graviſſimorum Authorum & Legiſlatorum aſſenſu, qui ipſum conſtituunt verum medicinæ dogmaticæ Auhtorem, & Magiſtrum: de ipſo enim inquit D. Auguſtinus *lib. 5. de civitate Dei: Creavit Deus Hippocratem, tanquam virum in arte medica minime errantem.* Seneca *epiſt. 95. & lib. de brevitate vitæ. Medicorum maximum & medicinæ ſcientiæ Conditorem, & naturæ peritiſſimum.* Soranus tenet, quod *eſt admittendus tanquam Dux, & judex omnium cauſarum, & quæſtionum, & tanquam Inventor bonarum artium.* Plinius *lib. 7. c. 51.* dicit, quod *eſt Medicinæ Princeps, & quod medendi præcepta primus clariſſime condidit:* Cenſorinus, quod *fuit egregius naturæ ſcrutator.* Suidas, quod *fuit Sydus ac lumen medicinæ utiliſſima.* Petrus Vincentius, quod *eſt totius naturæ miraculum.* Macrobius, quod *eſt Æſculapii ſucceſſor, qui tam fallere, quàm falli neſcit.* Pætus quod *eſt divinus & quod per totum terrarum orbem Æſculapii adjuvamenta, quemadmodum Triptolemus Cereris ſemina diſſeminavit tanquam ſalutis Parens, & malorum omnium ac dolorum Medicator.* Celius, quod *fuit facundia & arte inſignis.* Marcellus, quod *fuit Conditor Medicæ Profeſſionis.* Joab Omphal, quod *eſt fons omnium ſcientiarum.* Vellejus, quod *eſt inventor veræ Philoſophiæ.* Orlbaſius, quod *eſt verax in omnibus.* Galenus, quod *eſt omnium bonarum artium Author, omnium Philoſophorum primus; quod omnia ab ipſo tradita ſunt recta, & fuiſſe admirabilium omnium rerum Magiſtrum, & nullum verbum fruſtra addidiſſe & ejus ſcripta Dei vocem fuiſſe.* Plato, quod *fuit Philoſophiæ Parens.* Cicero, quod *fuit divinus, & Deus Philoſophorum.* Inter Juriſconſultos Bartholus tenet, *ſtandum eſſe libris Hippocratis, tanquam authenticis lib. 3. ff. ſi certa,* aſſentitur Panormit. *cap. 2. de feud.* Paulus: *Septimo menſe naſci perfectum partum jam receptum eſt* (inquit) *propter authoritatem magni viri Hippocratis.* Ipſi tribuendam eſſe fidem tenent, *l. ab inteſtato, §. ult. ff. de ſuis elegit, hæred. & in decret. Can. c. ne tales, de conſecrat. lib. 5.* Tandemque ut inquit Heurinius de ejus ſcriptis, hæc ſenſit Galenus, eſſe quædam mutila, quædam conciſa & in arctum contracta, nihil ſuperfluum, otioſum nihil, ſed arguta brevitate

tate rotunda, & ſignificantia omnia; ita ut ubertas, & amplitudo verborum numerum longè vincat. Ex quibus patet; quod ſi ſcientificè adquiratur, diſcipulos dogmaticos reddet, ſin minus, Empiricos.

SECTIO II.

De medicinæ dogmaticæ præſtantia & nobilitate.

HIPPOCRATES *libr. de lege* ſancivit; *Medicinam eſſe omnium artium præclariſſimam.* Hanc doctrinam receperunt Medici; reliqui verò Profeſſores Artium medicinæ præſtantiam fateri recuſant. Nos tamen conabimur demonſtrare, qualiter accipienda Hippocratis ſententia; & cùm artes ſint, ut ſupra diximus ſeptem Mechanicæ, ſeptem Liberales, & ſeptem ſcientificæ, ad quas omnes reliquæ reducuntur, de iis omnibus ſeorſim diſputabimus, qualiter dogmatica medicina reſpectu illarum præſtantior ſit judicanda.

RESOLUTIO I.

Utrum medicina dogmatica debeat admitti inter artes, quæ valent nobiles facere ſuos Profeſſores?

§. I.

Calumniatorum negantium ſuos reddere profeſſores nobiles dogmaticam medicinam, traduntur fundamenta.

DOgmaticæ medicinæ, ſicut & reliquarum artium Profeſſores alii ſunt nobiles, qui parum ab artibus nobilitari poſſunt; alii ita ignobiles, ut nequeant nobilitatem adquirere, quam artes valent communicare; alii ſunt, nec ita nobiles, nec inepti, ut nobiles reddantur per profeſſionem artium ſeu ſcientiarum nobilium, de quibus præcipuè currit difficultas: Medicinæ calumniatores fiunt plerique; quia ignobiliſſima ſtirpe nati; reliquos ſibi coæquare contendunt, præcipuè ſi à ſua ſorditie ad altiorem pervenerunt artem; ut enim tenet Seneca *libr. de ſent. Orat. Aſperius nihil humili, dum inſurgit in altum.* Ex iis plerique evadunt medicinæ obtrectatores, ipſamque conantur ineptam eſſe, ut ſuos valeat nobilitare profeſſores. Primò: quia ſi poſſet eos nobilitare, maximè per gradus Doctoratus, ſicut & aliæ ſcientiæ. Sed medicinæ Profeſſores non fiunt nobiles per gradus Doctoratus, ut tenet Soſia Nolden, *tract. de Nobilitate ex Addit Uranii, & cap. Judæi de teſtib. & ex Fabro lib. 9. Cod. tit. 29. diff. 9.* Ubi tenet per gradum Doctoratus medicos non nanciſci nobilitatem; ſed habere immunitatem ex Privilegio, etſi ipſi aliunde ſint nobiles; non amittere nobilitatem ratione medicinæ, quia eſt honeſta, & honorabilis, & quod Principis medici nanciſcuntur illam, quia ſunt conſtituti in dignitate. Pater Mendo *de jure Academ.* fucatè annuere videtur.

Secundò: Medicina non poteſt nobilitare ſuos profeſſores, quin ipſa ſit nobilis Ars; Sed eſt Ars ignobilis: ergò nequit ſuos Profeſſores nobiles reddere. Probatur minor; Tum primò, quia eſt ars ſervilis mancipiis ſolis permiſſa apud Romanos, ex *l. 3. §. 1. C. comm. de fideicommiſſorib. & legat. & l. 1, §. 1. verſ. Sin autem. C. de com.*

Digitized by Google

Servorum manumiſſ. Ubi medici in minori pretio habebantur, quam Notarii. Tum ſecundò: quia æquiparantur obſtetricibus, quæ ignobiles ſunt, ut conſtat *ex cap. Non ſanè, in verbo Medici, & l. ult. in 1. reſponſ. C. comm. de legat.* & voluit Spec. *tit. de Sal. §. ult.* & Joannes Andreas *in cap. ad aures de ætate æquali*, & Jo. Ana. *in cap. 1. colum. de Judæ. & lib 1. §. Sed obſtetrices ponuntur in numero Medicorum.*

Tertiò: Medicinæ Profeſſores ſunt Parabolani, ex *C. lib. 12.* Sed Parabolani ſunt indigni nobilitari; Ergo nequit dogmatica medicina nobiles reddere ſuos Profeſſores.

Quartò: Medicinæ Profeſſores verſantur circa excrementa & res ſordidas, quibus utuntur pro ſignis, & pro remediis; Ergo ſunt indigni nobilitari, ſicut & reliqui Artifices, qui verſantur circa res ſordidas.

§. II.

Dogmatica medicina ut ſcientia eſt, valet nobilitare ſuos Profeſſores.

Reſolvendum, quòd medicina eſt ſcientia valens ſuos Profeſſores nobiles reddere.

Probatur primo. Omnes ſcientiæ reddunt nobiles ſuos Profeſſores; ſed medicina dogmatica eſt ſcientia, ut demonſtravimus *ſect. 1. antecedente, & p. 1. Reſol. Medicar. ſect. 1.* Ergo medicina dogmatica reddit nobiles ſuos Profeſſores, conſequentia ſtat in *Darii*, & demonſtratur major à Tiraquello *lib. de nobilit. cap 5. ex textu in l providendum.* ibi: *quos ſcientia nobiliſſimos facit c. de Poſtulat.* Ubi & hoc notat Gloſſa *in verbo Nobiliſſimos*, tenent Cyn. Joan. Fab. Val. Ang. Salic. & Franciſc. Aret. ex quibus deducit nobilitatem eſſe filiam Scientiæ, quod voluit Gloſſa *in cap. de Mulcta, in verbo literas*, & ibi etiam Imol. *colum. 2. verſ. & pro hoc facit extra de præbend.* Ruyn. & poſt eum Nicol. Mat. *in l. 2. §. ult. ff. de excuſat. tut. Collect. in cap. eò libentiùs extra, de ſer. non ordin. ſigno.* Homo. *Conſil. 23.* Ib. *in l. Imperatores poſt principium ff. de cur.* Sylac. *in l. ſi furioſi. C. de nupt.* Luc. Pen. *in l. 1. col. 1. in princip.* Joan. Plat. *in l. 2. in l. 1. de prim. lib. 12.* Dom. *in cap. lex eſt in fine diſt. 2.* Rom *in Republ. C. ſi verò, §. de viro in 52.* Bε rb. *in rubr. de offic. deleg col. 3.* tenuit Ariſtotel. *lib. 4. Politic.* Gellius *lib. 19. c. 20.* Caſſiod. *lib epiſt. ... c. 10. § doctrina facilè exornat generoſumq́; etiam ex ignobili nobilem facit.*

Probatur ſecundo ex D. Thoma *1. p. q. 94 art. 3.* ubi docuit, neceſſarium fuiſſe hominem à Deo formari completum, non ſolum ſecundum corpus; ſed etiam per ſcientias ſecundum animam: Ergò ſcientiæ per quas completur ejus eſſe, ſunt nobiliſſimæ, & aptæ Profeſſores nobilitare.

§. III.

Ob ſua privilegia nobilitat medicina dogmatica ſuos Profeſſores.

Reſolvendum ſecundò, quòd medicina dogmatica per privilegia illi conceſſa & ſuis Profeſſoribus, valet ipſos nobiles facere.

Probatur primo: Princeps quem vult nobilitat, ut tenet Bald. *in l. Sacrilegii C. de diverſ. reſcript.* & Jaſon *in l. Omnium. in 1. notab. C. de teſtam.* quos ſequuntur reliqui Juris Profeſſores: ſed Imperatores privilegia tribuerunt dogmaticæ medicinæ, quibus nobiles reddit ſuos Profeſſores; ergo ob illa nobilitare illos valet. Probatur

minor

minor ex multis titulis Juris Civilis de ſtudiis literalibus urbis Romæ, & Conſtantinopolitanæ, de Profeſſoribus & Medicis, de Comitibus, & Archiatris, in quibus varia in honorem medicinæ, & ſuorum Profeſſorum ſtant privilegia. Præcipuum ſtat *in l. unica C. de Comitibus & Archiatris lib.* 12. Ubi Imperator Dogmaticæ medicinæ Profeſſores coæquales facit in dignitate, & honoribus cum Ducibus, & Vicariis Imperatorum, ſeu Proregibus, qui proximi ſunt in dignitate ipſis Imperatoribus, ubi notant Juris Profeſſores hoc privilegium dignitatis & honoris, ac nobilitatis nec ipſis, nec aliis ſcientiarum Profeſſoribus fuiſſe communicatum, ſed ſolis medicis: Præterea *l. Medicos C. de Profeſſoribus, & Medicis*, ſancivit ſalarium honorarium de bonis communibus debere præſcribi Medicis, & Magiſtratibus, ubi coæquales facit Medicos in æſtimatione cum politicis Magiſtratibus; & ex eadem lege conceditur Medicis, quod inviti in judicium non vocentur. Præterea ex *l. ſi. duas, §. Grammatici. ff. de excuſat* excuſantur à tutelis. Præterea *ex l. Medicos. C. de Profeſſor. & Medic.* excuſantur a muneribus Civilibus. Præterea *ex lib.* 12. *C. l. quibus non ob longum tempus*, ſi medici ſint in exercitu, non currit præſcriptio contra illos; Nec ſolum privilegia medicinæ nobilitant illius Profeſſores, ſed & uxores & filios, ut patet ex *l. Medicos, Cod. de Profeſſ. & Medicis. & l in fine de vac. & excuſat.* Et filiusfamilias obtinet poſſe teſtare, *l. cum antiquis, ubi gloſſ. doct. ff. inoſſicioſ. teſtam.* Præterea Suetonius teſtatur, quod Julius Cæſar nobilitavit medicos equeſtri dignitate. Francus à Reyes deducit ex Joanne Molano *in tit. Juris de Comitibus & Archiatris*; & ex Joanne Talentino *lib.* 1. *Theſauri c.* 7. Archiatros tantam dignitatem aſſequutos ut in nobilitate æquales facti fuerint Comitibus; Ergo dogmatica medicina percepit privilegia per leges ab Imperatoribus quibus ſuos valet nobilitare Profeſſores. Confirmatur ex Narbona qui refert tot fuiſſe Medicis privilegia, ut fuerit neceſſe coarctare numerum profeſſorum: *ex l.* 7. *de excuſat. tutor. l.* 1. *&* 5. *C. de Profeſſoribus & Medicis.*

§. IV.

Dogmatica medicina per doctoratus gradum nobiles efficit Profeſſores.

Reſolvendum tertio, quod dogmatica medicina per Doctoratus gradum æqualem pręſtat nobilitatem ſuis Profeſſoribus, ac præſtare valent reliquæ ſcientiæ ſuis Doctoribus.

Probatur primo: per eadem privilegia conceditur Univerſitatibus Regia & Pontificia poteſtas tribuendi gradus Doctoratus in facultate medica, ac in Theologia, Philoſophia ac Juriſprudentia, ſine eo quod fiant diverſæ conceſſiones, exceptiones, Bullæ, aut alia inſtrumenta, præter ea, quæ ſunt omnibus facultatibus communia: ſed ex Doctoratus gradu, in reliquis facultatibus conceditur nobilitas Doctoratus; ergò ſimili ratione per Doctoratus gradum conceditur dogmaticæ medicinę Profeſſoribus.

Probatur ſecundò ex communi Juriſperitorum doctrina, qui de omni Doctoratus gradu tenent, quod per illum fiunt nobiles Doctores, dum in præclariſſimis Univerſitatibus confertur, præcedente rigoroſo examine pro ſtudiorum præmio; ſic Tiraquellus *lib. de nobilit.* Cyn. *in l. Providen-*

Digitized by Google

videndum C. de Poſtulat. Bar. Lucas Pen. & Jo. Plat. *in l. Iudices C. dignit. lib.* 12. Bald. *in l. memini C. de Advoc. diverſ. Iuris* Ang. *in l. ſed etſi ſuſceperit* §. 1. *ff. de jur.* Paul. Caſt. *in* 1. *conſt. C. col.* 2. Jo. Ray. *in tract. milit. de leg. in materia nobilit. in* 26. *opinion.* Alex. *conſil.* 94. *conſideratis his col.* 2. *verſ. ſed ita eſt lib.* 1. *& conſtit.* 213. *ponderatis his quæ in themate col. ult. lib.* 6. Guido Papæ *deciſ.* 88. Franc. Aret. & alii.

Probatur tertio, ſi privilegia gradus doctoratus non extenderentur ad medicos, maximè vel ratione profeſſorum, vel ratione ipſius medicinæ; ſed ratione profeſſorum non impeditur. Tum quia plurimi profeſſores medicinæ ſunt nobiles & ideò capaces adquirendi quamcumq; nobilitatem, & honores, quæ poſſunt quæcunque privilegia honorifica conferre. Tum quia ſi aliqui quia Hebræi ſunt incapaces nobilitatis, Theologi plures & Juris profeſſores viliſſimi ſunt & Hebræi, & eadem ratio currit de illis ut nequeant per ſuos gradus Doctoratus nobiles reddi, niſi ii contendant quod illi ſunt nobiliores tribus ob ſuas profeſſiones Præterea nec ratione ſcientiæ medicinæ impeditur: quod ſui profeſſores non fiant nobiles per gradum Doctoratus, nam probavimus, quod eſt ſcientia, & quod ſcientia per ſe nobiles reddit ſuos profeſſores, & quod gradus doctoratus per leges, communem præſtat honorem omnibus profeſſoribus, quibus confertur: Tum quia ſcientiæ debetur nobilitas, vel ob ſui præſtantiam: vel ob ejus neceſſitatem, vel ob ſua privilegia, ſed medicina, ut probavimus *ſect.* 1 eſt ſcientia naturalis Philoſophiæ affinis. Politicæ coæqualis, ut *infra* patebit: nobis à Deo condonata ut neceſſaria in ſubſidium ſalutis humanæ; Unde in eſſe ſcientiæ eſt nobiliſſima. Ratione utilitatis ab ipſo Deo *lib. Eccleſ.* commendatur ob ejus neceſſitatem, ob quam præcepit ſummus Deus tribuere honorem, medico. *Honora* inquit *medicum: propter neceſſitatem enim creavit eum Altiſſimus*, & Homerus, *Uir medicus* inquit, *par eſt multorum millibus unus*: & Plinius tenet, quod nulla ars fructuoſior eſt quam medicina. Ratione privilegiorum nuper probavimus nullam ſcientiam coæquari medicinæ; Ergo ſicut eſt capax reliquorum, erit & capax bonorum, & nobilitatis, quæ ex gradu doctoratus conferuntur ſuis profeſſoribus.

§. V.

Inanes conatus calumniatorum convelluntur.

AD primum reſpondetur; Quod ex nuper dictis conſtat, quod dogmatica medicina per Doctoratus gradum eadem confert privilegia, & nobilitatem ſuis profeſſoribus, ſicut reliquæ ſcientiæ: Nolden præcipuè contendit Judæis, & reliquis incapacibus nobilitatis, eam non adaptari per doctoratus gradum, ſed tantum immunitatem ex privilegio, quod eadem ratione debet eſſe commune reliquis ſcientiis. Faber ſuſpectus eſt de nobilitate, ut tenet Canonherius, & ſibi contrariatur, ſi enim admittit medicinæ profeſſores eſſe aptos ut nobilitentur per hoc quod fiant Archiatri, quia aſcendunt ad dignitatem cur non etiam fruentur privilegiis quæ illis debentur, dum aſcendunt ad gradum doctoratus. Alii novi ſcriptores nec quidquam poſſunt detrahere de honore medicinæ, à principe enim non ab illis dimanant medicinæ honores & privilegia, nec

derogari

derogari honores, & nobilitas per leges ſancitas poſſunt ab iis nebulonibus.

Ad ſecundum negata minori reſpondetur: Tum pro primo: Quod aliud eſt aliquam artem eſſe ſervilem; aliud verò quod aliqui profeſſores illius ex eventu belli ſervi facti ſunt; Plures enim Reges facti ſunt ſervi, nec ex eo dignitas Regia, ſervilis dicitur, nec etiam medicina dogmatica ars ſervilis dicenda eſt: quia ſubacta Græcia à Romanis, aliqui ejus profeſſores ſervi fuerunt, & ut ſervi potuerunt notariis æquiparari, ſicut & Reges ſervi facti ſæpe infimam fortunam ſervorum retinent. Tum pro ſecundo; quod ut diximus, *ſect.* 1. Medici nomen latiſſime ſumitur, vel pro medicis ſcientificis Architectonicis conſtitutis per medicinam dogmaticam, de quibus loquimur ſub hac Reſolutione, vel pro miniſtris eorum, & in hac acceptione dicuntur medici etiam obſtetrices, & omnes qui medicis deſervientes miniſtrant medicinæ Architectonicæ, & de iis medicis operariis, qui ſunt ſub medicina, quam poſuimus ſub artibus mechanicis loquuntur leges dum obſtetrices ponunt inter medicos, & ipſis ipſas comparant, nec ex horum ignobilitate, quidquam opponi poteſt nobilitati dogmaticorum medicorum, ſicut nec Magiſtratibus ex ignobilitate ſuorum miniſtrorum in Republicà, carnifice inquam, & praconibus.

Ad tertium, relictis pluribus ſolutionibus Tiraquelli, & aliorum, reſpondetur: Quod ex eo quod ſint aliqui Parabolani, qui impropriè dicuntur medici, quia vendunt aliqua remedia pro morbis curandis, & ex eo, quod ii ſint ignobiles, non ideò ſequitur, quod veri medici ſcientifici, & dogmatici non fruantur nobilitate, & honoribus, quos valet tribuere medicina veris ſuis profeſſoribus.

Ad quartum reſpondetur: quod medici agunt de excrementis quatenus ſunt ſigna morborum, aut quatenus conferunt ut medicamenta ad ſanitatem, ſine dedecore; eiſdem enim ſine illo Deus dedit virtutes medicinales, & ob ſalutis humanæ conſervationem eis uti, aut virtutes ſpeculari nullum dedecus includit, ſicut nec indecens judicant Juris profeſſores, verſari circa illa, immò & politici, ac Magiſtratus verſantur circa cloacas, & loca ſordida perambulant ob Reipublicæ utilitatem, & de illis varia ſcripſerunt Bartholomæus Cæpa *de ſervitute urbis c.* 48. Ripa qui plura opponit contra medicos, pluræ ſcripſit de Cloacis, & immundis locis. Ferrariæ eſt Magiſtratus deſtinatus inter Juris profeſſores, ut cognoſcat de latrinis fabricandis, aut viſitandis in tota urbe, ut tenet Canonherius, eſtq; communis quæſtio inter Juris profeſſores de Stercolimis, & fœtentibus animalibus tempore peſtis, de ſtabulis, & excrementorum receptaculis quorum inſpectionem habent, ut cognoſcant; An nocere valeant, nec hoc indecorum illis ob Reipublicæ utilitatem, nec medicis ob vitæ hominum conſervationem.

RESOLUTIO II.

Utrum medicina dogmaticâ ſit præſtantior ſeptem artibus mechanicis?

§. I.

Pars negativa quibus valeat ſuſtineri?

Artes Mechanicæ ſunt ſeptem. Militaris, Medicina, Lanificia, Agricultura,

ra, Nemoraria, Nautica, & Fabrilis ſub quibus innumeræ aliæ reperiuntur de quibus currit difficultas, harum aliquæ ut Militaris, Agricultura & Medicina, quæ exercetur à miniſtris medicorum, ita ſunt pro vita hominum utiles, ut ſine illis fere nequeat conſervari, quas ideo pluribus privilegiis & honoribus condecorarunt, Imperatores, aliæ verò honeſtæ, licèt appareant non ita neceſſariæ ſunt, ut Pictura, Statuaria ars, & aliæ ſimiles: aliæ ſunt ſordidiores, quæ nullis adhuc privilegiis ſunt condecoratæ; ut ſcurrilitates, Comicorum ars; Primo de artibus mechanicis, utilioribus, videtur, quod ſint medicinâ dogmaticâ præſtantiores. Tum primo de arte militari conſtat reddere nobiles ſuos Profeſſores ex textu *in l. 2. C. de primic. lib. 12.* & *ex l. inter alias C. de pal. Sac. largi. lib. 12.* & *ex rubr. C. qui milit. lib. 12.* & *ex l. 2. C. ut nemo privat.* Tum ſecundo patet de agricultura, præcipue in ſuis ſundis nobilitatem retinere tenent Guido Papa *deciſ. 296.* D. Benedic. in Repub. & Raynutius *in verbo dotem quam ei dederat, num. 52. de teſtam.* Panorm. *de celeb. Miſſ. & in cap. 1. § Cæterùm de verbor. ſignif. lib. 6.* Tum de medicina quæ eſt ars miniſtrorum medicinæ conſtat, varios ejus profeſſores condecoratos fuiſſe privilegiis; ergo dogmatica medicina non eſt illis præſtantior.

Secundo; de honeſtioribus medicinæ artibus patet; Nam ſicut medicina dogmatica eſt præſtantiſſima, quia nobis à Deo fuit communicata; Similiter hujuſmodi artes à ſummo Deo ſunt hominibus condonatæ, ut patet ex *Exodo 31. §. Ecce vocavi Bezaleel, & implevi eum Spiritu Dei, ſapientia & intelligentia & ſcientia in omni opere ad excogitandum quidquid fabreſieri poteſt ex auro & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diverſitate lignorum, dediq́ ei ſocium Holioliab, & in corde omnis eruditi poſui ſapientiam, ut faciant cuncta quæ præcepi ibi.* Ergò medicina dogmatica non eſt præſtantior iis.

Tertiò: de reliquis artibus patet: Quod uſus eas conſervat inter homines ob earum utilitatem; ſed ut tenet Philo, & ex illo deducit Pierius *lib. 54.* medicina ſimul cum Oratoria & Advocatoria debet poni ſub artibus vacuis & inutilibus; ergo non eſt præſtantior illis.

§. II.

Præſtantia medicinæ inter artes mechanicas ſancitur.

Reſolvendum: Quòd dogmatica medicina eſt præſtantior omnibus artibus mechanicis.

Probatur primò: de artibus infimis mechanicis medicina dogmatica eſt ſcientia valens nobilitare ſuos profeſſores, ut probavimus; ſed hujuſmodi artes mechanicæ faciunt ignobiles ſuos profeſſores; ergò eſt præſtantior illis. Probatur minor à Ioanne Garcia Otalora & Tiraquello per textum *in l. nobiliores*, & notat Bald. *in C. de commerc. & mercat.* & *l. ne quis C. de dig. lib. 12.* & *in §. 1. verſ. ſancimus in auth. de teſtibus, & in gloſ. in cap.* quo contra pacem 2 ... *q. 1.* Bart. *in l. 1. ad finem ibi.* Joan. Plat. *col. 1. C. de dig. lib. 12.* Pan. *in cap. nonnulla de Cler. non reſidente.* Joan. Rayn. *tract. de nobilitat. in q. 4. principal* Matth. de afflict. *in cap. 1. col. 6. verſ. ſi quid de nobil. ut quis.*

Probatur ſecundò. De honeſtioribus mechanicis Artibus quas in ſecundo loco propoſuimus, ipſas enim ponunt Juris profeſſores inter mechanicas quæ auferunt nobi-

nobilitatem ut patet ex Tiraquello *libr. de nobilit. c.* 34. Ubi artium, quæ obſtant nobilitari hunc ponit catalogum, Piſtores, Poëtæ, Hiſtriones, Tibicines, inſtrumentorum muſicorum confectores, Thymelici, Tragœdi, Comœdi, Ludiones, Mimi, Pantomimi, Joculatores, Scenici, Saltatores, Publicani, Coqui, Notarii, Lecticarii, Fabrilignarii, Aurifices, Inauratores Bractearum, Tabernarii, Popinarii, Agricultores, Campſores, Trapezitæ, Collibitæ, Tonſores, Nummularii, Menſarii, Argentarii, Præcones, Scribæ, Gineciarii, Monetarii, Arenarii, Apparitores, Viatores, Unguentarii, Myropolæ, Apothecarii, Pigmentarii, Figuli, Statuarii, Salmarii, Pelliparii, Lenones, Coriarii, Fullones, Linarii, Caligarii, Inſtitores, Marmorarii, Cerarii, Fartores, Lanii, Piſcatores, Macellarii, Saltuarii. Ergo hujuſmodi artibus præſtantior eſt medicina dogmatica.

Probatur tertiò de militari agricultura, & medicina, quæ eſt ars miniſtrans dogmaticæ. Nam hujuſmodi artes mechanicæ ſunt, & etiamſi nobilitentur à Principe, ſunt ſolum corpori deſervientes; ſed medicina dogmatica eſt ars ſcientifica, & animæ complementum ut probavimus ex Divo Thoma: ergò eſt illis præſtantior.

§. III.

Solvuntur fundamenta primò adducta.

AD primum reſpondetur: Quod inter artes mechanicas militaris, agricultura & deſerviens medicina gaudent aliquibus privilegiis, quia maximè inter reliquas honeſtiores, & neceſſariæ ſunt pro hominis vita conſervanda; ſed quia ut probavimus, dogmatica medicina eſt ſcientia, ut talis, ex natura ſua præſtantior eſt, & quia eſt animæ complementum ut talis, & ideò à Deo nobis condonata, & quia fruitur etiam præſtantioribus nobilitatis privilegiis, ut diximus.

Ad ſecundum reſpondetur; quod aliquæ honeſtiores artes præcipuè quæ fuerunt neceſſariæ ad ædificandum tabernaculum, fuerunt à Deo datæ Bezaleel, & Holioliab: ſed non ut artes mechanicæ, ſed ut ſcientiæ in omni opere, id eſt ut Architectonicæ, & ut habent ſua principia ſcientifica in mathematicis, & ideò ſunt illæ mechanicæ, ut diximus: iſtæ ſunt inter artes liberales, quas ſtatim probabimus eſſe ignobiliores medicinâ.

Ad tertium reſpondetur: Quod Philoſophus loquitur de medicina Empirica, ſuo tempore uſitata; Nos verò de dogmatica, quam demonſtravimus eſſe ſcientiam, hominibus non ſolum utilem, ſed & neceſſariam.

RESOLVTIO III.

Vtrum dogmatica medicina ſit præſtantior, quam artes liberales?

§. I.

Proponitur difficultas, & rationes, quæ faciunt pro artibus liberalibus.

ARtes liberales ſunt ſeptem; tres ſermocionales, Grammatica, Rhetorica, & Logica; & quatuor mathematicæ, Muſica, Arithmatica, Geometria, & Aſtronomia, quæ præſtantiores eſſe dogmatica medicina ſuadet.

Primò, de Grammatica patet; de qua Quintilianus *lib. inſtit.* Iſidorus *lib.* 1. *Etymolog.* Franciſcus Patricius *lib.* 2. *de Repub.* tenent:

tenent: Quod eſt janua omnium ſcientiarum; & ideò magna ſuis Profeſſoribus conſignarunt ſtipendia Romani, & ob illam Dionyſius Licinius meruit ſtatuam in Capitolio, & Ludovicus Bibaldus *libr. de perſecut. Eccleſ.* ponit illam primam inter ſcientias, & præcipuè ad Theologiam requiritur Grammatica Latina, Greca, Hebraica, & Chaldæa: Ergo eſt præſtantior medicina.

Secundò patet de Rhetorica, quæ eſt ars ornandi orationem in genere demonſtrativo, deliberativo, & judiciali: reſpicit voluntatem, affectus, cor, ſermonem, & geſtus, & per tropum figuratam vocem, & geſtum conſequitur modum ornate dicendi, & ideò ornamentum eſt pro omnibus ſcientiis docens in unaquaque perfectè loqui; ideò magni facti ſunt ex illa Catones, Cicero, Gracchus: Craſſus, Saluſtius, & alii, ut tenet Trapezantus *in libr. Rhet.* ex quo apparet hanc artem præſtantiorem eſſe Medicina, quæ ipſa indiget, & Hippocrates Medicum deſiderat Rhetoricum.

Tertiò: Logica ſe ipſa poteſt adquiri: medicina dogmatica indiget illa ut adquiratur; quia inſtrumentum eſt ſcientiarum; docet enim definire, dividere & argumentari, & ſimul demonſtrare concluſiones, quia ſine demonſtratione nulla eſt ſcientia; benè tamen ſine medicina; ergò præſtantior eſt illa adhuc ad intellectum perficiendum.

Quartò: Muſica præſtantior judicari poteſt dogmatica medicina; Angeli enim ipſa utuntur, & ſacra Eccleſia in Dei cultum: David Rex ipſa utebatur, ipſamque commendat: *Cantate Domino Canticum novum: Pſallite Domino in Cythara & voce Pſalmi.* Ptolomæus refert antiquos cum muſica ſuos Deos ſolitos placare. Divus Iſidorus *libr. 3. Etymol.* dicit, ſine illa nullam poſſe adipiſci diſciplinam: Quintilianus tenet ipſam laudatam à Platone, ut dignam homine politico. Natalis Comes ejus affert encomia: Ariſtoteles ipſam collocat inter illuſtriores artes. Ariſtophanes, Menander, Beroaldus; Philoſtratus ipſam ſuper omnes artes extollunt: Sapiens tenet, quòd lætificat cor: Pytagoras, Tullius, Boëtius tenent, conducere ad ſanitatem: Saül idem expertus fuit: Galenus refert, quod Peon medicus muſica incurabilem ægrum reſtituit ad ſanitatem: idem profert Aſclepiades, Theophraſtus, & Aulus Gellius tenent prodeſſe pro dolore Iſchiadico, & podagrico: Empedocles idem expertus in febre ex ira: Plutarchus & Dion referunt, quod Alexander per muſicam incitabatur ad bellum: Thales Mileſius fertur ex Plutarcho muſica peſtem lenire potuiſſe in Candia: ergo hæc ars præſtantior judicanda, quam medicina.

Quintò: Arithmetica præſtantior medicina debet judicari. Faber eam reliquis Mathematicis præſtantiorem judicat: Plato, quod ſit divinior inter artes & omnes ſcientias: Pytagoras in numeris omnem ponit ſcientiam, ex quinque figuris, fabricat mundum, ut tenet Picus Mirandulanus, & omnium principia tenuit eſſe numeros, & refert Ariſtoteles 1. *Metaph.* ex Arithmetica contendebat deducere ſcientiarum principia, idem tenebant Zenon, Parmenides, Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Clazomen, Euritus, Philolaus, Carondas, Zaleucus, Briſſon, Architas, Empedocles, Ariſtæus Cyſis, Zamolxis

xis & Plato, ut tenet Villabaldo, Deum Pythagoras cognovit per unitatem: Plato & Anaxagoras veri Dei cognitionem aſſequuti ex Liſide & Obſide Pythagoricis; ex unitate illam convincentibus. Boëtius omnes res contendit conſtare ex numeris; Macrobius per numeros contendit animas uniri corporibus. Avenzoar omnia cognoſci per numeros ex vera arithmetica: Ergo hæc eſt præſtantior medicina.

Sextò: Geometria præſtantior medicina apparet. Sine Geometria nulli fas erat Academiam adire. Philon vocat illam ſcientiarum matrem; Cælius ſcientiarum baſim: Patricius earum ſubſidium: Plato tenet, quod ſit belli fulcimentum; Marſilius, quod deſervit ad juſtitiam & Politicam: Quintilianus, quod regit mores omnium ætatum: Bibaldus, quod perficit Theologiæ Profeſſores, & eſt magiſtra reliquarum Artium; confert Architecturæ, Coſmographiæ, Artificibus omnibus, militibus, Agriculturis; ex ea enim ſuam depromunt certitudinem; ergò judicari debet medicina præſtantior.

Septimò, de Aſtronomia ſeu Aſtrologia idem apparet: Joſephus eam deducit ex Abraham, & ex filiis Sem dicit derivatam. Græci noſtro eam tribuunt Atlanti: Divus Hieronymus ipſam & medicinam neceſſarias contendit. Dionyſius Areopagita per illam cognovit miraculoſam eclipſim in morte Domini noſtri JESU Chriſti, & per hoc verum Deum cognovit. Panormitanus dicit eſſe ſcientiam neceſſariam. Divus Thomas, Scotus ex Ariſtotele deducunt inferiora pendere à corporibus cœleſtibus: Apollonius & Albumaſar eam tenent eſſe principium medicinæ, & ad illam conducere deducitur ex Hippocrate, tenuitq; Hermes. Bibaldus judicat eſſe Theologis neceſſariam: Petrus Aliacus ſcripſit de illis concordantia cum Theologia: Ergo ſicut Theologia eſt medicina præſtantior, ſic ſimiliter & Aſtronomia.

§. II.

Dogmatica medicina ſancitur præſtantior eſſe artibus liberalibus.

RESolvendum: quod dogmatica medicina præſtantior ac nobilior eſt cunctis artibus liberalibus.

Probatur primò: Artes liberales mediæ ſunt inter artes mechanicas, quæ ſunt illis ignobiliores, & inter ſcientias quæ ſunt illis præſtantiores; ſed dogmatica medicina ut demonſtravimus eſt ſcientia: ergo eſt præſtantior illis.

Probatur ſecundò: Artes ſpecificantur à fine, & ſcientiæ ab objecto, ab ipſoq; deſumunt perfectionem, ſed perfectius objectum reſpicit medicina dogmatica tanquam ſui ſpecificativum, quàm artes liberales; ergo eſt præſtantior illis. Probatur minor: nam finis Grammaticæ eſt tradere modum benè colligendi vocum ſignificationes. Rhetorica eſt ars tradens modum ornandi orationem: Logica eſt ars tradens modum docendi: Mathematicæ verò reſpiciunt pro objecto accidentia, Arithmetica reſpicit quantitatem diſcretam, Geometria quantitatem continuam, dimenſiones; reſpicit Aſtrologia influxus & motus cælorum; Sed dogmatica medicina habet pro objecto corpus humanum ſanabile, quod eſt ſubſtantia, quæ perfectior eſt ſuis accidentibus: ergò eſt præſtantior ſcientia.

Digitized by Google

§. III.

Solvuntur primò adducta fundamenta.

PRo fundamentis primò adductis reſpondetur; quod probant dignitatem, uſum, & honorem omnium artium liberalium;& quòd præſtantiores ſint,quàm mechanicæ; ex quo non ſequitur, quod dogmatica medicina, quæ eſt ſcientia & ſpecificatur à perfectiori objecto, & eſt utilior, non ſit illis præſtantior.

RESOLVTIO IV.

Vtrum dogmatica medicina ſit praſtantior Theologia?

§. I.

Proponitur ſtatus difficultatis.

ARs doctrinalis ſcientifica, ut diximus, ſeptem comprehendit ſcientias, tres morales, Ethicam, Oeconomicam, & Politicam; duas naturales, Phyſicam & Medicinam, & duas quaſi divinas, Metaphyſicam,& Theologiam: de hac ergo inquirimus; an ſit præſtantior medicina? Ratio dubitandi deſumitur ex Hippocrate, *libr. de lege* dicente: *Medicina omnium artium præclariſſima eſt.* Nec de omni Theologi currit diſputatio. quæ agebat de Deo Theologia apud Ethnicos diverſa erat, ipſum conſtituebat rerum principium, & circa hoc varia fuit: apud Phœnicos credebatur aërem ſpirituoſum, & tenebroſum, ſeu chaos eſſe omnium rerum principium, & quod naſcebantur homines ex Coolpia, & Baan, ſic tenebant Tauto, Biblis, Epides, Pherecydes, & Zoroaſtes. Alia fuit Ægyptiorum Theologia, quæ docebat homines primogenitos, & quod ob ſua merita ex illis Dii facta fuère, & ut tenet Orpheus, inde Typhon, Oſiris, Iſis,& Dionyſius, dii facti ſunt: Alia fuit Græcorum Theologia,quæ à Cadmo filio Agenoris, docuit Deos ducere originem, Deaſq;, Nymphas, & Muſas. Alia fuit Atlanticorum, quæ docuit à Cælio Opim, Cybelem, & Baſiliam, ortas fuiſſe, & reliquos Deos ab iis duxiſſe originem: Alia fuit Phrygiorum, quæ Mœnio tribuebat plurimũ Deorum originem, quorũ famulas confutavit Plato, & poſteà Lactantius Firmianus, de quibus conſtat non poſſe concertare cum medicina dogmatica. Vera Theologia eſt, quæ agit de vero Deo, & in eſſe ſcientiæ ſpecificatur ab ipſo,quæque eſt ſumma vitæ ſapientia, & prudentia perveniendi ad vitam æternam.

§. II.

Quid ſentiendum de vera Theologia reſpectu medicinæ?

REſolvendum: quod vera Theologia eſt præſtantior medicina dogmatica, & aliis ſcientiis. Probatur primò: Omnis ſcientia ſpecificatur ab objecto, ex Ariſtotele *lib.* 1. *Poſt.* Sed vera Theologia omnium objectorum perfectius reſpicit, ſcilicet ipſum Deum, ut demonſtrat D. Thom. *1. p. q. 1. art.* 3. Ergo eſt cunctis aliis ſcientiis præſtantior.

Probatur ſecundo: Tùm ratione originis, oritur enim à divina luce: Tùm ex pura veritate contenta in fidei articulis ortis ex divina, & ineffabili veritate; Tùm ex illius fructu: docet enim ea, quæ petunt, credi, appeti, eligi, & proſequi. Tùm ex fine, dirigit enim in beatitudinis æternæ conſequutionem: Tùm ex objecto contemplabili quod eſt ſummum Bonum.

Pro-

Probatur tertiò: Quia Theologia ex D. Auguſtino *lib. 8. de Civitate Dei*, eſt ſermo ipſius Dei, vel ſermo de Deo, vel ſcientia, quæ de Deo diſſerit, latiſſimè ſumpta dicitur Dei cognitio: falſa erat, quæ de falſis agebat diis; vera eſt, quæ de vero agit Deo, veriſſima & amplectanda, quæ veram doctrinæ Chriſtianæ intelligentiam proſequitur; non vera, quæ ab hac diſcedit, & erroneas inſerit propoſitiones, qualem proſequuntur Mahometani, hæreticique; Veriſſima Theologia aut eſt Archetypa, qua Deus ſe ipſum cognoſcit; vel Cetypa, quæ effigies eſt Archetypæ qua utuntur creaturæ, & reſpectu cujus ut de ſe patet nulla poteſt ſcientia coæquari; ergo reliquis omnibus eſt præſtantior.

§. III.

Reſpondetur pro doctrina Hippocratis.

AD Hippocratis propoſitionem dubitandiq; rationem dicim9; quod Hippocrates veriſſimam non cognovit Theologiam; ſed falſam, & quæ falſis nitebatur principiis, & reſpectu ejus abſolutè protulit, quod medicina dogmatica, quæ vera eſt ſcientia, eſt reliquis artibus præſtantior.

RESOLVTIO V.

Vtrum medicina dogmatica ſit præſtantior Metaphyſica?

§. I.

Quid ſit Metaphyſica? & de ejus præſtantia.

ALſtedius, *tom. 2. Encycloped.* dicit, quod Metaphyſica eſt ſapientia, quæ conſiderat ens, qua ens; Avicenna *lib. 1. Metaph. cap. 2.* quod conſiderat ſubſtantias ſeparatas, & elevat intellectum ad res ſpirituales, & quod habet pro fine Dei, & ſpiritualium intelligentiarum cognitionem; & ideò Ethnici non ſolum ut Theologi, ſed etiam ut Metaphyſici in Dei cognitione, & ſpeculatione ſe exercebant, ſaltim Deum quærentes ſub ratione entis, ut ſic, Diagoras Mileſius, & Theodorus Cineraïcus, nullum Deum invenerunt, Epicurus invenit illum ſine rerum providentia, Pytagoras inſcius permanſit; an Deus eſſet ſub ente: Anaximander Deos mortales judicabat: Xenocrates octo Deos invenit: Antiſtenes plures peculiares, & unum omnium Dominum admittebat: Mileſius Deum Mentem eſſe dicebat: ex eaque omnia dimanare. Cleantes & Anaximenes, Deum aërem conſtituebant: Chryſippus, quandam Divinam neceſſitatem: Zeno Divinam mentem; Anaxagoras mentem infinitam: Pythagoras minus anceps de Dei exiſtentia, illam in omnibus habere annuit: Almeon ſolem, & lunam Deos fecit: Xenophanes omni habenti eſſe dedit Deitatem: Parmenides circulum quendam Deum conſtituebat luce plenum. Ii omnes ſine fide, & luce varii extitère. Ariſtoteles cognovit primam cauſam, & Metaphyſicam primam Philoſophiam vocavit, ipſamque fatetur ſpeculari omne ens, & ut ſic omnes ſcientias, largo modo ſubalternari illi. Ex quo videtur, quod medicina quæ agit de determinato ente, ſcilicet homine, ſit ars minus præſtans, & utilis quam Metaphyſica.

***

Digitized by Google

§. II.

Quid de præſtantia Metaphyſicæ abſolutè fatendum?

RESolvendum: Quod Metaphyſica excepta Theologia ratione objecti, & ex modo quo illud reſpicit, præſtantior ſit reliquis artibus.

Probatur: Nam metaphyſica reſpicit univerſaliſſimum objectum, ſcilicet ens, ſub quo ſunt omnia reliquarum artium objecta, & de ipſo etiam Deo aliqua agit, ex quo quaſi divina dicitur, & affinis Theologiæ judicatur. Præterea abſtrahit ab omni ſui objecti materialitate, ipſumque reſpicit prout eſſe eſſentiæ & exiſtentiæ complet: Metaphyſica vocatur: quia ultra metas phyſicæ ſuam ſpeculationem extendit. Dicitur poſtnaturalis, vel tranſnaturalis, quia ultra naturalis entis cognitionem porrigitur, & vocatur ſapientia, quia eſt habitus compoſitus ex intelligentia & ſcientia, & ideo ut divina ſcientia & divina philoſophia judicatur, & ut Scientia maximè contemplativa omnis entis; & cum dogmatica medicina non æquali contemplatione hæc attingit; nec a qua extenſione; nec eadem abſtractione à materia, ſicut nec reliquæ ſcientiæ præter Theologiam, quæ in uno Deo objectum habet; quod omnia includit & ſuperat: ideò metaphyſica omnes reliquas ſuperat ſcientias.

§. III.

Dogmaticæ medicinæ qualis adaptanda præſtantia ob quam Metaphyſicâ utilior?

REſolvendum, quod dogmatica medicina ob ſui neceſſitatem honorabilior & præſtantior eſt metaphyſica.

Probatur, tum ex *Sacra Pagina lib. Eccleſ.* in quo dicit Spiritus ſanctus: *Honora Medicum; propter neceſſitatem etenim creavit eum altiſſimus.* Ex quo apparet; quod medicina eſt honorabilior reliquis ſcientiis, ob ſui neceſſitatem, ob quam Deus commendat illam excepta Theologia, quæ ob perfectiorem finem eſt neceſſaria ut diximus: Tùm quia illius neceſſitatem in ſubſidium vitæ humanæ demonſtravimus: Tum quia licet Metaphyſica ſit neceſſaria in animæ complementum, in quo idē tenet medicina; hæc tamen ſuperaddit novam neceſſitatem ſui in conſervationem hominis vitæ, & ſanitatis; Ergò ob ſui neceſſitatem dogmatica medicina præſtantior eſt, quàm Metaphyſica.

§. IV.

Phyſica dubitandi primò adducta doctrina.

AD ſupràpoſitas dubitandi rationes reſpondetur: Quod metaphyſica ex modo quo ſuum objectum attingit, & ob illius univerſaliorem latitudinem præſtantior eſt medicinâ, ſed reſpectu neceſſitatis ejus pro hominis vita conſervanda honorabilior & præſtantior eſt dogmatica medicina, quam illa.

RESOLVTIO VI.

Vtrum dogmatica medicina ſit præſtantior Phyſicâ?

§. I.

Phyſicæ quæ favent rationes ut ſit præſtantior dogmatica medicina.

PHyſicam medicinâ eſſe præſtantiorem ſuadet primò: quia eſt diſciplina explicans rerum naturalium eſſentiam, & ut tenet Cicero *libr. 2. de Divinat.* Eſt naturæ expli-

explicatio, ſeu entis naturalis, ſub quo eſt homo de quo agit medicina: Tùm ſecundò, quia eſt verè ſcientia, ſiſtit enim in ſpeculatione, non producit ſuum objectum, verſatur circa notiones primas, non pendet ab hominum voluntate; effectus demonſtrat per cauſas; non verſatur circa ſingularia; habet objectum ab aliis diſtinctum; habet propria principia, & affectiones: dogmatica autem medicina ſua principia deſumit á Phyſica; ex quo apparet, quod ſit illi inferior. Tùm tertiò; Scientia ſubalternata eſt inferior, & imperfectior ſubalternante: Phyſica autem eſt ſubalternans reſpectu medicinæ dogmaticæ; ergò eſt præſtantior illa.

§. II.

Dogmatica Medicina phyſica habenda præſtantior.

Reſolvendum; Quod dogmatica medicina ex ratione formali ſui objecti ſit præſtantior Phyſica.

Probatur primò: In eſſe ſcientiæ naturalis conveniunt medicina dogmatica & Phyſica ut ſupra probavimus: ergò debent inter ſe differre per rationes formales conſtitutivas objecti illarum;ſed ratio formalis conſtituens dogmaticam medicinam, eſt præſtantior quàm ratio formalis conſtitutiva objecti Phyſicæ: ergò eſt præſtantior quàm Phyſica. Probatur minor; Ratio formalis conſtitutiva Phyſicæ eſt mobilitas ut ſic, ratio formalis conſtitutiva dogmaticæ medicinæ eſt mobilitas ad ſanitatem hominis, & ad conſervationem vitæ illius;ergò eſt præſtantior: patet conſequentia; eſt enim homo propter quem eſt omne ens mobile, omne ens continens ex quo completur univerſum; ideò & microcoſmos dicitur, igniculos cæleſtes, ſeminaq; Divinitatis retinens, animal adorandum, & admirandum Deo ſimillimum, rerum omnium menſura, univerſi exemplar, plenus rationis, & conſilii audaciſſimi, & omnia confidenter molientis, naturæ decus, & ut tenent Theologi, qui omnium admirationem ſuperat, ergo mobilitas ad ejus ſanitatem, & vitæ conſervationem præſtantior debet haberi, quam mobilitas entis ut ſic.

Probatur ſecundo, ex Hippocrate, qui *lib. de leg.* inquit: *Medicina omnium artium præſtantiſſima eſt*: ſed cognovit & excoluit Phyſicam; ergo reſpectu ejus præſtantior ex illo debet cenſeri.

Probatur tertio, Si dogmatica medicina non eſſet præſtantior quam Phyſica, maximè, quia eſt illi ſubalterna; ſed dogmatica medicina non ſubalternatur Philoſophiæ: Ergo eſt præſtantior illa. Probatur minor: Tùm ſi quæ dogmatica medicina deſumit ab alia ſcientia principia, ea deſumit ex Metaphyſica, quia ut tenet Ariſtoteles *lib. 4. Metaphyſ.* ſive ſpeculativa ſive practica præſcindit ſibi partem entis, quod eſt ſubjectum Metaphyſicæ, & conſequenter principia; quia à quo recipiunt objecta ſcientiæ recipiunt principia. Ex quo patet quod medicina ſua principia deducat ex Metaphyſica, tum quia ut tenet Albertus Magnus *ex Ariſtot. 1. Poſterior.* 13. ad ſubalternationem ſcientiarum requiritur, quod additum à ſubalternante ſi diverſi generis ab eo cui additur; unde ſcientia de homine, & de rationali, & irrationali, non ſubalternatur ſcientiæ de animali; ſed eſt eadem; ſed ſic eſt, quod mobile ad ſanitatem eſt ſpecies corporis mobilis, ergo ſcientia quæ de illo agit non

eſt

Digitized by Google

eſt ſubalterna Phyſicæ, ſed altera ſcientia naturalis illi coæqualis, & præſtantior ob rationem formalem præſtantiorem, qua objectum completur. Tum quia ut D. Thom. deducit ex Ariſtot. 1. *Poſteriorum* 13. & cum illo Albertus & Cajetanus, ad rationes ſubalternationis requiritur, quòd additum à ſubalternata non fluat à natura; & ſubjecto illius cui additur; alioquin ſciētiæ de ſubjecto ſubalternaretur ſcientia de paſſionibus; ſed ſanitas eſt paſſio corporis humani; ergo ſcientia quæ de illo agit, ut ſanabile non eſt ſubalterna ei quæ agit de corpore mobili.

§. III.

Solvuntur rationes dubitandi primò adducta.

AD rationes dubitandi reſpondetur; Tùm pro primò; quod ſicut Phyſica agit de corpore naturali ut mobili, agit medicina de microcoſmo ut mobili ad ſanitatem, & ideo utraq; dicitur ſcientia naturalis, & dicuntur ſcientiæ affines; quia ſicut altera de mundo majori; altera agit de minori ſub mobilitatis ratione, perfectiori tamen modo hoc medicina attingit, quæ ſuum objectum ut tale reſpicit, & illius conſervationem; Phyſica verò ſuum reſpicit ut tale. Tum pro ſecundo; quod probat habere Phyſicam debitas conditiones, ut ſit ſcientia, quod nos fatemur; ſed de medicina dogmatica *ſupra* demonſtravimus veram ſimiliter eſſe ſcientiam; & ideò in hoc genericè conveniunt, quod ſint ſcientiæ naturales; & ita affines, ut à pleriſque medici vocentur Phyſici; ſuperaddit tamen medicina in formali ratione objecti aliquid per quod fit præſtantior; quia circa microcoſmum agit, qui præſtantior eſt ente naturali ob ignicolos, & ſemina Divinitatis nulli alii enti mobili communia. Tum pro tertio: Quod medicina dogmatica non ſubalternatur Phyſicæ, ſed illi coæqualis, utraque deſumit à metaphyſica ſua principia; quia ſicut quævis ſcientia deſumit ſui objecti partem ab ente ut ſic; ſimiliter & deſumit principia à Metapyſica, quæ de ente, ut ſic agit: Si tamen medicina aliquibus utitur etiam principiis Phyſicæ communibus, non eis utitur, quia illi ſubalterna; ſed quia illi ſit affinis, & cum conveniant in eo, quod ſint ſcientiæ naturales, conveniunt etiam in eo, quod utantur ſimul aliquibus principiis utrique communibus.

RESOLVTIO VII.

Vtrùm dogmatica medicina ſit præſtantior Oeconomia?

§. I.

Proponitur ratio dubitandi favens Oeconomiæ.

OEconomia ponitur inter morales ſcientias, & partim eſt activa, partim ſpeculativa. Hæc docet modum gubernandi familiam propriam vel alienam, pro eo cui incumbit, ut Ariſtoteles, Xenophon & Plato confirmant; alia pertinet ad hominem, alia ad mulierem, utraque tendit ad familiæ gubernationem: finis ejus eſt bonum Oeconomicum, hoc eſt fælicitas privata, per quam Oeconomiæ bene eſt: ſecundum tres gradus bonitatis quæ ſunt honeſtas, utilitas, & jucunditas, ut tenet Alſtedius *tom. 3. Cyclopediæ*. Oeconomica reſpectu medicinæ dogmaticæ videtur eſſe præſtantior: quia illa ars, cui altera

altera deſeruit, eſt illa præſtantior : Sed dogmatica medicina deſervit Oeconomicæ ; agit enim de ſalute & conſervatione eorum, ex quibus Oeconomica completur: ergo eſt illa præſtantior.

§. II.

Dogmatica medicinæ præſtantia præfertur Oeconomicæ.

RESolvendum : quod medicina dogmatica eſt præſtantior quam Oeconomica.

Probatur : Præſtantior ars eſt, quæ ordinatur ad conſervandum eſſe hominis, quam ad illius commodam habitationem, quia præſtantius eſt aliquod eſſe, quam ſub illo eſſe commodiùs ſe habere; ſed dogmatica medicina ordinatur ad conſervationem eſſe hominis, cum ſit hominibus à Deo condonata in ſubſidium ſalutis corũ, ut demonſtravimus: Ergo eſt præſtantior Oeconomica. Præterea idem conſtat ex eo, quod homo indiget medicina ante ſui eſſe, ut ſit, ut colligitur ex Platone *in calce Decalogi de Regno, & lib. 6. de legib.* ex Ariſtotele 7. *Politicorum.* & patet: quia curat ſterilitates impedientes hominis generationem: Præterea homo indiget medicina dum eſt in utero, in quo præſervat illius aborſum, dum exit in lucem, per medicinæ curam fovetur ab injuriis, quæ opponuntur conſervationi fœtus, & per omnes ætates curat morbos, quos unicuique proprios adaptavit Hippocrates, *libr. 3. Aphor.* & ab aliis ſupervenientibus per totum vitę decurſum, in quo ſimul attendit ad conſervationem ſanitatis juxta præcepta Galeni *in libr. de ſanitate tuenda.*

§. III.

Ratio dubitandi primo adducta ſolvitur

AD rationem dubitandi reſpondetur; quòd prodeſſe alteri, & illi deſervire, differunt, prodeſt enim Oeconomo medicina, non tamen illi deſervit: Deus enim ut prima cauſa, & Medicus ut naturæ Miniſter, conſervant ſanitatem hominis; ſed nec Deus, nec Medicus illi deſervit; ſicut nec rex qui illum tuetur ab inimicis; ſed tanquam illius benefactores proſunt illi: Ex quo patet, quod ut tales ſint illo præſtantiores.

RESOLVTIO VIII.

Vtrum dogmatica medicina ſit præſtantior Ethica arte?

§. I.

Proponitur Ethicæ ratio & excellentia.

INter artes Ethica eſt prudentia de bono morali; differt à Theologia, quia hæc agit de bono ſpirituali; de temporali illa; reddit hominem Ethica prudentem triplici ratione, redditque de bono animæ attentiorem; docet ut ſit paratus ad omnem fortunam, & ut valeat aliós corrigere; eſt enim munus omnes virtutes morales dirigere; habet pro objecto hominem, quatenus eſt ſubjectum totalis virtutis; rationis imperio regitur, & corporis miniſterio utitur; ex quibus apparet, quòd ſit præſtantior dogmaticâ medicinâ: Nam medicina corrigit vitia & morbos corporis, Ethica vitia & morbos animæ; ſed anima eſt corpore perfectior; igitur præſtantior medicinâ. Patet conſequentia; quia artes eò

ſunt perfectiores, quando perfectius reſpiciunt objectum, vel verſantur circa perfectiorem materiam.

§. II.

Præfertur Medicina Dogmatica Ethicæ.

RESolvendum: quod ex jure naturæ præſtantior eſt dogmatica medicina, quàm Ethica.

Probatur: Utraq; verſatur circa hominem: ergo illa erit perfectior ex jure naturæ, quæ perfectius reſpicit, quod debetur illi ex jure naturæ; Sed ex jure naturæ magis debetur illi, id quod conducit ad ſui eſſe complementum, in quod ordinatur medicina, quàm quod ordinatur ad compeſcendos mores, in quod tendit Ethica; Ergo ex jure naturæ præſtantior eſt dogmatica medicina, quam Ethica.

Probatur ſecundò: Ex natura rei in eſſe ſcibilis præſtantior eſt ſcientia ſpeculativa quam practica; ſed medicina dogmatica, ut probavimus, eſt ſimpliciter ſpeculativa, Ethica verò eſt practica; ergò ex natura rei dogmatica medicina eſt præſtantior, quàm Ethica.

Probatur tertiò: Ex natura rei perfectior eſt ea ſcientia, quæ ordinatur ad perfectiores actus perficiendos; Sed medicina dogmatica perficit actus intellectuales, Ethica verò prudentiales; ergò eſt præſtantior, perficit enim diſpoſitiones, ad quas ſequuntur.

§. III.

Satisfacimus pro ratione dubitandi.

AD rationem dubitandi reſpondetur; quòd vitia animi alia pertinent ad vitia virtutum moralium, quæ pertinent ad corpus; alia ad ea quæ pertinent ad animæ rationalis perfectionem, & ad conſecutionem illius finis; ſcientia quæ de iis agit eſt Theologia, & eſt perfectior medicina, & quæ agit de illis, quæ ſolum pertinent ad corporis ornatum, imperfectior eſt, quã quæ agit de ipſo homine & ſui eſſe perfectione; & ideo Ethica, quæ de iis agit, eſt imperfectior, quam medicina, quæ de eſſe rei ipſius hominis pertractat.

RESOLVTIO IX.

Vtrum dogmatica Medicina ſit præſtantior Politicâ.

§. I.

Quid Politica, & quæ ejus præſtantia ſit?

POlitica, ſeu civilis Philoſophia eſt Sapientia ſeu prudentia Reipublicæ benè regendi; conſtat ex rebus & perſonis politicis; res civiles vel pendent a natura, vel ab arte: Perſonæ politicæ appellantur cives, qui jus civitatis habent, & ſunt Magiſtratus politicus, cui jura majeſtatis inſunt; & Ephori quibus datur adminiſtratio Reipublicæ à populo cum Magiſtratu. Populus dicitur multitudo civium parere volentium. Hujuſmodi igitur Philoſophia præſtantior apparet medicina: quia in ipſa reſidet ſumma poteſtas Principis, cui jura majeſtatis inſunt: ex quo fit hæc ars reliquis præſtantior.

§. II.

Politica Sapientia præter Theologiam præfertur reliquis artibus.

REſolvendum primò; quòd Politica ad reliquas artes dignitate præfertur præter Theologiam.

Probatur à Canonherio: Nam politica eſt

eſt ſapientia, quæ ſummas dignitates conſtituit, ſummamq; poteſtatem Principis à qua oritur omnis nobilitas humana, ideoque univerſas familias illuſtrat; ob quod vocatur regia à Platone, à Vitruvio, & Ariſtotele dicitur Ars Princeps & Domina ſeu Architectonica; agit enim de rebus publicis, de Regibus, de Magiſtratibus, de majeſtate, juſtitia, bello, pace, legationibus, præmiis, fœderibus, exercitu, claſſe, hominum inſtitutione, conſervatione; omnia negotia peragit, omnium artium & ſcientiarum recipit patrocinium, omnem fortunam conſtanti animo ſuſtinet; ideo illius Profeſſores ad ampliſſimos honores & ſupremas dignitates aſcendunt; & ideo de hac ſapientia, *Daniel.* 12. *Qui docti fuerunt fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetua eternitate.* Ab hac ſapientia pendent Civitates, Reſpublicæ, Regna, Imperia, Litteræ & omnes diſciplinæ: ideo ſub habitu ſapientiæ præclariſſima eſt, & reliquis præclarior humanis artibus; quia circa præclariora verſatur, cum ſit ars pacis & belli, & ideo à naturæ lege orta, Dei ſapientiæ ſimillima; à Theologia inferior quantum & objectum.

§. III.

Affinitas Medicinæ Dogmaticæ cum Politica ſtatuitur.

Reſolvendum ſecundò: quod dogmatica medicina eſt magis affinis Politicæ quàm reliquæ ſcientiæ.

Probatur; tum primò ex parte originis, quia ſicut politica, ſummaque reliquorum poteſtas hominibus à Deo fuit condonata, ut poſſet Reſpublica gubernari; poſſent illius vitia corrigi, & contemperari; ſimiliter à Deo fuit dogmatica medicina hominibus condonata ex *lib. Eccleſ.* ut Microcoſmi poſſent contemperari vitia, morbi & ſymptomata; & homo poſſet contemperari, & in benignum ſtatum reduci: Tum quia Reipublicæ civilis varii ſunt Status, Ordines & Dignitates, ex quibus tota Reſpublica componitur: Sumuntur tanquam ex originali Republica ex corpore humano, ut demonſtrat Hieronymus Merola *libr. de Republ. origin.* Ex quo apparet medicinam quæ eſt ſcientia, quæ de corporis humani conſervatione agit, ſimillimam eſſe politicæ, quæ eſt ſcientia, quæ agit de conſervatione Reipublicæ civilis. Tum Canonherius probat ex eo, quòd politici circa Rempublicam conſervandam imitantur operationes medicorum circa corpus humanum. Nam munia ſuſtinent eorum; Nam ſicut medicus ita & politicus non ſolum indiget ſcientia, ſed longo uſu & experientia; ſicut Medicus ſi artem non exerceat apud ægros, non eſt peritus, ſic nec politicus, qui non exercuit Reipublicæ adminiſtrationem; ſicut Medicus plerumque membra debet corporis ſcindere, urere, ſic politicus vitioſos cives adurit, expellit & ſcindit; ſicut ignari Medici ægros perdunt, ſic Rempublicam ignari politici; ſicut Medicus initio facilius morbum pellit, ſic politicus populi tumultus; ſicut Medicus corpora ſana tantum contendit conſervare, ſic politicus quietam Rempublicam; ſicut Medicus, qui minus errat, præſtantior, ſic politicus, nulli enim accidit nunquam errare; ſicut Medici plerumque potius in reſtaurando ægro laborant, quam in morbis oppugnandis, ſic politicus in reſtaurandis Reipublicæ ruinis, quàm in debellandis inimicis; ſicut

ſicut Medici ex rebus quæ utiliores ſunt, meliores eligunt, ſic Politicus ex conſiliis variis, relictis noxiis, eligit utilia ; ſicut ſeniores Medici ſolent eſſe utiliores ad curandum, ſic ad gubernationem ſeniores Politici ; Sicut Medicus in ſummo periculo, periculoſa remedia exercet, ſic politicus in ſummo malo Reipublicæ ; ſicut nulla plerumque remedia proſunt pro aliquibus morbis à medicis exhibita, ſic nec aliqua vitia Reipublicæ coercentur à politicis ; ſicut Medicus conatur eſſe utilis omni generi gentium, ſic politicus; ſicut Medicus à graviſſimis morbis corrigit homines, ſic politici laborant in graviſſimis ſceleribus Reipublicæ ; ſicut Medicus qui cuncta peragit, quæ debentur pro curatione morbi, & ſi non curet illum, bonus habetur Medicus, ſic & politicus & Dux, qui debitè ſe gerit, & ſi non ſemper attingat finem intentum; ſicut Medici plerumque in conſultationibus falluntur, morbos graviores aut faciliores judicantes, quàm in ſe ſunt, ſic & politici judicantes in conſiliis Reipublicæ pericula graviora, aut leviora, quàm poſtea eveniunt; ſicut Medici ex Anatome ad rectè curandum cognoſcunt corporis humani partes, ſitus, magnitudinem & uſum & actiones, ſic politici debent cognoſcere locorum & regionum ſitum, magnitudinem, vires, & conſuetudines ; ſicut Medici tenentur præcavere morbos, ſic politici Reipublicæ damna ; ſicut Medicus dulcedine pharmaca præparat, ſic politicus Reipublicæ utilitatem induſtrioſa utilitate; ſicut Medicus variat auxilia pro varietate morborum & occaſionum, ſic politici pro temporum varietate immutant leges; ſicut ad agendum Medici deſumunt indicationem à viribus ægri, ſic politici à viribus Reipublicæ. ; ſicut Medicus contrariis curat viribus naturalibus, ſic politici vitia Reipublicæ curant contrariis viribus moralibus. Ex iis & aliis comprobat affinitatem medicinæ cum politica: Tum Agrippa apud Dionyſium Alicarnaſſeum *lib. 6. Antiquit. Roman.* Paulus Riccius *in orat. in rabiem immaniſſimam Turcarum.* Paulus Peruta *lib. 3. de perfectione vitæ politicæ.* Merola *lib. de Republ. originali.* Marcus Antonius Picſilius *de inſtruendo Principe*, Plutarchus *de doctrina Principum*, ex profeſſo demonſtrant Reipublicæ cum corpore humano ſimilitudinem: Demonſtrat idem, quod homo dicatur *Microcoſmos*, id eſt, *Mundus parvus.* Unde ii omnes deducunt proportionem Politicæ, quæ agit de Republica, ſeu mundo majori, & ejus conſervatione, & ſalute, cum medicina, quæ agit de mundo minori & ejus conſervatione, & ſanitate: demonſtrantque ſicut in homine, ſic in Republica per ſuas ætates ſtatum, & ſanitatem mutari, tandemq; conſeneſcere, & in naturalem interitum devenire ; quod demonſtravit interitus Imperii Medorum, Aſſyriorum, Macedonum, Perſarum, & Romanorum. Sic perière Hieroſolyma, Babylon, Troja, Numantia, Cartago, Tyrus, Thebæ, Ninive, Athenæ; & innumeræ aliæ Reſpublicæ, quas referunt Hiſtorici. Conſtans igitur ſit, medicinam dogmaticam affinem inter reliquas, ſimilem, & proximam eſſe politicæ ſcientiæ.

§. IV.

Solvitur dubitandi ratio primò adducta.

AD rationem dubitandi reſpondetur: quod cùm medicina dogmatica ſit inter

inter omnes ſcientias magis huic nobiliſſimæ ſcientiæ affinis, ut probavimus: ſicut hæc prævalet in dignitate, & præſtantia infra Theologiam; ſic medicina reliquis præſtantior debet haberi. Sicut enim Politica in majori mundo regit, & imperat, ſic in minori medicina: continetque ſub ſuo dominatu ipſos Imperatores, Reges, cunctoſq; politicos, dum hac eorum ſalus indiget in meliorem ſtatum reduci.

Nec obſtat, quòd ſui Profeſſores apud vulgus, non ita venerentur, ſicut Theologi, & Politici: hoc enim, ut tenet Merola, provenit; non quia medicina non ſervet ſuam præſtantiam; ſed quia Theologiam tuetur tribunal ſanctæ inquiſitionis; Politicam ſua tribunalia. Medicina autem nullum tutelar habet peculiare; nec tribunal ſuæ deſtinatum tutelæ. In Rebuſpublicis verò, in quibus ſunt medici, in earum magiſtratu medicinæ honor ab eiſdem conſervatur ſine vulgarium dicteriis in aliis Regnis communibus.

SECTIO III.

Pro defenſione objectionum in medicinæ præſtantiam.

MEDICINA nulla præſtantior ars; nulla fructuoſior; nulla utilior hominibus: ab eiſdem tamen, qui ejus beneficio ſanitatem ſunt conſequuti, & vitâ fruuntur, innumeris, & ipſa, & ſui profeſſores offenduntur dicteriis, & objurgationibus, ſcurrilibuſque oppugnationibus: à quorum dicacitate illam vendicare conabimur ſub hac Sectione. Objectionum verò, quæ in illam proferuntur, aliæ ſunt genericæ, & aliis etiam ſcientiis communes, ſcilicet; quod nihil ſcitur; vel quod ſunt vanæ. Specificæ ſunt in medicinàm variæ objectiones; diverſæque vel à foventibus illas, vel ratione fundamentorum.

RESOLVTIO I.

Vtrum obſtet medicinæ præſtantiæ, quod nihil ſcitur?

§. I.

Pars affirmativa & ſua fundamenta proponuntur.

CUM tota præſtantia medicinæ dogmaticæ ex eo fulciri videatur, quia eſt ſcientia à Deo communicata in ſubſidium & conſervationē ſalutis hominū; quæ docet ſcire media, per quæ hęc conſequantur. Si conſtet, nec per illam, nec per reliquas ſcientias aliquid ſciri, fruſtra videtur nos contendere de illius neceſſitate & præſtantia. Et quòd non ſit ſcientia; nec utilis, ut per illam poſſit aliquid ſciri, intendit probare Franciſcus Sanchez de omni ſcientia: Tum primò, quia Socrates omnium hominum ſapientiſſimus fuit judicatus oraculi decreto; qui tamen faſſus fuit hoc unum ſcire, ſe nihil ſcire: Ex quo apparet adhuc à ſapientioribus nihil ſciri poſſe. Tum ſecundo: quia ſi aliquid poſſet ſciri, præcipuè per ſuam definitionem: hæc autem nequit de aliquo haberi: nam ſi de homine v. g. illam habere contendas; dices, quod eſt animal rationale: dubito cur eſt animal? dicis, quia ſenſitivum: dubito, cur ſit ſenſitivum? dicis, quia ens, non eſt aliud per quod probes: ideo non concludis, quod ſit certa hominis aut alterius definitio.

finitio. Tum tertio : Omne ſciri debet adquiri per Logicam , quæ eſt inſtrumentum ſciendi, & adquirendi ſcientias: ejus tamen quæſtiones , vel ſunt opinabiles, vel erroneæ & inconſtantes ; quæ agunt de nominibus: quæ vel errorem ſuadent ; vel Sophiſticè contrarium proponunt, & concludunt. Tum quartò; ſi quid poſſet ſciri maximè per demonſtrationem, quæ nihil ſciendum concludit: nam datur per cauſas, quæ ſunt quatuor ; & in unoquoq; genere aliæ, quæ novam petunt diſputationem in illis comprobandis. Et ſi intendas comprobare per Syllogiſticas rationes, ac Logicas; & contendas demonſtrationem in hac aut illa figura concludere; iterum negatur , & nihil concluditur nec ſcitur. Tum quintò; quia ſi quid poſſet ſciri, maximè cognoſcendo illud per ſuas cauſas, quoniam illius ſunt cauſæ ; & cognoſcendo, quod aliter ſe habere non poſſit ; Sed in ipſis proceditur in infinitum: Ergo nihil cognoſcitur nec ſcitur. Tum ſextò: quia ſi quid poſſet ſciri, illud maximè , quod concluditur per demonſtrationem: Omnis autem demonſtratio concludit cum formidine , quia concludit ex præſuppoſita rei definitione, quæ, ut probavimus, nequit certa haberi : Ergo nihil ſcitur.

§. II.

Nihil derogatur de Medicinæ præſtantia ex eo quod aliqui nihil ſciri contendant.

PRobatur ex communi aſſenſu omnium profitentium ſcientias & Artes , per quas ſcientiæ Profeſſores ſciunt cognoſcere ſuum objectum , & illius paſſiones & proprietates , & Artifices ſciunt modum operandi in ſuis artibus , & efficiendi ſua artificiata. Tum conſtat omnes ſcire Deum eſſe : ſcimus etiam veritates, quas docuit, & docet fides , & ea quæ docuit Chriſtus Dominus tenenda , quæ docuerunt revelata Prophetæ , & Apoſtoli , quæ videmus à nobis , vel ab aliis fieri : Ergo aliquid ſcitur.

Probatur ſecundò. Quia ut tenet Divus Thomas 1. *p. q. 94. art.* 3. Sicut homo perfectè debuit à Deo produci completus in corporis perfectionibus, ſimiliter in perfectionibus animæ , quæ cum compleatur per intellectum, & illius actus imperfectus judicaretur , niſi compleretur ejus perfectio per ſcientias , per quas poſſet ſcire, & res cognoſcere, ideo infert , quod Adamo infuſę fuère omnes ſcientiæ naturales , in quibus aptus eſt inſtrui , quæ ab ipſo derivatæ in poſteros inſtruunt illos , ut circa ea poſſent ſcire , quæ demonſtrantur ab illis : ex quo conſtat, quod ſi nihil ſcitur, homo imperfectus eſſet creatus à Deo.

Probatur tertio, ratione demonſtrativa hujus veritatis in hoc dilemmate. *Quod nihil ſciatur*; Vel ſcitur, vel non ſcitur ; Si non ſcitur , nihil probat contra nos ; Si ſcitur , falſum eſt, quod nihil ſcitur , & ſicut illud ſcitur , poſſunt ſciri veritates, quas medicina , & aliæ ſcientiæ demonſtrant.

§. III.

Solvuntur Contrariorum fundamenta.

AD rationes oppoſitum probantes dicimus. Tum pro primo; quod Socrates omnium Sapientiſſimus fuit judicatus, non quia nihil ſciret, ut de ſe patet ; Sed quia dum ſapientiſſimus eſſet , ita Sapien-

tiæ

Digitized by Google

tiæ flagravit deſiderio, ut ſe nihil, aut quam minimum ſcire judicaret. Tum pro ſecundò; quod non eſt procedendum in infinitum in rerum cognitione, ſed devenimus in principia per ſe nota: quæ lumine naturali ſunt manifeſta, ut patet, quod homo ſit ens. Quia quodlibet eſt vel non eſt; & de ipſo conſtat habere eſſe, & quod ideò ſit ens: & quod ſit corporeum, cum habeat dimenſiones; quod ſit ſenſitivum, cum ſentiat, & tandem rationale, cum etiam ratiocinetur, quæ omnia ex principiis per ſe notis inferuntur. Pro tertiò; quod ſcientia adquiritur per Logicam non per partem ſophiſticam, quæ generat errorem; nec per partem ejus topicam, quæ generat opinionem: in iis enim ſunt propoſitiones erroneæ, & quæſtiones falſæ; Sed adquiritur per partem Logicæ, quæ in libris Poſteriorum docet, quomodo fiant demonſtrationes ex præmiſſis certis, & evidentibus, & quæ aliter ſe habere non poſſunt. Tum pro quarto; quod demonſtrationes dantur per principia per ſe nota, vel quæ tandem probantur per illa, quæ nequeunt negari, cum cognoſcantur lumine naturali, niſi ab irrationalibus: & ideò Ariſtoteles docet, contra negantes principia non eſſe arguendum: quia ipſos irrationales judicat: cum nec ratione convincantur, nec acquieſcant veritatibus, quæ lumine naturali percipiuntur. Tum pro quinto; quod ſicut cauſæ non ſunt infinitæ in eſſe entis, alias procederetur in infinitum, & non poſſet aliquid fieri: ſimiliter nec in eſſe ſcibilis infinitæ ſunt. Eædem enim ſunt cauſæ in eſſe entis, & in eſſe ſcibilis. Tum pro ſexto; ut diximus, quòd in definitione pervenimus ad principia per ſe nota, per quæ manifeſtè, & evidenter poteſt ſciri veritas definitionis.

RESOLVTIO II.

Vtrum vanitas Scientiarum, & artium obſtet medicinæ præſtantiæ?

§. I.

Pars affirmativa variis ſuadetur fundadamentis.

QUidam Author damnatus nuda fronte fatetur, omnes ſcientias & artes eſſe vanas, nullius præſtantiæ, & utilitatis. Tum primo; quia illarum Inventores fuerunt homines vitioſi, & fallaces. Tum ſecundo; quia omnes illæ ſuos Profeſſores reddunt deteriores: nam Grammatici fiunt perverſi: Poëtæ vaniloqui: Rhetorici galpones: Memoriographici oſtentatores: Dialectici litigioſi: Sophiſtæ perturbatores: Arithmetici Sortilegi: Muſici laſcivi: Saltatores impudici: Geometræ jactatores: Coſmographi erronei: Architecti pernicioſi: Nautæ Pyratæ: Aſtronomi fallaces: Magici flagitioſi: Phyyci ſomniatores: Metaphyſici portentoſi: Ethici moroſi: Politici iniqui: Principes Tyranni: Magiſtratus Oppreſſores: Oeconomici Prodigi: Mercatores falſi viri: Quæſtores Compellatores: Agricolæ Segnes: Paſtores Abigei: Milites prædones: Nobiles exactores: Pharmacapolæ venefici: Alchimiſtæ impoſtores: Juriſconſulti Verſipelles: Cauſidici mille ſcelerum protectores: Tabelliones falſarii: Judices venales: Medici occiſores: Tum tertio; quia eo quod fiat quiſque

quiſque maximus artifex, & doctisſimus ſit author malarum rerum, & pernicioſisſimus: & ſi ſit ſtultus, nihil eſt illo inſolentius: tuetur enim illum in ſua ſtultitia doctrinæ authoritas; habetque literarum inſtrumenta, quibus ſuam defendit amentiam. Ex quibus ſubſequi videtur, nec medicinam, nec reliquas ſcientias, & artes aliquam nanciſci præſtantiam: quod comprobare contendit, in illas per plura capita diſſeminans Plures ſcurrilitates:

Secundo evomit ſpecialiter in medicinam.

Tùm primo; quod eſt inconſtans, & quod ſunt variæ ſectæ ſub illa: Tùm ſecundo; quòd ſit Ars difficilis, & potius venefica, quam benefica: Tum tertio; quod pro medico habetur, quicunque aſſerat profiteri medicinam, dum uſurpet pompoſam veſtem; Vel ſit illi patria remota, falſa religio, aut ſit Iudæus, aut maranus; ſit Pertinax, aut contentioſus; ſit barbatus, aut varia proferat nomina. Tum quartò; quia medici varias in ægros oſtentant actiones, varios remediorum uſus, vultus diverſos, & prædicunt eventus varios. Tum quinto; quia medicina adſcribitur Marti: qui odioſisſimos reddit medicos, & authores ingratitudinis, & ſi Mars Scorpioni jungitur, illos reddit malorum morum. Tum ſexto; quia Æſculapius medicinæ Author ob avaritiam obiit obrutus fulmine à Jove. Tùm ſeptimò; quia medici ſunt loquaces, & medicus loquax eſt ægroto alter morbus. Ex quibus apparet; nec utilem, nec præſtantiorem poſſe judicari medicinam.

Tertio irruit in medicinæ utilitates.

Contenditque nullam ab illa opem ferri ægrotis; nec utilitatem pro morbis curandis. Tùm Primo: quia omnis ſanitas ſoli debetur Deo. Tùm ſecundo; quia uſus Medicorum obſtat ſanitati conſequendæ. Aſſa enim Rex Juda corripitur à Propheta: quia confiſus eſt in arte medicorum. Tùm tertio: quia & ſi medicus cunctas cognoſcat rerum virtutes, nequit ægrum ſine Deo curare. Ex quo infertur medicinam eſſe inutilem, & nullius præſtantiæ.

Quarto opponit contra medicinæ præſtantiam.

Quod plures fuerint medici ſceleratisſimi, & qui conati ſunt mortes inferre: ideò Cato medicos contendebat expellere à Populo Romano; quia inſidias ponebant in Cives. Timocaris, ſive Nicias Pirrhi medicus Fabricio promiſit illius necem. Eudemus nobilitatus fuit adulterio Meſſaniſſæ, & alii plurimi in iis ſceleribus notantur.

§. II.

Nec medicinæ nec artium præſtantiæ derogatur per has nugas.

Reſolvendum; quod impius hic Author per ſuas nugas, & ſcurrilitates nihil imminuit de præſtantia medicinæ, & reliquarum artium.

Probatur; Tùm quia liber inſcriptus *de vanitate ſcientiarum*, & alii libri ab eodem Authore ſcripti ex Eccleſiaſtica cenſura damnati ſunt, ex quo refringitur innatus illius conatus in ſcientiis, & artibus notandis & exterminandis, & convincitur ipſas ſub ſuo honore tueri liberas ab ejus injuriis, dicacitate, ſcurrilibus dicteriis, & impiis

impiis propoſitionibus. Tum quia infelix iſte ſcriptor ſe oſtentat irriſorem Dei, qui ſcientias, ut probavimus ex D. Thoma creavit in complementum animæ tanquam divinus & perfectus hominis Artifex, illum in complementum deducens. Unde contendere ipſas eſſe vanas impietatem involvit, cogitans; quod Deus aliquid feciſſet, quod non eſſet bonum, & quod complementum animæ, & Intellectus in homine eſſet quædam vanitas. Tum quia Summus Deus tanquam ſummum donum omnes ſcientias & artes condonavit Salomoni, & medicinam, cum qua cognovit rerum omnium virtutes, & proprietates à Cedro Libani uſque ad hyſopum, quæ ſi eſſent vanæ, vanum donum diceretur à Deo condonatum. Tum quia ſumma eſt vanitas hujus Authoris, dum contendit ſolus inanes & vanas eſſe ſcientias contra conſenſum omnium ſapientium & inſipientium, qui uſque adhuc præceſſerunt, & contra experientiam, & communes utilitates ex illis receptas, ſine quibus tanquam bruta homines vitam peragerent. Tum quia nullam ſuæ vanitatis rationem adducit; ſed ſcurrilibus dicteriis, & facetiis, totum adimplet librum: Tum quia medicinam maximè oppugnat: quia cum dæmoni fuerit emancipatus, ipſam tanquam hominis auxiliatricem, & illius vitæ conſervatricem quam maximè odit. Tum quia impius iſte Author ideò maximè librum de ſcientiarum vanitate conſcripſit, ut ſub hoc velamine in Catholicam Religionem, in Clericos, & Religioſos, in Inquiſitores ſummam poteſtatem, & fidei miniſtros impias & fallaces vomeret inſanias, & erroneas propoſitiones, ergo illius dicacitates nihil poſſunt auferre de præſtantia medicinæ, & aliarum ſcientiarum & artium.

§. III.

Solvuntur objectiones primò propoſitæ.

Ad primum reſpondetur pro primo: quod ſcientiarum Inventor ſtetit Summus Deus, ut probavimus, & homines ejus adjuvamine artes invenerunt, quarum utilitates apparent ex ſuis effectibus, non dependent ex ſuis Inventoribus. Tum pro ſecundò; quod nec ſcientiarum, nec artium profeſſores omnes ſunt deteriores; nec ideò quod aliqui tales fiant, Artes, aut ſcientiæ fiunt vanæ, quia ipſe ex ſuis objectis, finibus, vel utilitatibus ſumunt bonitatem. Profeſſores non ab illis ſed à ſua malitia deteriores redduntur. Tum pro tertio; Quod Artifices præſtantiores minus pernicioſi fiunt, qui magis ſuis artibus intenti minus ſe immiſcent vitiis; nec ſuperbi ſunt: ſed ſuarum artium æſtimatores & magiſtri, ſi qui tamen ſuperent in aliquo vitio, arti nihil ex hoc tribuitur, ſed artifici.

Ad ſecundum reſpondetur: Tum pro primo; quod cum medicina dogmatica ſit ſcientia, eſt certa, evidens, & immutabilis, ac neceſſaria. Suæ ſectæ; quæ illius ſunt Hæreſes mutabiles ſunt, & nullis inſiſtentes principiis. Tum pro ſecundo; quod demonſtravimus, quod à Deo fuit hominibus condonata in ſubſidium ſalutis eorum tanquam benefica, utilis, & neceſſaria. Tum pro tertiò; quod falſa electio vulgarium, qui eligunt pro medicis impoſtores, & eos, qui perſonam medici agunt, ipſis obſtat; & non medicinæ dogmaticæ præſtantiæ. Tum pro quarto: quod variæ actiones, vultus, remediorum uſus

uſus in variis eventibus, morbis, & accidentibus; vel ex variis Medicorum conditionibus nihil imponit in medicinam ipſam, ſicut nec in aliis ſcientiis, & artibus. Tum pro quinto; quod ſtultum eſt fundamentum, quod quia medicina Marti, aut Scorpioni adſcribatur profitentiū actiones debeant fieri ſine libertate, & mores eorum debeant inverti: redolet enim hæc doctrina impietatem Aponenſis, qui à vera Religione, tandem diſceſſit, ut *infrà* dicemus. Tum pro ſexto: quod Deus fuit medicinæ Inventor, & Æſculapius creditur ictu occiſus à Jove; quia per illum homines ferè ſuſcitabat, ob quod in odium Deorum incidiſſe fabulantur Poetæ. Tum pro ſeptimò; quod loquacitas medici illius arguit vitium, non artis, quæ illam ſcientiam docet non abuſum.

Ad tertium reſpondetur: Tum pro primo; quod omnis ſanitas debetur Deo tanquam cauſæ primæ, ſicut omnes aliæ operationes; medicinæ verò tanquam cauſæ ſecundæ. Tum pro ſecundo; quod Aſſa Rex Juda reprehenditur à Propheta, non quia uſus ſit ope Medicorum; ſed quia oblitus ſit recurrendi ad Deum tanquam ad primam, & præcipuam cauſam ſanitatis. Tum pro tertio; quod cum & cauſa prima, & ſecunda debeant concurrere, nequit Medicus cum virtutibus cauſarum ſecundarum conſequi ſanitatem ſine Deo concurrente, ut cauſa prima, cum quo ſe accommodat ad operandum.

Ad quartum reſpondetur cum Plinio; quod hominum ſcelera vitia ſunt hominis non artis, ſub quacunque ſcelerari ſunt homines: ſciētia tamē ſeu ars aliunde ut diximus ſuam conſequitur præſtantiam, & utilitatem: quam confert hominibus.

RESOLVTIO III.

Vtrum de jure communi liceat Clericis exercere medicinam, & hoc deroget illius præſtantiæ aliquid?

§. I.

Non licere probatur ex aliquibus Juris fundamentis.

Videtur; quod Medicus in Sacris conſtitutus, & ad ordines Presbyteratus promotus, communi jure arceatur à medicinæ exercitio; quod apparet obſtare ejus præſtantiæ, cui favet.

Primò negotium ſæculare prohibetur Clericis, ut tenet Panormitanus, & docet D. Paulus 2. *ad Timot.* & Concil. Trident. *cap.* 1. *de reformat. cap. ne Clerici vel Monachi.* Apizcueta, *tom.* 1. *Concil. lib.* 3. *tit. ult.* Sed exercere medicinam, eſt negotium ſæculare; Ergo jure prohibetur medicis, ne Clerici ſint.

Secundo prohibetur ſtudium medicinæ Clericis, ut tenet Panormitan. *in cap.* 9. *ſent. ſanguinis ne Clerici, vel Monachi, in cap.* 3. *non magnoperè, in cap.* 10. *ſuper ſpecula*: Igitur & potius illis prohibetur medicinæ exercitium.

Tertio eadem eſt prohibitio audiendi Phyſicam, Medicinam, & legum prudentiam ex *cap.* 3. *non magnopere*, & *cap. ſuper ſpecula*; Sed Clerici nequeunt exercere legum profesſionem ex *cap* 1. *ne Clerici vel Monachi*, ergo nec medicinam exercere.

Quarto, ut tenet Sylveſter *in ſumma, verbo Medicus*; Si æger moriatur, Medicus peritus curans ipſum manet irregularis: Ergo nequit exercere medicinam.

Quinto

Quinto. Si ex jure communi liceret Clerico exercere medicinam, fruſtra indigeret impetrare licentiam à Pontifice, ut colligitur ex *l. un. C. de theſaur. l. 11. l. 9.* Sed omnes Clerici ut exerceant medicinam, debent obtinere licentiam: Ergo non licet illis de jure communi uti exercitio.

§. II.

Ex Jure communi quid permittitur Clericis Medicis?

Reſolvendum; quod artis medicæ exercitium permittitur Clericis medicis de jure communi, & neminem reddit irregularem; ſi artifex ſit peritus, ſollicitus, & ſcientificus, nec impeditur ab illo promoveri ad ſacros ordines ob medicinæ præſtantiam.

Probatur, & confirmatur à Tiraquello, *lib. de nobilit. cap. 15. n. 406.* Cujus in comprobationem hujus doctrinæ adducemus verba. *Quid inquam maximos honores huic arti delatos iterum inculcem? quibus ut opinor perſuaſus Lucianus in medico abdicato, ſcripſit medendi artem cæteris eſſe honoratiorem; ut non immeritò Tullius lib. 1. Officior. eam cooptarit artibus honeſtis quibus prudentia major ineſt; aut non mediocris utilitas quæritur: Et Seneca epiſtola ad Lucillum, repoſuerit inter artes liberaliſſimas. Et Plutarchus in lib de tuenda bona valetudine, eam ſic eſſe de numero diſciplinarum ut politie, ſplendore, jucunditate nulli ſit inferior.* Præterea cum artes ſordidæ, & non honeſtæ ſint etiam clericis ſimplicibus interdictæ, ut *in cap. 1. de vita & honeſtate Cleric. lib. 6.* & late voluit Spec. *in tit. de Cleric. conjug. §. 1. verſ. ſed quam dices honeſtam.* Certè poſſunt medici non ad ſimplicem modo Clericatum; ſed & Sacerdotium per *text. in cap. ad aures*, & ibi Gloſſ. & Doctores *de ætate, & qual.* & voluit Gloſſ. *in cap. ſi quis à medicis 50.* Et ideo etiam medicus eſt capax nominationis ad beneficia, tam ex Pragm. Sanctione *tit. de Col. cap. 1. §. inſuper* quam ex pactis inter Papam & Regem noſtrum invictiſſimum, *in tit. de elect. verſ. tempus autem competens.* Poſſunt item jam promoti ad clericatum ſimplicem aut alios infra ſacros ordines medicinam quamcumque exercere præter Chirurgicam, & ipſam ſacris ordinibus tantum interdictam per *cap. ſent. ne Clerici, vel Monachi.* Et ideò argumento à contrario ſenſu poteſt illis videri conceſſum aliud medicinæ genus, maximè cum alibi prohibitum non reperiatur, ut dicit Panormitan, ibi *col. ult.* At Sacerdotibus ob id ejus artis in univerſum exercitium videtur interdictum, quod illi illius ſtudio vacare prohibentur per text. *in cap. ult. eo tit. lib. 6.* Nam ex quo prohibetur ſtudium, videtur & exercitium quoque ſatis prohibitum, argumento, *l. oratio ff. de ſponſa.* & *cap. tua de Procurat.* Cum quid, & ibi notat per Joann. Andr. *de reg. jur. lib. 6.* Sed id non eſt, quod ea ars ſit minimè honeſta, quia ſi eſſet hujuſmodi æque interdiceretur Clericis ſimplicibus ac Sacerdotibus, ut dictum eſt: Sed ea ratione ne ſtudio medicinæ occupati relinquant ſtudium Theologiæ, neve ſi Religioſi ſint exeant clauſtra, ut inde non magnopere, & *cap. ult. ne Clerici vel Monachi.*

Probatur ſecundò, ex Triſtan Valentin. *lib. de Cler. medic. ex text. in cap. 7. ad aures de ætate & qualit.* Tum ex eo quod in toto jure non eſt prohibitum Medicinæ exercitium Clericis, nec Presbyteris, ut tenet Abbas Panormitanus, *in cap. 9. ſent. ſang.*

ne Cler. vel Monach. num. 22. & Covarr. *in 2. p. relect. Clem. furioſus* §. 1. *num.* 2. Apizcueta *lib.* 3. *Conſil.tit.de Cleric. vel Monach. Conſ.* 3. *& in manual. conſ. c.* 25. *de ſtat.Cler. quoad ordines num. ult.* Tum quia ubi lex deficit, doctorum opinio ſervanda pro lege, ut patet ex text. *in l.* 11. *ſi idem cum eodem ff. de Juriſdict. omnium Judic.* & tenet Oſtienſ. *in cap.* 4. *inquirendum de ſpecul. cleric.* Tum non impedit *cap. non præcipuè*, & *cap. ſuper ſpecul.* quæ interdicunt Clericos audire medicinam: interdicitur enim hoc Clericis, & Monachis, ne ſe intermiſceant ſæcularibus: non tamen quia ſi jam ſcientifici ſunt, medicinam exerceant, ut ergo nec jus commune inhoneſtum judicat medicinæ exercitum, nec illud in Clericis prohibet: nec quid medicinæ præſtantiæ ex hoc quidquam derogatur.

Probatur tertio, nec de jure divino medicinæ exercitium prohibetur Clericis imò exemplis divinis conſulitur tanquam ſummum pietatis munus, Deus enim tanquam cauſa prima concurrit cum medicis ad morborũ curationes, non ſolùm quoad entitates illarum; ſed quoad formalitatem curandi. Tum quia Chriſtus Dominus Summus Sacerdos legis gratiæ non ſolum ægros curavit verbo, ſed exercitio & opere plurimos ſanavit, & lutum cum ſaliva conficiendo oculis remedium applicavit. Tum quia Apoſtoli ſupremi Sacerdotes ſuper ægros manus imponendo exercebant medicinam, & innumeros curarunt ægros. Tum quia ex Eccleſiæ Præcepto Clerici ſanitatem ægrorum intendunt, præcipuè in Energumenis utuntur variis remediis ultra divina verba. Ergo nec ex jure divino prohibetur medicinæ exercitium ſacerdotibus.

Probatur quartò. Si ob aliquid poſſet in Clericis videri inhoneſtum exercitium medicinæ, maximè quia medici ad ſacros ordines conſequendos à Pontifice licentiam obtinent. Sed hæc non obtinetur, quia indecens ſit exercitium curandi. Sed tanquam præcautori irregularitatis, quæ poſſet timeri in inertia, aut incuria medici Clerici curantis. Ergo ex hoc nihil auſertur de medicinæ præſtantia.

§. III.

Solvuntur fundamenta in principio poſita.

AD primum reſpondetur, quod exercere medicinam non eſt negotium ſæculare merè; ſed in quo intervenit charitas, & fraternalis neceſſitas, à quo non prohiberi debet Clericus ex text. *in cap.* 1. *de poſtulat.* & ex Divo paulo *ad Rom. cap.* 16. §. *aſſiſtatis ei in quocunque negotio veſtro indiguerit:* Loquitur de Corinthiis, quibus in negotio ſæculari favet Religionis cauſa.

Ad ſecundum quod Clericis, & Monachis interdicitur ſtudium, ne ſe immiſceat ſæcularibus, vel ne medici avertantur à Theologiæ ſtudiis, non ratione exercitii: animus enim Legiſlatoris debet attendi, *libr.* 11. *C. Sybillianum lib.* 1. *C. de novo C. facult.*

Ad tertium reſpondetur; quod interdicitur legum Profeſſoribus exercitium ſi fiant Sacerdotes, non medicis, quia illi nequeunt alterum defendere, ſine odio & contradictione alterius quod in ſuo exercitio conſequuntur medici.

Ad quartum reſpondetur: Quod, ut tenet Covarruv. 2. *p. relect. Clem. ſi furioſus.* Non imputatur mors medico, ſi ſit peritus in arte, *l. illicitas* §. *ſicut ff. de Offic. Præſid.* & *l.* 1. §.

l. 1. §. *Sed cum ſit neceſſarium. C. conf.* & ſi medicus monuerit ægros, ut caveant à noxiis & exequantur utilia, & ex *cap. Tua nos de homicid.* & ſi aſſiſtat prout opus fuerit, ut tenet Apizcueta, & quia poteſt in iis deficere ob inertiam, impetrat licentiam Pontificis ad curandum, & præcautoriam irregularitatis curam.

Ad quintum patet ex dictis nuper, & ex ultima comprobatione Reſolutionis.

RESOLVTIO VI.

Vtrum poetæ profani ſuis dicacitatibus imminuant medicinæ præſtantiam?

§. I.

Proponuntur poetarum in Medicos dicacitates.

POëtæ ſuo inſano furore commoti præcipuè Comici, qui mancipia ſunt hiſtrionum à quibus ſuum tenuem victum ſcurrilitatibus emunt, in omnes fiunt contumelioſi; ſed quàm maximè in medicinæ Profeſſores, in quos in omni ætate inſanierunt: Suarum procacitatum meminere plures; præcipuè congeſſit aliqua Tiraquellus, quæ videntur obſtare medicinæ præſtantiæ. Tum primò, Ariſtophanes *in Plut.* quaſi ſordidum notat Æſculapium, qui credebatur inventor medicinæ.

Igitur agreſtem tu mihi narras Deum
Non per Jovem: Sed Scatophagon.

Tum ſecundò, Lucillus Græco Epigrammate in Alconem profert:

Alcon externo ſignum Iovis attigit ille,
Quamvis marmoreū: vim patitur medici.
Ecce hodie juſſus transferri ex æde vetuſta
Effertur, quamvis ſit Deus, atq; lapis.

Tum tertiò, Martialis per plura carmina effutit in Medicos:

Uxorem Charideme tuam ſcis ipſe, finiſq;
A Medico futui: vis ſine febre mori?

Et alibi:

Chirurgus fuerat nunc eſt veſpillo Draulus,
Cœpit, quo poterat Climacus eſſe modo.

Et alibi:

Lotus nobiſcum eſt, hilaris cœnavit & idem
Inventus mane eſt mortuus Andragoras.
Tam ſubitæ mortis cauſam Fauſtine requiris;
In ſomnis Medicum viderat Hermocratē.

Tum quartò Virgilius *lib.* 4. *Æneid.*

Scire poteſtates herbarum, uſumq; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Tum quintò Mantuanus, *Egloga* 6.

Sunt & equeſtre genus Medici, qui tangere venas
Nunquam illicitas audent, & ponere quadam
Non intellectis temeraria nomina morbis,
Excruciandi ægros, hominesq; impune necandi.

Tum ſextò Auſonius nullius opis medicinam vult:

Evaſit fati ope, non Medici.

Tum ſeptimò Menander Medicos cogreſſus oppugnat.

Multorum Medicorum ingreſſus me perdidit.

Plurima alia carmina in Medicos & Juris Profeſſores adducit Canonherius quæ Juniorum ſunt ludibria: pro quibus ſatisfaciemus ex dictis.

§. II.

Præſtantia Medicinæ tuetur à Poetarum dicteriis.

RESolvendum: quod Poëtæ profani ſunt incapaces minuendi præſtantiam medi-

medicinæ, & cujuſq; alterius ſcientiæ. Probatur à quodam Juniori. Tum quia Poëſis eſt ars non in aliud inventa, niſi ut laſcivientibus rhythmis, ſyllabarum numeris, nominum inani ſtrepitu ſtultorum hominum aures demulceat. Tum poëta Artifex eſt mendaciorum, & cultor perverſorũ dogmatum: poëſis eſt nata ad furorem, temulentiam, impudentiam, audaciam, cum quibus mentita eſt Veneris partus, Titanum pugnam, Jovis incunabula, Rheæ fraudes, Japidis ſuppoſitiones, Saturni vincula, Gigantum rebellionem, Promethei furtum, Deli errores, Latonæ labores, hominum ex lapidibus ortum, Junonis dolium, Semelis conflagrationem, Bacchi ſtirpem; & plura de Minoe, Cadmo, Niobe, Pentheo, Antheo, Oedipode, de Io mutata in vaccã; de Argo, ejus cuſtode; & infinitis aliis apud Horatium recenſitis. Tum quia Poëtæ debent annumerari inter lenones; habereq; inter ipſos principatum; quia ſuis laſcivis rhythmis & fabulis, ac amatoriis buccolicis, epiſtolis, & præceptiunculis, & ex penitiſſimis Veneris armariis depromptis carminibus, lenocinio cuncti pudicitiam omnem ſubvertunt, & adoleſcentiæ bonam indolem, moreſq; corrumpunt. Tum quia poëtæ apud priſcos Romanos probro habebantur. Gellius & Cato poëtas damnarunt tanquam publicæ honeſtatis inverſores, & aggreſſores. Tum Cicero refert condemnatum fuiſſe Fulvium Ætoliæ proconſulem, quia ſecum contulerat poëtam Ennium. Tum quia Juſtinianus nulla immunitate dignos judicavit Poëtas. Tum quia aliquæ nationes Græciæ tanquam inſanos homines expulerunt à ſua Republica. Tum quia notatur poëſis tanquam mendax, cui ſtudium eſt nihil ſani dicere, tanquam ſtultorum aurium cantilena, de qua Campanus poëta:

Vivunt carmine inſani Poëtæ,
Si nugas adimas fame peribunt,
Iis mendacia ſunt opes & aurum:
Fingunt quæq; volunt, putantque
Palmam mentiri bene glorioſiorem.

Ergò poëtæ ſunt incapaces minuendi præſtantiam medicinæ, alteriuſve ſcientiæ.

§. III.

Solvuntur Poëtarum dicteria in Medicos.

AD primum dicterium ex Ariſtophane quod Æſculapius ſit Scatophagon, quo nomine vult intelligi medicinæ Profeſſores, ut Tiraquellus comprobat ex Eraſmo, Cælio Rodiginio, Codro, & aliis reſpondet Francus plura, primo accuſando impietatem Ariſtophanis, qui Æſculapiũ, quem venerabatur ut Deum, vocat Scatophagon, quem ideo Talentonius parvipendendum tanquam impium tenuit. Peregrinus contendit, quod per Scatophagon non tam reprehendit ſub nomine Æſculapii medicos, quam aliquos ægros in ſui ſalutem utentes ſordidis rebus. Alii hoc opprobrium non in medicos dictos, qui nondum erant tempore Ariſtophanis, qui præceſſit ante Hippocratem per annos centum; ſed contra Chirurgos, qui ſuo tempore pro curationibus vigebant. Ego verò judico, quod cùm Ariſtophanes fuerit Comicus, & ideò Scurra vulgarium, tanquam Comicus rejiciendus, ſicut fecit Socrates, de quo cum in Comœdiis immiſceret in illum facetias, vilipendens dixit: *Non per Jovem egrè fero, ſi in theatro perinde ut in magno convivio, ſalibus mordeat*; Tanquam vinolentum & ſcurram reliquit illum. Tum

pro

pro ſecundo ; quod ex eo quod Alconis ignorantiam Lucillus notet, non ideo medicinæ præſtantiam obſcurat, omnis ſcientia habet ignorantes. Tum pro tertio idem pro carminibus Martialis dicimus, quod vitia aut ignorantiam profeſſorum reprehendit, non agit de ipſa ſcientia: omnes enim deperderent de ſuo honore, ſi illis eſſent imputanda vitia, aut ignorantia ſuorum profeſſorum. Tum pro quarto, Francus plures adducit Authorum ſolutiones; Servius tenet quod Virgilius vocat mutam & ingloriam medicinam comparativè ad Auguratri[cem] & Muſicam; quarum altera maximo honore colebatur, altera ſonora eſt, non tamen abſolute. Mercurialis tenet [m]utam vocari medicinam, quia tota illa [a]d operationem, non ad ſermones tendit. [V]alentonius tenet, vocari mutam & in[g]loriam medicinam, non quia ignominio[ſa], ſed quia obſcura & fere imperceptibilis. [Al]iter Cerda dicit, quod Virgilius loquitur [de] medicina Empyrica, ex quo nihil ſequi[tu]r contra præſtantiam medicinæ dogma[tica]e, Francus tenet, quod Virgilius mutam [dix]it, non ut illi convitium faceret, ſed ut [do]ceret, quod illa non ſemper aſſequitur [opt]atum finem: & tunc manet ſcientia hęc [mut]a, & ingloria, quod confirmat ex Pe[tr]i Fauſtini carminibus.

[...]ceris, & poſtquam quidquid juvet ipſa
medendi
[...]rma, niſi valeat, ſubitoque revixerit
æger,
[...]urmurat inſipiens vulgus, linguaque lo-
quaci
[...]quitur de te, convitia talia jactari.
[...] mihi quam ſtultum eſt Medicorum
[c]redere nugis.

Ego verò dico: Virgilium, mutam & ingloriam vocare medicinam; quia licet ut probavimus, reliquarum artium ſit præſtantiſſima, illorum Profeſſores non pro merito laudantur, etiamſi recte illam exerceant, & cum in eis, quæ recte operatur, non laudetur ab eis, qui opem recipiunt, ipſa medicina quaſi muta & ingloria apparet, ſuis debitis deſtituta laudibus, quod non defectu medicinæ; ſed ingratitudine ægrorum provenire docet Democritus epiſtola ad Hippocratem dicens: *In Arte tua multa per invidiam, aut ingratitudinem ægrorum affici contumelia ſuſpicor, qui ſimul ut ſervati ſunt, cauſam diis, fortunæ, vel ſuæ naturæ tribuunt, ſicque benemerentem odio proſequuntur, & ſi et operam debeant parum abeſt quin indignentur.* En cauſam, ob quam licet præſtantiſſima ſit medicina, muta & ingloria manet apud eos, à quibus deberet illius fama intendi, & illius gloria celebrari.

Tum quintò, quod Mantuanus malum operantium uſum non dogmaticam medicinam damnat.

Tum pro ſexto; quod Auſonius ſequitur vulgarem opinionem fati, ejus falſitatem ſupra demonſtravimus.

Tum pro ſeptimo; quòd Menander vel plurium Medicorum congreſſus damnat, vel plurium deformes opiniones, & rixas condemnat, nihil in medicinæ præſtantiam proponens.

***

RESO-

RESOLVTIO V.

Vtrum, quæ ſolent objici in Medicos à juris profeſſoribus, minuant medicinæ præſtantiam?

§. I.

Profeſſores juris & aliarum Artium, ut minuant Medicinæ præſtantiam, aliquas illi opponunt objectiones, dicteria & ſcurrilitates, quæ à vulgaribus receptæ videntur medicinæ imminuere præſtantiam.

PRimò: Quoniam antiquitus ſervi tantum exercebant medicinam, ut ſupra probavimus, & *l.* 3. §. 1. *C. Comm. de fideicomm. & leg. & l.* 1. §. 5. *verſ. Sin autem, C. de comm. ſerv. manumiſſ.* Cum Notarios quinquaginta ſolidis æſtimari velimus; Medicos autem & obſtetrices ſexaginta, ubi Medici æquiparantur obſtetricibus, *ex textu, nihil ambitioſa, ff. de hered. ab origin. fact. & ex l.* 1. *C, de Decret. ex jure, libr.* 10. conantur deducere, quod medicina eſt ars mechanica, & ideò ignobilis.

Secundo opponunt, quod Medici, ut diximus agunt de excrementis, lotio, ſudore, fæcibus, menſtruis, pure, & aliis immundis rebus, ex quibus videtur imminui præſtantia medicinæ, & ſuorum Profeſſorum.

Tertiò, Pogius & alii citati à Tiraquello facetias plures in medicos proponunt, ex quibus videtur imminui medicinæ ſplendor.

Quartò opponunt cum Fabro *deciſ.* 9. quod medicus debet pro ignobili cenſeri; Ergo & medicinæ honor imminui.

§. II.

Nulla facetia, nullæ dicacitates aut conatus reliquorum Profeſſorum valent imminuere præſtantiam Medicinæ.

PRobatur primò à priori. Honor medicinæ & ſuorum Profeſſorum pendet à legibus, quæ variis privilegiis & honoribus illam ex Imperatorum & Regum decretis condecorarunt prout ſcientia eſt; prout medicina eſt; & prout per Doctoratus gradus poſſunt ſui Profeſſores nobiles fieri, ut ſupra demonſtravimus: Sed Juris profeſſores, & reliqui Detractores, nequeunt leges & decreta Principum annullare, imminuere, nec mutare, nec legum authoritatem derogare: ergo nec nobilitatem & privilegia per leges ſancita medicinæ, nec illius præſtantiam imminuere.

Probatur ſecundò. Si ob aliquid poſſet imminui medicinæ præſtantia, maximè quia plura dicteria illi opponunt Juris profeſſores, & profeſſores reliquarum artium; Sed hæc nihil imminuunt de medicinæ præſtantia. Ergo hæc ab illis non poteſt imminui.

Probatur minor; plura ſunt quæ Juris profeſſoribus, & reliquarum ſcientiarum profeſſoribus ſolent opponi; ipſi tamen ex hoc honorem ſuarum artium non imminui contendunt. Ergo nec ob eorum dicacitates imminuitur præſtantia medicinæ.

Probatur major primò de Grammatica, & ejus Profeſſoribus, quibus opponitur, quod ſunt inutiles, quia tempus conterunt in humili exercitio, in literis, ſyllabis, dictionibus, punctis, & ideò refert Suetonius

nius ut inutiles fuiſſe expulſos ab urbe Romana, detinentur enim circa literarum mutationes, aut ſyllabarum terminationes, inter ſe, in parvulis digladiantur: Ariſtarchus & Palæmon, in adverbiis, & interjectionibus enumerandis defeſſi ſunt, in pronominibus Priſcianus, Diomedes, Focas, & alii in duplicanda litera *SS.* quos irridet Lucianus, & Andreas Salernitanus: etiam poſſet irrideri Meſſala, qui pro unaquaque litera unum conſcripſit librum: Hoc etiam notatur in Grammaticis vitium, quod ſe ipſos infamare conantur. Beroaldus notat Servium, quia minimis fuit intentus: Lucilius Aſinium Pollionem, quia Latinis immiſcuit Sabinas voces. Pollio reprehendit Livium, quia voces commiſcuit Paduanas: Palæmon Varronem; Quintilianus Senecam: Valla omnes Anteceſſores mordicus reprehendunt, & omnes rumidi antiquiores carpunt, Platoni objiciunt, quod inordinatè loquitur; Virgilio, quod à Theorico & Homero carmina furatus fuit; Marco Tullio, quod loquitur confuſo numero; *Salluſtio*, quod nimis affectat; Terentio, quod à Labeone ſua deſumpſit opera; Plinio quod ſit Mendax; Ovidio, quod nimiam ſui oſtentat fiduciam. Hæc & alia opponuntur Grammaticis.

Præterea Rhetoricæ opponitur: quòd Iſocrates in Platone demonſtat, quòd non eſt Ars, nec Scientia, ſed quædam vafritia; nec honeſta, nec honorifica, ſed verecundiæ plena, & ſervilis ignorantiæ; & ideò fuit rejecta à Lacedæmoniis, qui judicabant loquendum eſſe ex generoſitate animi, non ex arte. Apud Romanos valde ſuſpecti ob illam fuere illius Profeſſores. Archidamus victus à Pericle, dicitur per Rhetoricam loquutum fuiſſe quaſi eſſet victor. Plinius aſſerit, quod loquens Carneades obſcurabat veritatem & juſtitiam. Euripides Rhetoricam Tyrannidem eſſe dicebat; Caſſius Brutus, Gracchus ſua Rhetorica injuſtè populum concitarunt; Cicero ſui & Reipublicæ, per ſuam Rethoricam aſſequutus fuit exitium. Cato adeptus eſt à Senatu, ne audirent apud populum Critolaum & Diogenem Athenienſium Legatos, ne ſimul illum ſuaderent juſtum & injuſtum; Romani bis ab urbe ejecerunt Rhetoricos Athenienſes, in Judicio ipſos orare prohibebant; ne impedirent Juſtitiam, Lacedæmonii ab urbe ejecerunt Timagoram; quia gloriabatur, de qualibet re poſſe orare per integrum diem: ex quo apparet ſumma hujus artis pernicies.

Præterea opponitur Logicæ: Quod Averroes *lib. de Cælo Comm.* 75. D. Auguſt. *de doctr. Chriſt.* D. Hieron. ad Donatum Logicos tenent tanquam Sophiſtas aſpernandos, utuntur enim ſæpe falſis principiis, & ex æquivocis falſas inferunt propoſitiones nec ſolum docent demonſtrare veritatem, ſed ex probabilibus principiis opinabiles res tanquam certas conantur concludere.

Præterea Arithmeticæ opponitur: quod Plato tenuit ipſam dimanaſſe à dæmone, Licurgus in Legibus Lacedæmonum ipſam vetuit in ſua Republica, quia homines deviat à rebus ſeriis, cum ipſa diſputet de rebus inutilibus, de perfectione numerorum aut imperfectione paris, aut imparis. Pytagoras, in numeris ſuperſtitioſe ſuam Philoſophiam condidit; illis vim tradidit ad agendum (ut tenet Jamblicus) ut ſic occultaret pactum quod cum dæmone habebat, & ideò hujuſmodi Mathematici damnantur

nantur *in Cod. leg. 9. tit. de Maleſic. & Mathem.*

Præterea Aſtronomiæ opponitur; quòd Plinius nullius utilitatis illam judicavit, & comprobat inconſtantia principiorum, ex quibus ſuas deducit concluſiones: Verſatur circa motus & influxus cælorum, & eſt inconſtans in eorum determinando numero, decem alii; alii undecim admittebant cælos; Plato, Proclus, Ariſtoteles, & Averroes octo ſphæras admittunt. Hermes, Azarchel, Thebich, Mæſtich, Iſaac, Alpetragus, Albertus Magnus admittunt eſſe novem. Rex D. Alphonſus cum Bacam ſæpe novem, ſæpe admittit octo cum Albucaſſen, & Albategni; Tichobrache, Borreus & Juniores triplex admittunt cælum, & in ſecundo ponunt omnes divagare ſtellas, ſigna & planetas. Nec Sphæræ motum uno modo admittunt. Chaldæi & Ægyptii unum cælorum admittunt motum, Alpetragus & Aquillonius acquieſcunt illorum opinioni; Hypparchus diverſos motus recepit. Talmudiſtæ duplicem eſſe tenent. Juniores triplicem trepidationis, girationis & primi mobilis. Nec in tempore motus primi mobilis conveniunt. Ptolomæus ſtellas judicat per unum gradum moveri in anno centeſimo, alii in 76. alii in 71. alii in 75. Ex quibus apparet, quòd ex iis aſtris aut motibus nullus certus poteſt prævideri effectus; nec ex hac principiorum contrarietate poſſunt aliquæ certæ deduci propoſitiones. D. Auguſtinus reprobat hanc artem, quia per illam in Idololatriam feruntur homines. Picus Mirandulanus & Alexander de Angelis opponunt Aſtrologiæ, quod ſit vaniſſima, & ideo à Platone, Ariſtotele, Democrito, Epicuro, Seneca, & aliis Philoſophis contemnitur. Eſaias ejus detegit fallaciam, Ptolomæus incertam eſſe fatetur; alii ineſficacem eam vocant ad eventus cognoſcendos, demonſtrat experientia; Nam Jacob & Saul, Proclus & Chryſtenes, & alii plures eodem tempore geniti diverſis præditi ſunt & contrariis moribus, licet congeniti ſub eiſdem influxibus, ideò Aſtrologi nullos certos prædicere ſolent eventus. D. Ambroſius de ſui temporis Aſtrologo refert, quòd prędixit pluviam, quę expectata à populo non ſupervenit. Manfredus inſignis Aſtrologus Ordæloſo promittebat longam vitam, qui intra paucos dies diſceſſit ab illa. Eudoxius platonicus irridebat ideò Aſtrologos, Archelaus, Caſſander, Halicarnaſſæus contemnunt eorum prædictiones, & ideo Romanus populus & Vitellius ipſos expulerunt ab urbe.

Præterea Phyſicis & Metaphyſicis opponitur, quod apud antiquos variis vitiorum generibus ſunt coinquinati, quod variis opinionibus confundunt veritatem. D. Hieronymus vocat eos Patriarchas hæreticorū, & Theologiæ adulteratores; Gerſon tenet, quod in illa immiſcent fabulas & Sophiſticas rationes. Romani expulerunt eos ab urbe. Domitianus à tota Italia juſſit exules fieri. Antiochus Rex prohibuit juvenibus ſtudium philoſophiæ, Timeon conſcripſit opus in eorum vituperium. Ariſtophanes in ipſos ſcripſit ſcenam, quam vocavit nebulas. Dion Peruſius longa oratione plura rejecit contra illos. Hortenſius Rom. philoſophiā & ſuos Profeſſores longiori oratione contumelioſè affecit.

Præterea politicæ opponitur, quod cum ordinetur ad Reipublicæ conſervationem cedit in ejus detrimentum; quocunq. enim modo ipſam ſtabilire contendat, ſive per Monar-

Digitized by Google

Monarchiam, ſive per Ariſtocratiã, ſive per Olixarchiam, ſive per Democratiam, ſive per Ociacatiam, ſemper in tyrannidem degenerat unius, aut plurium; ex quo provenit tributorum impoſitio injuſta, quòd ſuſtineantur latrones, omnia confundantur, quod nulli ſerventur propriis bonis, quod benemeriti vituperentur, juſti infamentur, vitia tolerentur, virtutes labantur, ita ut cogatur populus interficere, quẽ ſuſtinebat ut Principem, quia horum malorum ſit Author, quod licitum tenet Cicero; & in populo Iſrael contigiſſe fertur, & apud reliquas Reſpublicas ſæpè expertum fuit. Timeleon Corinthius occidit fratrem, Armodius Piſiſtratum, Coriton & Melampus in hunc finem inſidias poſuerunt Falari: Philippus Rex occidit Euphratum philoſophum, quia tyrannidem conſuluerat Perdicæ. Dion à regno expulit Dionyſium, Cyrus Aſtiagem, Hercules Buſirim, Mulieres Thebanæ occiderunt Fereum, ſui Caligulam, & coëgerunt Neronem ſe interficere.

Præterea opponitur Juris profeſſoribus, qui ſunt politicæ quidam Miniſtri, qui leges & Principum decreta proponunt Magiſtratibus, ut juxta illa dirimant lites; Tum primò. Quod Juriſprudentia, cui incumbunt, non eſt ſcientia, quod demonſtrant primo: quia licet definiunt illam, quod ſit divinarum & humanarum rerum notitia, juſti ac injuſti ſcientia, hæc definitio nequit illi convenire, ſed politicæ, quæ eſt ſcientia, & notitia omnium rerum. Juriſprudentia verò ſolum attendit ad leges quas politica ſancivit, ipſas memoriæ mandando, & ut ſic Juriſprudentia eſt legum prudens reſervatio, ut ſui deſerviant Magiſtratibus in litibus determinandis. Secundò; quia Juriſprudentia non traditur, ut ſcientiæ omnes per Logicam, quæ docet modum ſciendi, & eſt inſtrumentum adquirendi omnes ſcientias, ſed adquiritur commandando memoriæ leges, ita ut erubeſcant ſi ſine lege loquantur. Tertiò: regulæ Juris variantur per inſtantias; Scientia verò eſt invariabilis, & eſt habitus certus & evidens adquiſitus per demonſtrationem ex Ariſtotele *libr. 2. Poſter.* Quartò: Juriſprudentia ſiſtit in decretis Principum, quæ quotidie immutantur ab illis: Scientia verò eſt de neceſſariis, & iis, quæ aliter ſe habere non poſſunt. Quintò: Juriſprudentia docet ſtandum eſſe legi, & ſi falſo nitatur fundamento, quod repugnat ſcientiæ: ſcire enim inquit Ariſtoteles, eſt rem per ſuas cauſas cognoſcere, quoniam illius ſunt cauſæ, & quod aliter ſe habere non poſſunt. Sextò: quia ſcientia demonſtrat ſuas concluſiones ex propriis principiis, Juriſprudentia ex alienis, *l. 1. C. de furtis*; deſumit à Philoſophia, quod contraria ſimul eſſe non poſſunt, *l. 1. de Juriſdictione omnis judicii*, à Logica deſumit, quod conceſſo antecedente debet conſequens concedi, *leg. 1. §. dolum. de dolo.* ab eadem deſumit, quòd bona definitio debet converti cum definito, & ſic patet de reliquis illius principiis. Septimò: quia Ariſtoteles *libro 6. Ethicorum.* tenet, quod Juriſprudentia nec eſt Ars, nec ſcientia, non enim eſt habitus ſcientificus, nec operativus, ſed memoria legum prolatarum à Politicis. Octavò: quia ſcientia eſt habitus intellectus. Juriſprudentia verſatur circa leges, quæ ſunt actus voluntatis, & *l. 1. ff. de conſtit. Princip.* Ubi ſancitur, quòd id quod placuit Principi habet vim legis. Nono: quia ſupra pro-

poſuimus omnia ſcientiarum genera, & ad nullum earum poteſt pertinere Juriſprudentia, ut diſcurrenti patebit. Decimò: quia D. Thomas 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. *ad* 2. dicit: leges à ſuis profeſſoribus ſolum obſervantur in memoria, ſicut in Scripturis, & literis continentur, quod demonſtrat ſcientiam non adquirere, ſed rerum notitiam. Undecimò: Quia ex authoritate humana non generatur ſcientia, ſed tantum opinio, & ipſi tantum acquieſcunt authoritati Principis proferentis legem ſine alia ratione. Duodecimò: Quia ſcientia generat evidenteem aſſenſum ex connexione concluſionis cum præmiſsis, leges autem cogunt credere, quod imperant ſine alia ratione, niſi quia ſic Princeps ſancivit, *C. de legib. l. leges.* Decimotertiò: Scientiæ cùm ſint à Deo, & neceſſario objecto, nequeunt ſubjici hominum voluntati, leges verò ſubjiciuntur principum voluntati. Decimoqiartò: Scientia ſpecificatur ab objecto, cujus ſpeculatur pasſiones: Juriſprudentia nullas certas de aliquo objecto pasſiones demonſtrat; ſed credit, quidquid à Principe fuerit decretum: Ex quo apparet, quod non habet rationem ſcientiæ.

Tum ſecundo opponitur Juris profeſſoribus: Quod ſi ad Magiſtratum conſcendant carnificibus fiunt crudeliores in torturis, quod agunt de Latrinis. Bartholomæus Cæpa *de ſervit. urbis* decernit, *c.* 48. quòd non eſt licitum privato aperire cloacam propter fœtorem. Rippa, qui in Medicos plura opponit, plura de cloacis cognovit Ferrariæ, ut diximus; decem ſolidis conducitur Juris profeſſor ad videndum per totam urbem, qui loci apti latrinis. Communis quæſtio eſt juris profeſſoribus de ſervitute Vaſariorum, & ut patet apud Rippam de ſterculinis, & omnium excrementorum receptaculis. Opponitur illis: quod vivunt inter facinoroſos, pernicioſos & infimos Reipublicæ Habitatores, in Lupanaribus ſe exercent, inter latronum turbas: Damnatorum inſequuntur vitam, ſæpe ſine diſcrimine, juſtorum corpora proſequuntur in vita, cadavera inſequuntur poſt mortem; nec poſt funera ſæpe immunia ab illis, cum fœtentia etiam inſequantur cadavera. Nec omittitur contra illos, quòd leges ortæ ſunt ex malitia, ut ex Platone adducit Macrobius, *lib.* 3. *Saturnalium*, & Paulus *ad Timoth.* inquit: *Sciens quod lex juſto non eſt poſita.* Dicitur etiam quod lex eſt tyrannus hominum quia vim infert, & ad multa præter naturam cogit, & ut inquit Zachias:

Unde metus maculat pœnarũ præmia vitæ.

Et Ovidius:

— humana malignas
Cura dedit leges, & quod natura remittit,
Invida jura negant:

Cardanus *de varietate* 40. confirmat, §. *Quod verò lege & cõnſuetudine conſtat violentum quid habet.* Coninck ex Theologis, *tom.* 2. *de Sacram. diſp.* 2. inquit: *Nec dubium quod lex naturæ violentiam infert*: Et Juris profeſſores ferè per totum orbem non recipiuntur, nec niſi in aliquibus Europæ partibus ſemper eos rejecerunt Indi, Perſæ, Ægyptii, Turcæ vaſtisſimum imperium eos contemnit, à Matthæo Corvino apud Europæos expulſi etiam fuerunt. Roma ſine juris profeſſoribus diu permanſit, ſine legibus, ſine litigiis, & tunc ſine delictis, dum nondum erant leges, ut tenet Joannes Coras *in l.* 1. *ff. de leg. & ſen. conſt. n.* 10. *verbo delictum*: & Ovid. *Metamorph.* cecinit:

Aurea

Digitized by Google

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nulla
Sponte ſua ſine lege fidem, rectumq; colebat,
Pœna metuſque aberant; nec vincla minantia collo
Ære legebantur: nec ſimplex turba timebat
Judicis ora ſui: ſed erant ſine Judice tuti.

Tacitus *lib. 3. Annal.* inquit: *Vetuſtiſſimi mortalium adhuc mala libidine ſine probro & ſcelere, eoq; ſine pœna, aut coercitionibus agebat; nec præmiis opus erat, cùm honeſto ſuopte genio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum utebantur.* Ideò Platò judicat malè conſtitutam eſſe civitatem in qua ſunt Juriſconſulti: Lucianus *in Dialogo de veritate*, aſſerit miſeros eſſe populos, quos gubernant Juris profeſſores. Canonherius probat, ſine illis debere gubernari civitates. Lopez *in Dialogo* contra illos idem probat: & Figuer. *diſcurſ.* 12. increpat illos, quia contra legem Cynthiam admittunt pretium, imò quia plerique non ſolum admittunt illud, quia loquuntur, ſed ne loquantur, ſic Demoſthenes gloriabatur cum Ariſtemo, de pretio recepto ob ſilentium ne noceret loquendo. Alanus *de planctu Eccleſ.* tenet: quòd Juris profeſſores fovent lites, fallunt litigantes, aperiunt ſuorum clientium fundamenta ipſis adverſariis, injuſtas defendunt cauſas, loquuntur oſtentationis cauſa, vociferant, raticinantur cum vanitate, confundunt juſtitiam, quod juſtum eſt prævertunt, quod injuſtum eſt fovent, ſuperaddunt novas inſtantias, ſophiſticis rationibus confundunt veritatem; opponitur etiam legibus, quòd deberent prohiberi, quia non docent, ſed imperant, vetant, puniunt, *l. legis virtus, ff. de leg.* & tenet D. Thom. 1. 2. *q.* 95. *art.* 2. Et judicantur inutiles, quia mutæ ſunt & nihil operantur, niſi lex viva vitam concilíet, quæ ſine illis ſufficit, ut præter Europam apud omnes gentes apparet, ubi ſine legibus Juris Civilis omnes gubernantur à politicis; quos Ariſtoteles *lib. 5. Ethicorum. cap.* 4. & Cicero *lib. 3. de leg.* vocant legem vivam; leges enim ſancitæ, & in jure civili coadunatæ non habent præfixum terminum; ſunt variæ, incertæ & inutiles, & ideo quotidie immutantur, minuuntur, augentur, annullantur, quæ primò placuerunt jam non ſubſiſtunt, quæ nunc permanent, ſunt contrariæ, eadem lex contrariis conſtat, & oppoſitis periodis, cujuſvis periodi determinatio à diverſis profeſſoribus Juriſprudentiæ diverſo modo intelligitur, & interpretatur, eadem lex unum abſolvit, alterum interficit in eodem delicto. pleræque earum non ſunt conſonæ æquitati ut demonſtrat *Suarez, lib. 3. de leg. cap.* 12. qui etiam docet plures injuſtas eſſe, & quod licet ſint ſine ratione, & contra æquitatem tenentur Juris profeſſores eas ſervare, *l. proſpexit ff. qui & quibus*: deinde leges juſtæ uni urbi, ſunt alteri injuſtæ, & quæ juſtæ ob ambiguitatem verborum, nequeunt intelligi à Profeſſoribus, ut tenet Gratian. *diſcep. for. c.* 257. Leges indigent confirmatione, & intelligentia Profeſſorum; & Plancus fatetur veram Juris cognitionem non poſſe conſequi ob multitudinem Authorum inter ſe disſidentium; immò & ſæpè leges inter ſe contrariantur, *ex gloſſ. in l. ex quibus cauſis, ff. de l. & ſent. conſil.* Et ſi non ſit legum contrarietas, eſt contrarietas interpretum ob quam nihil verum de lege percipitur, & unuſquiſque eligens opinionem poteſt ſententiam proferre pro amico, manet enim tota vis Juris extincta, quia leges Principum decreta non ſervant, ſed interpretum opiniones præ-

prævalent, & cum hæ judicentur probabiles, & in unaquaque lege ſint contrariæ, nulla jam permanet lex nullumque Jus, quod ex illis deberet compleri, nullaque ſecuritas eorum quæ judicant jure tueri; neque lege intellecta bene operari licet Profeſſoribus, quia ſi injuſta operatur per legem injuſtam, decernit injuſtum. Si contra legem, etiam injuſtum decernit, his & aliis gravioribus ſolet Juriſprudentia oppugnari; Quæ confirmat Tiraquellus. *lib. de nobilit. cap.* 31. dicens: *Ut & prætermittam quoque indefatigabiles, atque perpetuas recentiorum legum, & canonum Interpretum contentiones, ut nulla propè modum res ſit in utrovis Jurium adeò expedita, quin ſint tamen in ea diverſæ variæ, atque etiam contraria, & ſæpe eorundem ſententia.* Nec mirum hoc videtur, cum ex eodem ipſi legum Conditores, ſæpe oppoſita & incompatibilia ſanciverint, ſub utroq; Jure. Nam Acurtius reprehendit Juriſconſultos, *in l. filiusfam.* §. *Divi, ff. de leg.* 1. quia ſæpiùs errarunt in legibus, ut not. *in l. qui Rom.* §. *dum fratres, ff. de verbor. obligat.* & not. Jord. Briccius *in recept. cap. Romana* §. *Contrahentes col.* 18. verſ. *Sed hic quæritur de foro compet. libr.* 6. inter quos eſt contrarietas. Similiter reprehenditur Juſtinianus Conditor legum, ſeu Juris civilis *in ingreſſ. tit. inſtit. de teſtam.* Ubi dicit: *appellari teſtamentum quia ſit mentis teſtatio.* Et falſitatis convincitur à Gellio *lib. 6. noct. Atticar.* & *in l. vul. C. in quib. cauſ. integ. reſtit. non eſt*, notatur: Et Plac. dixit illum bibiſſe è Lethæo fonte; dum illam legem ſcripſit. Acurtius aſſeruit; quod Imperator ille conditor Juris erat ebrius; Suidas dixit, quod hic Juris civilis Conditor, nec literarum monumenta novit; & *ex. l.* 3. *in fin.* juncta *gloſſ. ult.* §. *de ſupel legat.* Probat Tiraquellus poſſibile eſſe Juri errare. Et in Jure Canonico comprobatur fuiſſe diſcordes Pontifices teſtimonio Bonifacii Octavi *cap. 1. de conſtit. lib.* 6. quo poſſunt obliviſci aliar. conſtit. contraria ſtabilire, ut patet *ex cap. Præterea* 23. *diſt.* & Urbanus Papa *cap. ult.* 30 *q.* 4. inquit non reperiri prohibitum virum & uxorem poſſe ſuſcipere puerum in Baptiſmo, quod Leo prohibuit, *in cap. non plures de conſecrat. diſt.* 4. Innocentius tertius, & Celeſtinus tertius, *de dirimendo matrimonio*, ſancivit contraria. Pelagii conſtitutionem retractavit ſucceſſor Pelagius; ex quibus opponitur utriuſque Juris Profeſſoribus, quòd ipſi inter ſe diſcordes, & vagi debent eſſe.

Tum tertio, opponitur Juriſprudentiæ, quod ratione illius inepti redduntur Juris profeſſores ut poſſint aſcendere ad Magiſtratum, ut tenet Canonherius, quia ſunt puri Rubricarii, Legulei, Rabulæ, Declamatores, Grammatici, & Miniſtri Magiſtratum: ideò Liverius à Bodeſtain inquit: *Non autem Cauſidicum, neque proclamatorem, aut rabulam ſenatorem eſſe volumus: hoc enim hominum genus infimum eſt, & mercedula addictũ, miniſtrum ſe præbens falſitatis & injuſtitiæ ſimulque linguam, & animum contra juſtitiam inſtructum, & armatum gerit; difficile autem eſt eum juſtitiæ & veritatis amantem eſſe, qui linguam quæſtui proſtituit.*

Apulejus vultures hos vocat: trophæum enim egentes tyrannico veluti faſtu (inquit Francus) ſuperbientes omnia ſibi deberi credunt, quæ jure non poſſunt, per vim arripiunt. Et inquit Columella, quod hoc faciunt ſanguinaria rapacitate homines excarnificando. D. Bernardus inquit:

ſi

Digitized by Google

Ii ſunt, qui docuerunt linguas loqui grandia, cum operentur exigua, largiſsimi promiſſores, parciſsimi exhibitores, diverſi adverſus juſtitiam, eruditi pro falſitate. ſapientes ſunt, ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum. Et qui ſe opponunt Juris profeſſoribus illis opponunt Caſſaneum Medicorum oppugnatorem, qui in ſe, & ſui Juris Profeſſores docens, qui ſint, inquit: *Hi ſunt qui emunt lites. vendunt interceſsiones. deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigaturos. protrahunt audiendos: Ii ſunt, qui negant Civitatibus Inducias, mercatoribus nundinas emptoribus menſuras, reverentiam Clericis, originem nobilibus, locum prioribus, cunctis jura, quibus nullum genus hominum ordinum temporum cordi eſt. Sunt in collocutionibus beſtiæ, in quæſtionibus ſtatuæ, ad intelligendum laxi, ad judicandum lignei, ad ignoſcendum ferrei, ad amicitias pardi, ad fallendum vulpes, ad ſuperbiendum tauri, ad conſumendum Minotauri.* Et Poëtæ nullis parcentes ſuis dicteriis ſe opponunt Juris profeſſoribus: inquit enim quidam:

Pinguis, & melius, ſi quidem declamat, agitque
Cauſidicus, palpet, quàm tua larga manus,
Utq; Phaleratis verbis diffundere cauſam
Poſsint & legum garrula verba loqui.
Cauſidico à tali Judex citò fallitur, is qui
Judicii ſceptrum ſimplicitate regit.

Et ſuorum profeſſorum Coriphæus Cicero protulit pro Lucio Muræna; inquit enim: *Et quoniā mihi videris iſtam ſcientiam juris tanquam filiolam oſculari tuam; non patiar te in tanto errore verſari; ut iſtud neſcio quid quod tantopere didiciſti, præclarum aliquod eſſe arbitrare. Aliis ego te virtutibus continentiæ, gravitatis, juſtitiæ, fidei cæteris omnibus, conſulatu, & omni honore ſemper digniſsimum judicavi. Quod enim jus civile didiciſti, non dicam operam perdidiſti: Sed illud dicam, nullam eſſe in illa diſciplina munitam ad Conſulatum viam:* & ſuperaddit: *Primum dignitas in tam tenui ſcientia, quæ poteſt eſſe? res enim ſunt parvæ propè in ſingulis literis interpretationis, verborum occupatæ, deinde etiam ſi quid apud majores noſtros fuit in hoc ſtudio admirationis id enunciatis veſtris myſteriis: totum eſt contemptum & abjectum:* Et paulo infra. *Eiſdem ineptiis fucata ſunt illa omnia. quando te in jure conſpicio. & hæc: Sed anne tu dicis, quas cauſas vendicaveris? quædam erant occulta, neceſſario ab eis, qui ea tenebant, petebantur, poſteà verò pervulgata, ac in manibus jactata, & excuſſa inaniſsima prudentiæ repertæ ſunt fraudis & ſtultitiæ pleniſsima. Nam cum permulta clarè legi eſſent conſtituta, ea Juriſconſultorum ingeniis præclara corrupta, ac depravata ſunt.* Ex quibus concludit. *Itaque ut dixi, dignitas in iſta ſcientia Conſularis nunquam fuit, quæ tota in rebus fictis commentitiiſque conſtaret.* Hæc Cicero. Ubi Juriſprudentiam delineat tanquam maximus illius Profeſſor. Tum quarto. Opponitur Cauſidicis, ſeu Advocatis, qui ſunt genuini Profeſſores Juriſprudentiæ, quod illorum Officium derogat nobilitati, inquit enim Tiraquellus, *lib. de nobilit. c. 29. Facile conſtat: viles admodum fuiſſe Advocatos; cum ex legum noſtrarum conſtitutionibus ii quidem abjecti ac degeneres inter viliſsimos computentur, qui vili pretio, ſive turpi ſtipendio patrocinium præſtant, l. quiſquis C. de Poſtulat & recept. in §. apud urbem 3. qu. 7.* Ubi gloſſa *in verbo non ea turpe, & in verbo pecunia, ea verba, ut diximus ita intelligit,*

quam

quam ſequitur Faber in l. ſi qui. C. eodem de poſtulat. Quod comprobat: nam libertini, niſi impetrato jure aureorum annulorum, ad dignitatem eligi non poſſunt, *l. C. ad l. viſc. & l. 1. C. ſi ſerv. aut liber lib. 12.* Sed libertini poſſunt eſſe Advocati, *ex l. 1. §. ult. ff. de Poſtul. & lib. 2. l eo.* Et Tullius dicit, quòd Hortenſius Cauſidicus poſt conſulatum indignum judicavit redire ad officium Advocati. Plinius junior *epiſt. 1. ad Pompejum Falconem* Cum Tribunus eſſet dicit, quod judicavit difforme non abſtinere à cauſis dicendis. Juvenalis *Satyra* 7. irridet: quod vili ſe pretio in patrocinium venditabant Cauſidici, quorum officium etiam irridet Martial. *libr. 1. Epigramm. 116. & lib. 7. Epigram.* 52. Columella dicit antiquiora ſæcula fuiſſe fæliciora ſine Cauſidicis. Anacharſis tenebat: forum eorum eſſe ad fallendum aptum, & ad manus avaritiæ dandas. Sidonius Apollinaris, *lib. 4. epiſt. ad Claudianum*, vocat Cauſidicos rabulas forenſes: & Cicero *libr. de orat.* idem tenet: Nonius Marcellus Caninam Advocatorum facundiam appellat: Julius Polux de Advocato inquit, quòd eſt calumniator, litium Conceptor, litium Conſultor, loquax pro pecunia, ob argentum loquax, nullum verbum gratis proferens, pro mercede loquax, ad voluptatem conciones fingens, ex iis ſuam deducit doctrinam primam, ſive primò adductam Tiraquellus.

Plura hujuſmodi adducunt Benedictus Curtius, Symphorianus *in Areſtam explanatione* 29. Lampridius *in Alexandro Severo.* Apulejus *lib. 10. de aſino aureo.* Victorinus *in expoſitione 1. Ciceronis de arte.* Martialis per plura epigrammata, Seneca *in Hercule furente.* Plautus *in Pænul.* Terentius *in Phormione*, & alii innumeri: Ergo ſi hæc convicia nulli obſtant ſcientiæ, arti, nec Juriſprudentiæ; non eſt cur ſui Profeſſores contendant medicinam, ob communia dicteria decidere à ſua præſtantia.

§. III.

Solvuntur vulgaria dicteria primo adducta.

AD primum reſpondetur, quod *ſuprà* demonſtravimus, quod dogmatica medicina eſt ſcientia; Artes vero illi deſervientes, quæ medicina etiam dicuntur, ſunt Mechanicæ, & de iis loquuntur leges, non verò de dogmatica rationali medicina.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd ſupra *ſect.* 2. huic vulgari objectioni adhibuimus ſolutionem; cum qua continuo quidam alii profeſſores rabulam linguam abluunt.

Ad tertium reſpondetur ex dictis, quòd nulla eſt ars liberalis, nec ſcientia, quæ non obruatur ſimilibus dicteriis; Poetis enim, Scurris & ſimilibus quodlibet audendi fuit æqua ſemper poteſtas.

Ad quartum reſpondetur cum Canonherio, quòd Faber ut judex nequit admitti in lite de nobilitate.

RESOLVTIO VI.

Vtrum dogmaticæ medicinæ Profeſſores aliquid de illius præſtantia derogaverunt?

§. I.

Quid Juris Profeſſores, quid vulgus teneant?

COntendunt Juris Profeſſores, vulgaresque plurimum detrahere de præſtantia

ſtantia medicinæ, ſortem ſervilem ſuorum Profeſſorum: Nam *l. Thais*, §. *Lucius*, *ff. de fideicommiſſis*; *& l. alimenta*, §. 1. *ff. de alim. & cibar.* & *l. Seio*, §. *ult. ff. de annuis legat. & l. Petronius*, §. *item plerumque*, *ff. de ope liber. & l. ult. C. com. de legat. & l.* 1 §. *Ne autem*, *C. de comm. ſervorum manumiſſione* docent, Medicos fuiſſe mancipia, & ſervos.

Suëton. *in Caligula*: Cicero *in orat. pro Dejotaro*: Seneca *lib.* 3. *de Benefic.* Plutarch. *in Caſar.* Plinius *lib.* 7. *cap.* 3. Omnes teſtantur apud Romanos fuiſſe medicos ſervos & libertos, & *Geneſ* 50. conſtat: quod Joſeph filius Jacob præcepit ſervis ſuis medicis, ut condirent aromaticis cadaver ſui patris.

Secundò præter Juris profeſſores, reliquarum etiam artium Profeſſores gloriantur maximè: quod plurimi profeſſores medicinæ ſunt Hebræi: ex quo inferunt infamari hanc nobiliſſimam ſcientiam præcipuè apud Hiſpanos.

Tertiò à vulgaribus ſæpè irridentur, & contemnuntur medicinę profeſſores, quod non accidit Theologis, & aliis artium profeſſoribus; ergò medicinæ ab illis detrahitur aliquid de ſua præſtantia.

§. II.

Ratione Profeſſorum nulla ars nec ſcientia præſtantior debet judicari, quam medicina.

Reſolvendum. Quod nulla eſt ars, nec ſcientia, quæ præſtantiores habuerit profeſſores, quam dogmatica medicina; nec ratione illorum alia præſtantior debet haberi: tenent Tiraquellus, Canonherius, Alexandrinus, Merola, Pater Jordanus, Zachias, & alii, ex quibus hanc doctrinam demonſtravimus.

Probatur: Nulla eſt poteſtas ſuprema, divina, nec humana; nulla ſub utraque dignitas, in qua non fuerint præclari dogmaticæ medicinæ profeſſores: ergo ratione ſuorum profeſſorum nulla eſt ars, nec ſcientia, quæ præſtantior debeat haberi. Probatur antecedens tùm ex Summo Deo omnium poteſtatum origine, qui verus eſt Medicus Dogmaticus: ipſe enim medicinam creavit ex terra, *lib. Eccleſ.* ipſe illam Adamo condonavit: ipſe in mineralibus, vegetalibus, animalibus, & cunctis aliis rebus poſuit facultates medicinales ad curandum: ipſe ſimul cum medicis concurſu prævio & ſimultaneo curationes exercet: ipſe ſine medicis, ſe ſolo innumeras exercet curationes miraculoſas: ipſe eaſdem ob preces Sanctorum ſæpiſſimè proſequitur, & Chriſtus Dominus verus etiam fuit Medicus: ipſe enim ſic fatetur, & ex ſacra pagina conſtat, Lazarum, & alios mortuos ſanaſſe, curaſſeque leproſos, paralyticos, lunaticos, lycanthropicos, cæcos, mutos, ſurdos, febrientes, hydropicos, hæmoptoiſim, & alios morbos: Tum de proximis Dei miniſtris, Archangelis, & Angelis, quos medicinam exercuiſſe conſtat. Michaël Archangelus Achilinum quendam febricitantem in ſomno propoſito remedio illi in templo cubanti, ut docet Hiſtoria tripartita, *lib.* 2. *cap.* 19. curavit à febre. Raphaël, qui Medicina Dei dicitur *Tob.* 6. cum felle piſcis docuit cæcitatem curare, & ideò Princeps medicinæ habetur, ut tenet Origen. *Homil.* 14. eorum quæ ſcripſit *in lib. numerorum*; idem & Saram curavit. Divus Chryſoſtomus *Panegyr.* 4. tenet: Angelos mederi variis morbis hominum: & dæmonis nocumenta auferre, & poſt eũ Joan. Andr.

quam ſequitur Faber in l. ſi qui. C. eodem de poſtulat. Quod comprobat: nam libertini, niſi impetrato jure aureorum annulorum, ad dignitatem eligi non poſſunt, *l. C. ad l, viſc. & l. 1. C. ſi ſerv. aut liber lib.* 12. Sed libertini poſſunt eſſe Advocati, *ex l.1. §. ult. ff. de Poſtul. & lib.2. l eo.* Et Tullius dicit, quòd Hortenſius Cauſidicus poſt conſulatum indignum judicavit redire ad officium Advocati. Plinius junior *epiſt.1. ad Pompejum Falconem* Cum Tribunus eſſet dicit, quod judicavit difforme non abſtinere à cauſis dicendis. Juvenalis *Satyra* 7. irridet: quod vili ſe pretio in patrociniium venditabant Cauſidici, quorum officium etiam irridet Martial. *libr.1. Epigramm.116. & lib.7. Epigram.* 52. Columella dicit antiquiora ſæcula fuiſſe fæliciora ſine Cauſidicis. Anacharſis tenebat: forum eorum eſſe ad fallendum aptum, & ad manus avaritiæ dandas. Sidonius Apollinaris, *lib. 4. epiſt. ad Claudianum*, vocat Cauſidicos rabulas forenſes: & Cicero *libr. de orat.* idem tenet: Nonius Marcellus Caninam Advocatorum facundiam appellat: Julius Polux de Advocato inquit, quòd eſt calumniator, litium Conceptor, litium Conſultor, loquax pro pecunia, ob argentum loquax, nullum verbum gratis proferens, pro mercede loquax, ad voluptatem conciones fingens, ex iis ſuam deducit doctrinam primam, ſive primò adductam Tiraquellus.

Plura hujuſmodi adducunt Benedictus Curtius, Symphorianus *in Areſtam explanatione* 29. Lampridius *in Alexandro Severo.* Apulejus *lib.10. de aſino aureo.* Victorinus *in expoſitione* 1. *Ciceronis de arte.* Martialis per plura epigrammata, Seneca *in Hercule furente.* Plautus *in Pœnul.* Terentius *in Phormione*, & alii innumeri: Ergo ſi hæc convicia nulli obſtant ſcientiæ, arti, nec Juriſprudentiæ; non eſt cur ſui Profeſſores contendant medicinam, ob communia dicteria decidere à ſua præſtancia.

§. III.

Solvuntur vulgaria dicteria primo adducta.

AD primum reſpondetur, quod *ſuprà* demonſtravimus, quod dogmatica medicina eſt ſcientia; Artes vero illi deſervientes. quæ medicina etiam dicuntur, ſunt Mechanicæ, & de iis loquuntur leges, non verò de dogmatica rationali medicina.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd ſupra *ſect.* 2. huic vulgari objectioni adhibuimus ſolutionem; cum qua continuo quidam alii profeſſores rabulam linguam abluunt.

Ad tertium reſpondetur ex dictis, quòd nulla eſt ars liberalis, nec ſcientia, quæ non obruatur ſimilibus dicteriis; Poetis enim, Scurris & ſimilibus quodlibet audendi fuit æqua ſemper poteſtas.

Ad quartum reſpondetur cum Canonherio, quòd Faber ut judex nequit admitti in lite de nobilitate.

RESOLVTIO VI.

Vtrum dogmatica medicinæ Profeſſores aliquid de illius præſtantia derogaverunt?

§. I.

Quid Juris Profeſſores, quid vulgus teneant?

COntendunt Juris Profeſſores, vulgareſque plurimum detrahere de præſtancia

Digitized by Google

ſtantia medicinæ, ſortem ſervilem ſuorum Profeſſorum: Nam *l. Thais*, §. *Lucius*, *ff. de fideicommiſſis*; *& l. alimenta*, §. 1. *ff. de alim. & cibar.* & *l. Seio*, §. *ult. ff. de annuis legat. & l. Petronius*, §. *item plerumque*, *ff. de ope liber. & l. ult. C. com. de legat. & l.* 1 §. *Ne autem*, *C. de comm. ſervorum manumiſſione* docent, Medicos fuiſſe mancipia, & ſervos.

Suëton. *in Caligula*: Cicero *in orat. pro Dejotaro*: Seneca *lib.* 3. *de Benefic.* Plutarch. *in Cæſar.* Plinius *lib.* 7. *cap.* 3. Omnes teſtantur apud Romanos fuiſſe medicos ſervos & libertos, & *Geneſ.* 50. conſtat: quod Joſeph filius Jacob præcepit ſervis ſuis medicis, ut condirent aromaticis cadaver ſui patris.

Secundò præter Juris profeſſores, reliquarum etiam artium Profeſſores gloriantur maximè: quod plurimi profeſſores medicinæ ſunt Hebræi: ex quo inferunt infamari hanc nobiliſſimam ſcientiam præcipuè apud Hiſpanos.

Tertiò à vulgaribus ſæpè irridentur, & contemnuntur medicinę profeſſores, quod non accidit Theologis, & aliis artium profeſſoribus; ergò medicinæ ab illis detrahitur aliquid de ſua præſtantia.

§. II.

Ratione Profeſſorum nulla ars nec ſcientia præſtantior debet judicari, quam medicina.

Resolvendum. Quod nulla eſt ars, nec ſcientia, quæ præſtantiores habuerit profeſſores, quam dogmatica medicina; nec ratione illorum alia præſtantior debet haberi: tenent Tiraquellus, Canonherius, Alexandrinus, Merola, Pater Jordanus, Zachias, & alii, ex quibus hanc doctrinam demonſtravimus.

Probatur: Nulla eſt poteſtas ſuprema, divina, nec humana; nulla ſub utraque dignitas, in qua non fuerint præclari dogmaticæ medicinæ profeſſores: ergo ratione ſuorum profeſſorum nulla eſt ars, nec ſcientia, quæ præſtantior debeat haberi. Probatur antecedens tùm ex Summo Deo omnium poteſtatum origine, qui verus eſt Medicus Dogmaticus: ipſe enim medicinam creavit ex terra, *lib. Eccleſ.* ipſe illam Adamo condonavit: ipſe in mineralibus, vegetalibus, animalibus, & cunctis aliis rebus poſuit facultates medicinales ad curandum: ipſe ſimul cum medicis concurſu prævio & ſimultaneo curationes exercet: ipſe ſine medicis, ſe ſolo innumeras exercet curationes miraculoſas: ipſe eaſdem ob preces Sanctorum ſæpiſſimè proſequitur, & Chriſtus Dominus verus etiam fuit Medicus: ipſe enim ſic fatetur, & ex ſacra pagina conſtat, Lazarum, & alios mortuos ſanaſſe, curaſſeque leproſos, paralyticos, lunaticos, lycanthropicos, cæcos, mutos, ſurdos, febrientes, hydropicos, hæmoptoiſim, & alios morbos: Tum de proximis Dei miniſtris, Archangelis, & Angelis, quos medicinam exercuiſſe conſtat. Michaël Archangelus Achilinum quendam febricitantem in ſomno propoſito remedio illi in templo cubanti, ut docet Hiſtoria tripartita, *lib.* 2. *cap.* 19. curavit à febre. Raphaël, qui Medicina Dei dicitur *Tob.* 6. cum felle piſcis docuit cæcitatem curare, & ideò Princeps medicinæ habetur, ut tenet Origen. *Homil.* 14. eorum quæ ſcripſit *in lib. numerorum*; idem & Saram curavit. Divus Chryſoſtomus *Panegyr.* 4. tenet: Angelos mederi variis morbis hominum: & dæmonis nocumenta auferre, & poſt eũ Joan.

Andr. Anton. & Panormit. *in cap. cum ad Monaſterium extra de ſtatu monach* inquit Tiraquellus quod referunt ab Angelo revelatum fuiſſe quibuſdam, quod per ſanguinis miſſionem factam die 31. menſis Februarii curari eo Anno ab omni febre poſſent, & *in* §. *Oſtendit* 16. *q.* 1. docetur cuidam Equiti curatum fuiſſe ab Angelo vitium linguæ per ſanguinis miſſionē. Tum de Sanctis, qui proximi poſt Angelos ſunt Dei miniſtri, conſtat eos exercuiſſe medicinam in veteri Teſtamento Eliſæus, ut patet *ex* 4. *Regum* 2. & tenet Ægyſippus *lib.* 4. *Hiſtor. Judaic. cap.* 17. & Iſaias *ex* 4. *Reg.* 2. *&* *Iſai* 38. & Eſdras, cujus antidotum referunt Æginera, *lib.* 3. *cap.* 32. *lib.* 7. *cap.* 11. Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 4. *cap.* 18. Jeſus filius Syrach, ut patet ex illius operibus. D. Paulus potionem: quæ dicitur Sancti Pauli invenit: cujus meminit Arnaldus *in Antidotario*, Galen. *lib. Pharmacor.* Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 4. *cap.* 65. D. Lucas, profeſſione fuit Medicus ex D. Paulo *ad Coloſ.* 4. & tenet Euſebius Cæſarienſis, *lib. Hiſtor. Eccleſ.* 3. *cap.* 2. Coſmas & Damianus, quos ſub Canone invocat Eccleſia. Urſicinus Martyr, Pantaleon Nicomedenſis, Baſilius Magnus, Alexander Phryx, Theodorus Laodicenſis, & alii plures, quos referunt Tiraquellus, Canonherius, Jordan. & alii. Tum in ſuprema Pontificia poteſtate profeſſione Medici fuerunt Nicolaus V. Euſebius, Joannes Vigeſimus ſecundus, Paulus ſecundus. Tum ſub Imperatorum ſummo faſtigio medicorum calluerunt ſcientiam Auguſtus Cæſar, ex ejus commentariis aliqua remedia deſumpſit Plinius Valerianus, *lib. de re medica cap.* 18. ex Tiberii commentariis, Galenus *libr.* 5. *de compoſit. medicam*, fatetur ſumpſiſſe paſtillum, ſicut de Nerone, doctum fuiſſe illum in arte medica tenet Paulus Ægineta, *lib.* 7. *cap.* 17. Aurelius Victor, in vita Imperatorum Aurelium tenet calluiſſe Artem Medicam, & ex illo collyrium tradidit Aëtius, *tetrab.* 2. *ſerm.* 3. *cap.* 113. Conſtantinus Imperator fertur librum conſcripſiſſe de herbarum virtutibus: de Juſtino Imperatore antidotum Iuſtinum appellatum noverunt Nicolaus, Quintuſque Serenus, & Soranus potionis ab eo inventæ meminit. Tum de Regibus medicis numeroſiùs ab omnibus agmen proponitur. Reges fuerunt primi inſtauratores Græciæ medicinæ Profeſſores: Apis, Oſiris, Iſis, Mercurius, Orus, Aſeus, Thalemon, & poſt illos Ariſtæus Arcadum Rex, de quo Apollonius Rhodius, *libr.* 2. *argonauticon*, Salomon Rex rerum omnium medicinales virtutes cognovit, & literis tradidit à Cedro uſque ad Hyſopum, ut tenet Sacra pagina. Rabbi Moſes, *lib. perplexor.* tenet Ezechiam Regem Judæ librum ſcripſiſſe medicamentorum, Lyſimachus Rex Lyſimachiæ herbæ aperuit virtutes, ut patet ex Plinio, *libr.* 25. *cap.* 7. quæ ideò ab ipſo dicta Lyſimachit: Antiochus Rex Syriæ, ut tenet Plinius Valerianus, Theriacam compoſuit, & in templo Apollinis verſibus dicavit: Libius narrat Regem Maſſiniſſam ſolitum vulnera militum curaſſe. Galenus tenet, Abraham Pergami Regem medicinam calluiſſe. Mithridates Rex Ponti Mithridatum compoſuit antidotum: Juba Rex Mauritaniæ à Plinio, & Dioſcoride, ut peritus herbarum nominatur. Eupator Rex, Eupatoriæ herbæ impoſuit nomen, cujus virtutes aperuit, ut tenet Plinius *lib.* 25. *c.* 6. Agrippa Rex Judæorum, Agrippæ unguenti author fuiſſe fertur: Evax Rex

Arabum,

Digitized by Google

Arabum, de virtutibus ſimplicium ſcripſit ad Neronem, ut tenet Plinius, *lib.* 25. *cap.* 1. Sabor Perſarum Rex à Serapione citatur *in antidot. cap.* 17. Meſve Damaſci fuit Rex, Adrianus Rex Saracenorum, & alii quamplurimi Reges, quos latiori Calamo Tiraquellus refert, medicinæ fuerunt profeſſores, ultra quos inter Poëtas, & inſigniores Philoſophos quàm plurimi fuerunt præclari Medici. Tum inter Authores Eccleſiaſticos de medicina ſcripſerunt, præclari illius Profeſſores. Albertus Magnus, Albertus Bejit, Baſilius Valentinus, Calixtus Monachus; Joannes Damaſcenus, Ægidius Monachus, Joannes de Indagine, Joannes Gavinetus, Maximus Plancidius, Neophorus Monachus, Richardus Runetius, Raymundus Lullius, Fr. Thomas Campanella, Marſilius Ficinus, Pater Jordan, & innumeri alii; ex quibus omnibus convincitur medicinæ præſtantia, ex nobilitate, & excellentia Profeſſorum illius.

Probatur tandem medicinæ præſtantia à ſuis profeſſoribus, & inventoribus; non ex Romano populo, qui, in prima infantia ex latronibus, & paſtoribus coaluit, & per plures ætates omnes reſpuit ſciencias, contempſitque illius Profeſſores; & ideò Romani apud Græcos barbari putabantur; ſed ex Græcorum decretis, qui ſanxerunt, medicinam in ſola familia Aſclepiadum eſſe promittendam, quæ omnium nationum fuit nobiliſſima, intra quam per mille annos medicina permanſit, & in illa dogmaticorum ſecta à Deo prius Adamo infuſa, ſuſcitata, & exculta à Sene illo Divino Hippocrate, de quo tenet Macrobius, quod neſcit falli nec fallere. Hic enim ſummus medicinæ Dictator, ut tenet Heurnius, & Moxius fuit inter ſic nominatos ſecundus, Magnus ab omnibus appellatus, natus Coo Inſula inſigni minoris Aſiæ, vixit juxta Rabbi Abraham, *in hiſtoria Cabala*, & Genebrardum *libro* 2. *Chronic.* temporibus Aſſveri Regis Perſarum, & Medorum, quem Joſephus vocat Cyrum: vel vixit tempore Artaxerxis Longimani, Darii filii, ut tenet Iſidorus *lib. de tempor.* vel ut tenet Beda, vixit ſub Artaxerxe Aſſveri Patre, vel potius ut tenet Moxius, ſub iis omnibus vixit, perduxit enim vitam uſque ad centeſimum annum: ex illius epiſtolis convincitur quod floruit Hippocrates tempore Artaxerxis, qui regnavit anno mundi 3730. ante Chriſti adventum anno 437. ab urbe condita 363. Hujuſmodi igitur præclari Profeſſores medicinæ & rationalis ſectæ inſtauratoris ſeu conditoris progenies ex citatis Authoribus hæc fuit. Hippocrates Magnus, fuit genere Dorienſis, licet Coo natus, ut tenet Pius ſecundus, *hiſtor. Aſiæ*: ejus familia fuit Regia, intra quam profitebatur per annos mille medicina, ob quam & ipſimet hujus familiæ Reges Dii habiti ſunt, & ipſi Hippocrati templum fuit dicatum, & decreti honores, ac Sacrificia, quæ Herculi fuerant dicata: Heraclides fuit filius primi Hippocratis, inquit Moxius, qui fuit Gnoſidici, qui fuit Nebri, qui fuit Soſtratis tertii, qui fuit Theodori ſecundi, qui fuit Criſamidis ſecundi, qui fuit Soſtratis ſecundi, qui fuit Theodori, qui fuit Criſamidis, qui fuit Cleamiridis, qui fuit Dardani, qui fuit Soſtratis, qui fuit Hippoliti, qui fuit Podalirii, qui fuit Æſculapii, qui fuit Apollinis, qui fuit e Jovis Summi gentium Regis, & apud obcæcatas nationes Deo-

Digitized by Google

rum, & hominum Patris : unde Hippocrates fuit octavus à Criſam de Rege : ab Æſculapio fuit decimus ſeptimus, à Jove per lineam maſculinam fuit decimus nonus : per maternam verò lineam fuit Hippocrates decimus octavus ab Hercule: fuit enim illius mater Praxiæa filia Phaneretis; hic verò fuit filius Cadmi Coorum Principis, & decimi quinti ab Hercule. Convincitur ex dictis, nullam artium habuiſſe nobiliores Profeſſores, & quod ſi quando medicinæ profeſſores apud Romanos, quo tempore barbari fuerant, hæc ab illis non profitebatur ars, nec ab aliis exercebatur, quàm à mancipiis, quæ ex aliis deducebantur provinciis, in quibus profitebatur; ipſa tamen medicina apud politicos Græcos ſcientiarum profeſſores pro illo eodem tempore non permittebatur profiteri niſi in Aſclepiadarum familia, & ab illis profeſſoribus, qui omnium hominum, qui tunc erant in orbe, nobilisſimi erant, qui tanquam Reges honorabantur, & tanquam Dii venerabantur, quidquid reclamet inſima plebs, ignobiliſq; obtrectatorum cætus. Cœpit medicina : à Deo fuit Adamo infuſa, per filios derivata, ab omnium gentium nobilioribus exculta : & ex ſacræ Paginæ decretis indigna ut abhorreatur, niſi ab imprudentibus, indoctis, & vulgaribus plebejis.

§. III.

Solvuntur objectiones primo propoſita.

AD primum reſpondetur ; quòd Romani per plura ſæcula ſolis incumbebant bellis & regnorum devaſtationibus, omnibus neglectis ſcientiis, & ideò à Græcis barbari vocabantur, ut Cato fatetur ſcribens ad filium Marcellum : *devaſtata* Græcia ſecum adduxerunt cum *Principibus* & aliis magiſtratibus ipſos *Medicos*, quorum ope uſi ſunt, quia utiliores, & *ideo* pro illis temporibus ſoli ſervi Græci erant Romæ Medici, quia apud Romanos non erant medicinę Scholæ. Nec ex hoc ſequitur, quod ideo ſcientia à ſua deciderit præſtantia : Variæ enim Profeſſorum, dignitatum & ſcientiarum fortunæ non derogant quidquam nobilitati earum. Decidit à Pontificia dignitate Joannes 21. In imperio plurimi trucidati ſunt Imperatores, Amurathes Turcarum Imperator, Cræſus Rex Lydiæ, & alii Reges in ſervitutem ſunt redacti, & innumeri omnium artium liberalium, & ſcientiarum Profeſſores ; Sicut ergo horum ſcientiis & dignitatibus nihil derogatur ; ita nec medicinæ ex varia ipſorum fortuna. Quos ſervos vocat ſacra Pagina Joſeph Medicos fuére Chirurgi, quorum muneri incumbit corpora condire, ſeu cadavera; ii enim quia manuali operatione medentur, medici etiam vocantur, ut ſupra diximus.

Ad ſecundum reſpondetur : quod Hebræi ita commiſcentur Theologiæ, Juris prudentiæ & aliis ſcientiis, ſicut medicinæ; nec eſt major ratio, ut vituperetur medicina per ſuos profeſſores Hebræos, quàm Theologia per ſuos Theologos Hebræos, ac Juriſprudentia per ſuos Juriſperitos Judæos.

Ad tertium reſpondet Merola : quòd vulgus omnes irridet dignitates, & artium ac ſcientiarum profeſſores ; Sed Theologiam defendunt Tribunal ſanctæ Inquiſitionis ; & Juris profeſſores defendunt tribunalia, in quibus reſident. Medici verò nullum in ſubſidium habent tribunal, licet habeant

habeant præſtantiora privilegia, quæ à tribunalibus deberent foveri, ut ſupra diximus.

RESOLVTIO VII.

Vtrum Iuniorum quorundam noſtrorum in medicinam dicteria indigeant cenſura Superiorum?

§. I.

Junioris cujuſdam, & aliorum Hiſpanorum notatur dicacitas in medicinam, & ejus Profeſſores.

SCurras vocat Ariſtoteles eos, qui ridiculis excidunt adeò, ut ſtudeant potius movere riſum, quam honeſtè loqui: ſic aliqui apud noſtros plura de medicina, & medicis jocantur, & inter propiores noſtræ ætatis, Poëtæ quidam, qui Comicis emancipantur, & ob ſummam egeſtatem ab eis in victu dependent, ii auræ vulgaris quærunt applauſum, quem conſequuntur promovendo vulgares ad riſum; & hoc modo & arte adquirunt victum, cibos & potum, dum ſcurrilia dicteria effutiunt in medicinam & medicos, quibus Mimi in theatro abutuntur. Ferdinandus Nonius dictus Græcus Commentator Salmanticenſis Profeſſor immemor alumnorum tantæ Academiæ authoritatis grammaticali loquacitate, & dicteriis in medicinam, & medicos invehitur, ſui muneris; non ſui oblitus. D. Franciſcus de Quevedo morum omnium Cenſor Satyricus, omnium actionum Principum ſpeculator, & reformator, omnium Magiſtratuum Doctor; morum Eccleſiaſticorum director; Omnium actionum cujuſvis ſtatus Reipublicæ Calumniator irriſor factus in medicinam, & medicos, per omnium vulgarium ora diffundit cachinnos, effutitis in ipſos dicteriis, in inferno, in ſomniis, in ſua fortuna ſine cerebro, & omnibus ſuis ſcriptis. Junior quidam contendit probare Profeſſores regulæ ſancti Auguſtini, nec alios teneri pro conſervanda ſalute uti medicina. Tùm primò: quia Paulus, Antonius, & Hilarion, aliique ſancti diu in deſerto habitarunt viventes ſine medicorum ope. Tùm ſecundò, quia medicina eſt incerta, & plena ignorantiæ. Tùm tertiò; quia mors & vita pendent ex Dei providentia, quam nequeunt medicina, & medici immutare: Ergò profeſſores Regulæ Divi Auguſtini, & conſequenter reliqui Chriſtiani non debent uti ope medicinæ pro ſuis morbis curandis.

§. II.

Calumniatores medicinæ noſtri temporis refelluntur.

REſolvendum; Quod medicinæ Calumniatores noſtri temporis qui illam irrident, & ejus neceſſitatem contemnunt non indigent noſtra impugnatione, ſed ſuperiorum cenſura. Hoc dogma continet duas partes. Una eſt: quod noſtrâ non indigent Juniores iſti calumniatores impugnatione ulterius. Altera eſt: quod indigent cenſura Superiorum eorum dicteria.

Probatur prima pars: Quia *ſect. 1. p. 1. Reſolut. Medicar. hujus diſputat. reſolut. 9.* Demonſtravimus adverſus Ethnicos, & antiquiores fatum admittentes omnium rerum Opificem, & Gubernatorem; & contra reliquos, medicinam inutilem judicantes ipſam ut neceſſariam fuiſſe nobis à ſummo Deo condonatam.

Digitized by Google

Probatur ſecunda pars: Spiritus ſanctus docet, propter neceſſitatem & medicinam & Medicos ab altiſſimo fuiſſe creatos; & quòd in infirmitate debemus implorare Dei auxilium, & ſimul dare locum Medico, quia illam Dominus in hunc finem creavit, & quod opera ejus neceſſaria ſunt. Ergo qui aſſerunt, medicinam non eſſe ægris neceſſariam; & quod non debent illi dare locum Religioſi aut Catholici, indigent Superiorum cenſura, & animadverſione. Probatur antecedens, *ex libr. Eccleſ. cap. 38. §. Honora Medicum; propter neceſſitatem enim creavit eum Altiſſimus.* Et ibidem: *Altiſſimus creavit medicinã de terra, & vir prudens non abhorrebit illam, nonne in ligno dulcorata eſt aqua amara: ad agnitionem hominum virtus eorum; & dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus honorari in mirabilibus ſuis; in his curans mitigabit dolores & Unguentarius faciet unguenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis. Pax enim Dei ſuper faciem terræ; Fili in infirmitate ne deſpicias teipſum: ſed ora Dominum, & ipſe curabit te, averte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum; da ſuavitatem & memoriam ſimul egenis, & impinguia oblationem, & da locum Medico, etenim illum Dominus creavit, & non diſcedat à te, quia opera ejus ſunt neceſſaria.*

Probatur ſecundò; qui tenent ægros non debere uti medicina, nec ope Medicorum, ſed relinquendos eſſe Dei providentiæ, & ab ipſo expectandam ſanitatem miraculosè, conſulunt Deum tentare, ut faciat miraculum ſine neceſſitate, quod eſt peccatum mortale, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 97. *art.* 1. & tenent Cajetanus *ibidem.* Navarrus *in Manuali cap.* 11. Sanchez *in Summa, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 34. Fagundez *in Decalogo tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 32. Baſſæus *verbo Tentatio Dei.* Dubal *in Comment. ad reg. D. Aug. cap.* 14. Ergo qui expectantes miraculum tenent ægros non debere uti ope Medicorum, poſſunt reprehendi, vel damnari Superiorum cenſurâ, vel caſtigari.

Probatur tertio ex Jure Cæſareo, & ejus Profeſſoribus tenentibus eos, qui non utuntur medicis cum contemptu pro ſuorum ægrorum curandis morbis indignos eſſe, qui poſſint ſuccedere in hæreditatem eorum: ergo qui tenent medicis non eſſe utendum pro morborum curationibus, cenſurâ Superiorum puniendi ſunt. Probatur antecedens à Tiraquello *lib. de nobilit. cap.* 31. *num.* 396. Tùm *ex gloſ. in l. indignum, ff. qui ut indig.* fiſcum advocare poſſe hæreditatem ab hærede tanquam indigno, qui Medicos defuncto dum ægrotaret, non adhibuit. Hanc doctrinam ſequuntur Martinus Laud. *in tract. de fiſco verſ.* 42. Alexan. *Conſil.* 137. *Viſo proceſſu in principio lib.* 7. tum *ex gloſ. in l. ſi ab hoſtibus.* §. 1. *ff. ſol. matrim. dum D. l. indignum*, quæ & hoc voluit, virum, qui uxori ægrotanti Medicos non adhibet, nihil ex dote ipſius lucrari, & ſequuntur ibi DD. & Barthol. *in l. idemq. ff. pro ſocio, & in l. ſi ſervum in princip. ff. de verb. oblig. & in l. bonor. ff. de bono poſſeſſore & in Auth. Dos data, col.* 2. *l. de donat. ante nupt.* & Bald. *in l. juris C. qui admittit ad bona poſſ. & in l. quod in uxorem, C. de negot. geſt. & Conſil* 254. Alex. *Conſil.* 91. *& Conſil.* 123. Viſo proceſſu fere per totum.

Probatur quartò: Qui Medicos non adhibuit alteri, in culpa eſſe ejus mortis judicatur, ſi ipſi pertineret reſpicere pro ejus ſalute; Ergo qui impediunt advocare Medicos, cùm illis imputetur mortis culpa puniendi ſunt Superiorum cenſura, præcipue

ſi ſint

Digitized by Google

ſi ſint Sacerdotes. Probatur antecedens à Tiraquello, *ex §. ſi mancipium, & in l. ſi neceſſitas, ff. de pignor.* & non ſolum impediens Medicum peccat; ſed ſi offerat aliquid ægro contra præceptum Medici, ut tenet Tiraquellus & citati ab ipſo Hoſtienſ. Joan. Andr. & Joan, Ana.

Probatur quinto, ex communi conſenſu Sanctorum Legumlatorum Principum, & ex ipſa natura: Magnus enim Baſilius *epiſt.* 30. Euſthoo Medico inquit: *Mihi ſanè videtur is, qui univerſis vitæ ſtudiis veſtram ſcientiam propoſuit, decens judicium aſſecutus eſt, ſiquidem pretioſiſſima omnium res vita averſanda eſt, & doloroſa, ſi non cum ſanitate hanc habere contingat; Sanitatis autem Coragus & Princeps eſt veſtra ars.* Legumlatores Medicis privilegia innumera, & exquiſitisſimos honores decreverunt: & ex Civilibus Legibus & Canonicis demonſtratur. Principes magnis honoribus & muneribus condecorarunt ſemper Medicos, quorum auxilio fruuntur ad vitæ & ſanitatis conſervationem, ad quorum imitationem idem contendunt omnes Reſpublicæ, Civitates & alii populi & ipſa natura producens in vegetabilibus, mineralibus, & animalibus infinitas virtutes ad corporũ ægrorum curationes demonſtrat neceſſitatem Medicorum, qui illis utantur. Summus Deus, qui medicamenta creavit, & medicinam de terra pro hominum ſalute, & vita conſervandis, & medicinam eſſe neceſſariam, & homines ipſa debere uti commonſtrat; aliàs qui contrarium tenent, debent affirmare, quod Deus & natura fruſtra producit plura ſine neceſſitate, quod indiget cenſura pœnali Superiorum. Cardinalis Paleotus *lib. de bono, p. 1.* inquit eos hæreſim Anabaptiſtarum ſapere, qui medicinam damnant. Tertullianus *in ſcor. c. 5.* ait: *Medicinæ præſidium plures refugiunt ſtulti, timidi aut malè verecundi.*

§. III.

Solvuntur fundamenta Junioris.

AD rationes adductas pro opinione Junioris (ſi opinio dicenda) reſpondetur: Tum pro primo: Quod ex hoc quod ſancti Eremitæ meruerunt à Deo conſervari in ſanitate, non infertur, quod reliqui omnes homines idem conſequantur; vel quod, ut dicit Valleſius de Romanis eos vixiſſe diu ſine Medicis, non ſine medicina tamen, id eſt diæta; vel quod ex hoc, quòd D. Paulus, Antonius, & Hilarion non ſunt uſi medicina, non infertur, quod reliqui Monachi & catholici illa non debeant uti, alias ſequeretur, quod quia ſancta Maria Ægyptiaca, & alii Eremi habitatores non ſunt uſi per plures annos confeſſione, ſacramẽto Euchariſtię, & aſſiſtentia in Miſſæ Sacrificio; nec deberent eiſdem uti reliqui Monachi & Fideles. Tum pro ſecundo. Quod cum ex Ariſtotele, *in lib. Poſteriorum, Scientia ſit habitus certus & evidens adquiſitus per demonſtrationem,* Scientia nequit eſſe incerta, & cum medicina ſit ſcientia, (ut demonſtravimus) debet eſſe evidens & certa. Si verò Profeſſores non ſequuntur, quæ in illa ſunt ſcientifica; Sed ſub illa ſunt vel opinabilia, vel erronea, ex hoc non ſequitur, quod ſcientia non ſit proſequenda; aliàs nec Theologia diceretur certa, nec poſſet dici aliena ab ignorantia cum plures ejus profeſſores devient ab iis, quæ docet Sacra Pagina, ut probavimus; nec certa,

cùm

Digitized by Google

cum plures ejus profeſſores incerta proſequantur, ut hæretici, & alii, quos videmus ſuſpectam ſequi doctrinam, & erroneam. Tum pro tertiò, *ſuprà* diximus, & nunc, quod quæſtio; An pro proſequenda ſanitate teneamur uti medicorum ope, & pro beatitudine proſequenda propriis meritis? An tantum hoc relinquendum Divinæ providentiæ? concidunt: & qui negant nos indigere medicina, & medicis pro ſanitate conſequenda, debent negare nos indigere propriis meritis pro conſequenda beatitudine, quod eſt contra Divi Pauli doctrinam, qui aſſeveranter docet, *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te, ſine te,* Niſi incidant in errorem Lutheri, qui tenet legenda interrogativè, cui in pluribus hic author videtur annuere.

Infero ex dictis hoc dilemma: qui affirmant medicinam, & medicos non eſſe neceſſarios pro morborum curatione, vel ipſi in infirmitate utuntur eorum ope, vel non; Si utuntur, ſunt fallaces, & mendaces: Cum aliud ſentiant, & aſſeverent, & aliud operentur; Si in infirmitate ſua non dant locum medico, præterquam quòd deviant, à Conſilio Spiritus Sancti, præſumuntur eſſe furioſi, ut tenet Tiraquellus, *de nobilit. cap. 31. num. 397.* & probat, *ex cap. providendum in verbo Inferas* 83. dicens: eum præſumi furioſum, qui ægrotans prohibet ſibi dari medicinas, quem ſequitur *Spec. tit. de Salar. §. ult. verſ. Sed ſi quis infirmus,* & ex Theolog. tenent Anton. Flor. *in 1. p. 3. p. principio ſuæ ſummæ tit. 7.* Ex quibus patet quam infirma ſit aſſertio negantium medicinæ neceſſitatem, & quam pericuſa.

RESOLVTIO VIII.

Vtrum Plinii, & vetuſtiorum aliorum dicacitas, & dicteria, obſtent medicinæ præſtantiæ?

§. I.

Plinii, Catonis, & aliorum dicteria proponuntur.

Apud vetuſtiores medicinæ Inventores, & præclari profeſſores illius tanquam Dii colebantur apud prudentes; Sed apud infimæ ſortis homines, vulgareſque. ſicut & noſtris temporibus aliqua ipſi objiciebantur dicteria, Georgias Leontinus Polo, & alii Sophiſtici ejus profeſſores medicinæ objiciebant quod eſſet ars inutilis, quos *in libris Iſagogicis,* Hippocrates confutavit; Plinius apud Romanos inconſtanter & mendaciter, ne dicam procaciter, poſtquam fatetur, quod nulla ars medicinâ eſt fructuoſior, ſtatim ipſi opponit. Tùm *lib. 29. cap. 1.* Quod non eſt neceſſaria; quia per Sexcentos annos Romanus populus permanſit ſine medicina, & medicis. Tum ſecundò: quod Romanus populus exulavit medicos à Civitate. Tum tertiò: quod medicina nullis certis principiis inſiſtit: ſed quotidie mutatur in varias Sectas, & variatur ex placito profeſſorum, & illi præpollent, qui eloquentiores, & eorum eloquentiæ ſubjiciebatur ſalus, & vita ægrotantium. Cato verò, ut tenet Plutarchus, odio, & ſuſpicione proſequebatur medicos. Tum quia, ut loco citato tenet Plinius, ſcribens ad Marcum filium ſuum, inquit: *dicam de iſtis Græcis ſuo loco Marce fili.* Ubi medicos Græcos ſuſpectos eſſe dicit, quia jurarunt Barbaros necare omnes

[redacted]

Digitized by Google

omnes medicinâ, & quia hoc mercede faciunt. Tum ſecundò, quia barbaros vocabant Romanos, & eos alii ſopprobriis offendebant. Tum tertiò, quia illam artem non profitebatur Romana gravitas. Tum quartò, quia in hac artium ſola evenit, ut cuicunque medicum ſe profitenti ſtatim credatur, cum ſit periculum in nullo mendacio majus. Tum quinto, quia nulla eſt lex, quæ puniat inſcitiam capitaliter; nullum exemplum vindictæ.

§. II.

Plinii notatur dicacitas, convincitur mendacium.

Reſolvendum. Quod Plinii garrulitas eſt plena mendacii, & inſcitiæ, & Catonis magis procax quam gravis dicacitas, nihil imminuit de medicinæ pręſtantia, ſic promimus, 1. *p. Reſolut. medicar. Sect.* 1. *Reſolut.* 1. & *ſect.* 1. *hujus diſput. Reſolut.* 9. Et præter alios tenent Philelac Theologus Pariſienſis, & latiſſimè comprobat contra Plinium, & Valleſius, *lib. de Sacra Philoſophia*, & Francus, *in Campo Elyſio quæſt.* Probatur primò: quia fruſtra opponit dogmaticæ medicinæ, quod ſit inconſtans, & in varia principia mutata, ipſa enim (ut probavimus *ſect.* 1. *hujus diſput.*) *eſt Scientia*, *hæc* ex Ariſtotele, *in libr. Poſterior. eſt habitus certus, & evidens adquiſitus, per demonſtrationem*: Et ſcire ex eodem, eſt *rem per ſuas cauſas cognoſcere, quoniam illius ſunt cauſa, & quod aliter ſe habere non poſſit*. Cum igitur medicina ſit Scientia, & hæc faciat ſcire, fruſtra, grammaticalis Plinii garrulitas ei opponit incertitudinem. Tum quia mutabilitas in medicina non fuit in ipſa ſcientia, quæ ex principiis neceſſariis pendet, & immutabilis eſt, ſed in ſectis, quæ in illa ſunt inuentæ (ut probavimus) diverſis in principijs, & ortæ à diverſis inventoribus illarum, quæ deberent culpari à Plinio, non enim Medicina Dogmatica, quæ ſcientia eſt à Deo creata, cuius inſcius Grammaticus Plinius non adeptus eſt Dogmaticę medicinæ conſtantiam, & immutabilitatem iuxta ſua neceſſaria Dogmata. Tum quia Dogmatica medicina ſemper eadem permanſit à Deo Adamo communicata, in filios derivata, per Hebræos in Ægyptios tranſlata, ab ipſis à Græcis emendicata & inter iſtos ab Hippocrate ad ſummum culmen ipſa jam collapſa fuit evecta; & licet poſt Hippocratem ab ipſa diſceſſerunt Acron, Agrigentinus Sectæ Empiricæ Conditor, Theſſalus, & alii, qui invenerunt Methodicam, Menodorus, Heraclides, Temiſon, Archigenes, Vectius, Valens, Crinas Maſſilienſis, ob quos, inquit Plinius: *Mutatur Ars, & ingenti Græciæ flatu impellimur*. Ipſa tamen Dogmatica medicina, ut ſupra probavimus in Hippocratis Schola permanſit in Polibo, & eius ſucceſſoribus, per quos pervenit ad Galenum, Avicennam, & eorum diſcipulos, uſq; ad noſtra tempora, in quibus ex eorum doctrinis per plures Doctiſſimos Succeſſores adaucta docetur in ſcholis, & Univerſitatibus totius Europæ: Ergò ex dicteriis Plinij, nihil aufertur Dogmaticæ medicinæ de illius ſplendore, & præſtantia.

Probatur ſecundò: Quia opponit Plinius medicinæ, & medicis, quòd ſine illis permanſit populus Romanus per ſexcentos annos, quod ipſi non obſtat. Tum quia idem contingit medicinæ, quod Grammaticæ de qua dicit Suetonius, *Grammatica*

tica quidem Romæ nec in uſu quidem, ne dum in honore ullo erat, rudi ſcilicet ac bellicoſa etiam tum Civitate ne dum liberalibus diſciplinis magnopere vacante. Ex quo apparet, non tunc incubuiſſe ullis artibus, & ut diximus 1.p. *Reſol. Medicar.* Romanus populus, de ſceleratis & nocentibus coaluit, ut tenet Livius *lib. 1. Decad.* Et ultimo canit noſter Lucanus *lib. 7.*

Romulus infami complevit mœnia Luco.

Et Juvenalis *Satyra* 8. Romani populi originem refert:

Et tamen ut longe repetas, longeque repetas.
Nomen ab infami gentem deducit aſylo:
Majorum primus, quiſquis fuit ille tuorum:
Aut Paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Quo tempore ſicut non obſtat reliquarum artium præſtantiæ; nec Theologiæ omnium nobiliſſimæ, quod nulli fuerint Romæ illarum profeſſores; nec obſtabit dogmaticæ medicinæ. Tum (quia ut diximus ex Valleſio *lib. de ſacra Philoſophia, cap. 71.*) hæc eſt præſtantia medicinæ, quòd potuerunt Romani vivere ſine aliis ſcientiis non tamen ſine medicina, cum uſi fuerint diætâ, quæ pars illius eſt, quam dum amiſerunt, indiguerunt medicorum ope, ut fatetur Plinius. Tum quia Lucio Æmilio, & Marco Lucio Conſulibus, anno ab urbe condita 535. ut Plinius ex Caſſio Hemina refert Romani Archiagatum medicum ex Peloponeſo deduxerunt in civitatem, jure Quiritum honorarunt eum, ex quo Plinius mendacii à ſe ipſo convincitur, aſſerendo intra paucas lineas Romanos per ſexcentos annos fuiſſe ſine medicis; & affirmando, quòd eodem tempore, quo erant ſine illis exularunt eos. Tum convincitur alterum Plinii mendacium, quod ſcilicet exules fuerunt à principio Romanis Medici Græci: Non enim Romam venerunt, niſi ut ſervi, præter Archiagatum, & hoc contigit ſubacta Græciâ anno ab urbe condita 550. fruſtrà ergò illos exules fecit ante eorum adventum. Tum quia nec Catonis procacitas quidquam opponit præſtantiæ medicinæ; nam ſi qui medici ab ipſo damnantur, vel ſunt Græci, qui in ſervitutem redacti à barbara oppreſſione Romanorum, nihil mirum quòd amarent libertatem, & eam conſequi optarent, ut ab injuſta tyrannide liberarentur, ſi loquitur de Romanis medicis, & aliis, quorum (ut Tacitus refert) Eudemus veneno Interfecit Druſum: Xiliphinus tenet, Marcum Antonium veneno occiſum à ſuo Medico. Tullius tenet Niciam, Timocarimve Pirrhi Medicum pretio corruptum promiſiſſe eum extinguere veneno. Conradus Imperator à Medicis exhibito veneno interfectus fuit, & Vectius Valens Medicus Meſſalinæ Claudii Uxoris Imperatoris adulterio nobilitatus fuit; Sed hæc fruſtra Cato imponit vitia medicinæ, quia (ut refert ipſe Plinius) vitia hujuſmodi non artis ſunt; ſed hominum improborum, qui illam profitentur, quique pravè utuntur ſuo munere, quod commune eſſe Profeſſoribus omnium artium comprobat Francus. Tum quia Cato vel luxum Romanorum contendit vitare oblatâ medicinâ, ne enervarentur nimis attenti ſuæ ſaluti, eorum vires, & ipſi nimis illi deditî, minus appeterent armorum labores; vel ut diximus, quia vanus aſpernebat medicinam, & reliquarum artium profeſſores, quaſi ipſe ſolus aptus natus ad illas; vel

quia

quia timebat Græcos Medicos ob vindictam ſuæ patriæ, tentati eos vindictam per medicinam conſequi à Romanis, quorum neutrum præſtantiæ medicinæ obſtat. Tum quia quo tempore poſſet Plinius objicere, quòd Archiagatus & poſt ipſum alii ſcelerati Medici fuerunt è Roma expulſi, Archiagatus, quia crudelis, exercebat artem contra præcepta Hippocratis, qui docet curationes debere fieri *tutò, citò, & jucunde*; Et ideò Cornelius Celſus & Galenus ſanxerunt, quod non debent infamari remedia, & hoc vel per crudelitatē; vel quia non in tempore fiant. Reliqui verò expulſi aut damnati fuerunt, (ut diximus) ob eorum perpetrata ſcelera, quæ hominium & non artis ſunt vitia, ex quorum neutro nihil deperditur de medicinæ præſtantia. Tum quia Valleſius, Francus, Fileſac, Minderenus mendacii Plinium convincunt ex doctrina Dionyſii Halicarnaſſei, qui *lib* 10. inquit: *Anno urbis* 301. *Olimpiade* 82. *Publio Horatio & Sexto Quintilio Conſulibus peſtilentia Romam invaſit, quanta antea nunquam, quæ ſævitia conſumpſit pœnè omnia, & Civium partem communiter dimidiam Medicis in tanta ægrotantium multitudine minimè ſufficientibus.* Ergo mendacii convincitur Plinius aſſerens: ſine medicis ſtetiſſe Romanum populum, uſque ad adventum Archiagati, anno 535. ab Urbe condita, & multò magis dum ſibi contrarius ibidem tenet: quòd fuit Roma ſine Medicis per ſexcentos annos; nec mirandum, quia ut tenet Francus ab antiquo fuit in proverbio, mentitur ſicut Plinius.

Probatur tertio. Reliquæ artes & ſcientiæ fuerunt à Romano populo exules diverſis temporibus. Tacitus *libr.* 17. refert, Mathematicos Claudii tempore Senatusconſulto ex Italia expulſos, Crinitus *lib.* 5. *de honeſta diſciplina* tenet, Poetas ſimili modo fuiſſe Romà expulſos. Rodiginius & Athenæus referunt, philoſophos etiam expulſos fuiſſe à Romanis. Suetonius Grammaticam omiſſam fuiſſe ab antiquis; exulaſſe Rhetoricam Romanos: & Tacitus conqueritur, quòd omnes artes fuerunt à Romanis expulſæ, inquit, *expulſis inſuper Sapientiæ Profeſſoribus, & omni bona arte in exilium acta.* Ergo licet verum eſſet, quod Medici fuerint in exilium acti, cum reliquis Profeſſoribus, tamen nec id eorum artibus opponitur; nec aliquid aufert de ſuarum artium præſtantia.

§. III.

Satisfacimus objectionibus adductis ex Plinio & Catone.

AD Plinii dicteria dicimus, Tum pro primò. Quod ex dictis conſtat, convinci mendacii Plinium, & licet eſſet verax, non obſtaret medicinæ, ſicut & reliquis artibus non obſtitit, non fuiſſe receptas, nec obſtabit Theologiæ; nec nunc obſtat à pluribus Barbaris nationibus non fuiſſe receptam adhuc. Tum pro ſecundò; quod probavimus, omnes artes fuiſſe è Roma expulſas, & eorum Profeſſores, & licet eſſet verum, exules fuiſſe Medicos, ſicut reliquis artibus id non opponitur; nec deberet opponi medicinæ. Tum pro tertiò. Quod nec obſtat medicinæ dogmaticæ varias ſub illa fuiſſe ſectas, & earum diverſa principia & diverſos ſectatores, ſicut nec obſtat Theologiæ multiplex hæreſis ſub illa: & multos fuiſſe Hæreſiarchas. Medicina enim Dogmatica, quæ

Digitized by Google

Scientia eſt, ſemper *eſt habitus certus & evidens adquiſitus per demonſtrationem*, ex Ariſt. *lib. Poſteriorum.*

Ad invidum Catonem odio & ſuſpicione abhorrentem medicinam dicimus. Tum pro primo ; quòd Græci Medici conantes barbaros Romanos tyrannide patriam occupantes offendere, non auferunt aliquid de medicinæ ſplendore ; nec qui id mercede faciebant : quia (ut inquit ipſe Plinius) hæc ſunt vitia profeſſorum, non artis. Tum pro ſecundò: Quod medicinæ ſplendor, & præſtantia non pendet ab hoc quòd Romani fuerint barbari, & tyranni, & Græci eos ut tales notaverint. Tum pro tertio : quod Romani ante Romam conditam fuerunt paſtores, & latrones, nec artem aliam cognoverunt : poſtea verò fuerunt latrones, & milites vocabantur, & ideò furtis, homicidiis, & lenociniis intenti, nec medicinam, nec alias artes profitebantur : imò continuò earum profeſſores edicto ab urbe exularunt. Tum pro quarto: quod vulgus dogmaticæ medicinæ inimicus, quia imprudens ob ejus dedecus cunctos admittit Medicos eſſe: Sed ex ruditate vulgi nihil opponi debet (inquit Hippocrates) arti; & quia pro medicis recipiunt eos, qui ut Tragœdi perſonam medici agunt. Tum pro quinto : quod leges puniunt malitiam , non tamen eventus probabiles, quos nequit prævenire prudentia : inquit enim Galenus *lib. Meth. Nunquam aberrare ſupra hominis captum eſt : errare quam minimè ſolius optimi Artificis.*

***

RESOLVTIO IX.

Vtrum Conciliatoris dicacitates in medicinam minuant illius præſtantiam?

§. I.

Proponuntur dicacitates Conciliatoris, & fundamenta illarum.

Petrus Aponenſis Conciliator dictus, Medicus Patavienſis plures dicacitates effutivit in medicinam & Medicos, *different.* 1. *& in* 7. inquit : Eſt autem ſciendum, quod Medici ut in plurimum malorum ſtant morum ; tum quia ex vili ſtirpe & ſterili originem contraxerunt, intumeſcentes demum, & contumelioſi facti cùm fuerint aliqualiter incraſſati. Tum etiam quia medicinæ ſcientia & ſimpliciter curativa , maximè Scorpioni tributa eſt, & Marti quorum proprietates in malum tendentes ſunt tactæ. Conſervativa verò magis Tauro & Veneri ; his in nomine trinam incitantibus luxuriam: unde naturaliter probus Medicus malorum dicendus morum. Tum etiam, quia ſcientia hæc non de virtutibus ac moribus determinat, ſed de naturalibus tantum. Præterea depingens malos mores Medicorum , inquit, quòd ſunt æmuli detractores, oblocutores elati, ambitioſi, loquaces, ſcientiæ alicujus & laudum detrectatores, pecuniæ & vanæ gloriæ & ſuperbiæ inhiantes, Dei etiam incultores , omnifariamque aſpernentes. Et *differentia* 1. dicit ; quod Medicus eſt invidiæ pelagus, inexhauſtum detractionis organum ; indefenſæ aut indefeſſæ ambitionis perforata Clepſydra , alienæ veritatis garrulus prædictor, ignorantiæ proprię

priæ

priæ inconſtantisſimus inconfeſſor, inexcuſabilis ægrorum neglector, & ut patet ex dictis, hęc omnia neceſſaria eſſe dicit. Tum primò, quia medici originem ducunt ex vili ſtirpe. Tum ſecundo; quia medicina curativa tribuitur Scorpioni & Marti: Conſervativa Tauro & Veneri, quorum proprietates tendunt in malū. Tum tertiò, quia medicina eſt ſcientia, quæ non agit de virtutibus ac moribus, ſed de naturalibus. Ergo dogmatica medicina non debet judicari præſtantisſima reliquarum Artium.

§. II.

Aponenſis dicacitates infringuntur; Medicinæ præſtantia tuetur.

Reſolvendum, quod impius Conciliator incapax eſt, ut ſuis dicacitatibus poſſit imminuere medicinæ dogmaticæ præſtantiam.

Probatur primò ex antecedenter dictis de medicinæ dogmaticæ præſtantia, de ejus origine; & quia à Deo fuit hominibus communicata tanquam ſummum donum in ſubſidium ſalutis, & conſervationem vitę hominum. Tum ex eo quod probavimus, nullam aliam præſtantiores habuiſſe Profeſſores Pontifices, Imperatores, Reges, & innumeros Sanctos in Eccleſia receptos, & ſummo honore celebratos, qui mendacem conatum Aponenſis convincunt, cum nullis ſint infecti pravis moribus, quos ipſe contendit adaptare omnibus Medicis.

Probatur ſecundò: Vel ipſe Conciliator mendax fuit, & omnes illi pravi mores, quos contendit eſſe communes omnibus Medicis: etiam fuerunt illi proprii; Vel fuit verax, & ſine illis vitiis & pravis moribus vixit. Si fuit mendax, & vitiis à ſe relatis contaminatus, indignus eſt ut illi credantur opprobria, quæ effutit contra reliquos; ſi verax fuit, & illis caruit vitiis, ſicut & ille potuit eſſe medicus ſine illis, poterunt & reliqui, ergo ex ejus dicteriis & loquacitate non poteſt minui præſtantia medicinæ.

Probatur tertio: Si medicina ſuos redderet pravos Profeſſores, maximè ut ille dixit, quia eſt ſcientia naturalis, & non agit de moribus; ſed hæc ratio convincit, quod non faciat illos pravorum morum, quia cum non ſit ſcientia moralis, non docet bonos mores, ſimiliter nec malos mores; ſed rerum naturalium cognitionem.

Probatur quartò; ſi medici fierent pravorum morum: & deberent haberę omnes pravos mores, quos illis adaptat Conciliator, maximè ut ipſe tenet: quia medicina ut curativa adaptatur Scorpioni & Marti; & conſervativa Tauro & Veneri, à quorū influxibus medici fiunt pravi: Sed hoc fundamentum eſt futile & impium. Ergo nihil imminuit de præſtantia medicinæ dogmaticæ. Probatur minor. Tum quia ex eo quod appropriatis his aſtris non conſtat, quòd aſtra aliquos influxus imprimant in Scientia, quæ qualitas eſt, & etiamſi imprimerent, ſcientia non poſſet ſuis profeſſoribus communicare illos, nec ipſa habet alios effectus, quam facere ſcire, & adhuc ſi aliquos poſſet influxus communicare non æquè in omni regione, in omnī ætate, in omnī temperatura, in quocumque hanc aut illam legem ſervante poſſet æquè omnes malos mores imprimere. Tum quia aſtra diverſa aſſignat Conciliator pro medicina conſervativa, ac pro curativa. Ex quo apparet: quod medici

Digitized by Google

dum agunt de conſervanda ſanitate, diverſos habent mores, & vitia, quam dum agunt de curandis morbis. Tum quia aſtra per ſuos influxus nequeunt cogere omnes medicos ad tot pravos mores, niſi cogant illorum voluntatem, quod efficere non poſſunt, ut docent Sanctus Irenæus, *libr.* 4. *cap.* 71. Origenes *lib.* 2. *contra Celſum,* Clemens Alexand. *lib. Stromm.* Euſeb. Cæſarienſ. *lib.* 6. *de præpar. Evang. cap.* 5. D Baſilius, *ſerm. de lib. arbitr.* D. Athanaſ. *ſerm. de Paſſione & Cruce,* Nazianz. *lib.* 9. *phil. c.* 3. S. Joan. Chryſoſt. *Hom.* 60. *in Matth.* S. Epiphan. 16. S. Joan. Damaſcen. *lib.* 2. *de fide* S. Cyril. Alex. *lib.* 1. *in Joan.* Tertul. *lib.* 2. *adverſ. Marcionem.* S. Epiphan. *Hereſ.* 16. S. Cyprian. *epiſt. ad Cornel.* S. Hilar. *Pſal.* 2. S. Auguſt. *lib.* 5. *de Civit. Dei.* S. Leo, *ſerm.* 16. *de Paſſione.* S. Bernard. *lib. de gratia Dei.* Tum redolet impietatem Aponenſis, quod contendat cogi medicos ab Aſtris, ut habeant tot depravatos mores, auferens ab illis liberum arbitrium, quia medici ſunt, cujus contrarium tenendum docet pluribus in locis ſacra Pagina *in Geneſ. cap.* 4. & in Eccleſ. *cap.* 15. *Appoſuit* (inquit,) *tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum, ante hominem vita, & mors, bonum & malum quod placuerit ei dabitur illi.* Ergo adhuc ſi admittantur confićti ab illo influxus, liberi manent medici ad debitè operandum, ut demonſtrat experientia; nec figmentum Conciliatoris, ſeu impietas illius valent minuere medicinæ præſtantiam.

Probatur quartò: Aponenſis impius fuit homo; nec in moribus medicorum recenſendis poteſt habere authoritatem: odio enim illos proſequebatur, quia illum contemnebant, & oppugnabant tanquam Apoſtatam non ſolum propriæ profesſionis medicinæ; ſed etiam fidei, & Catholicæ Religionis; Magiæ enim deditus, & dæmonum commercio aſpernebat medicinam, quia donum erat Dei in ſalutem hominum ab eo condonatum, & illius profeſſores; quia ut docet ſacra Pagina, in hunc finem ſunt deſtinati; ideòque omnis credulitatis incapax factus fuit ob dæmonis commercium, cui ſe emancipavit, ut inquit Caſtellanus in ejus vita: §. *Tandem circa annum ætatis* 80. *Magiæ ſuſpectus à Quæſtoribus ſacrarum cognitionum, in jus vocatur; ſed procedente lite mortuus eſt anno* 1305. *ut author eſt Bernardus Scardeon lib.* 11. *claſſ.* 9. *hiſtor. Patavinæ; nec ſic tamen è manibus Iudicum elapſus in effigie ſupplicium tulit, quæ, lecta condemnationis ſententiâ flammis tradita ſeverè animadverſionis exemplum præbuit.* Ergo incapax fuit homo, ut ſuis dicacitatibus impioque conatu valuerit imminuere præſtantiam medicinæ dogmaticæ.

§. III.

Solvuntur fundamenta ex Conciliatore propoſita.

AD dicacitates hominis dæmoni emancipati, & qui dæmoniaco furore adſcribere conatur medicinæ Profeſſoribus, quæ poſſibilia eſſe omnibus hominibus judicavit, ſatisfecit: Quod in medicinæ profeſſores ferebatur tanquam inſanus, & incapax ferendi eorum conſilia, per quæ conabantur illum avertere à ſua impietate, & commercio cum dæmonibus. Tum pro primo fundamento dicimus, quod ex illo poſſet inferre eadem vitia pravoſque mores communia eſſe reliquarum artium profeſſoribus, cum in illis

etiam

etiam ſint plures ex ſtirpe vili orti: & poſſet inferre non omnibus medicis vitia illa eſſe communia, cum non omnes ex vili ſtirpe ſint. Tum pro ſecundo; quod ex eo quod tribuatur iis Aſtris non infertur, quod illi ſint pravorum morum ob rationes quas attulimus, & quia vidimus plures medicos Sanctos; & conſtat omnibus relinqui liberum arbitrium, ad bene operandum. Tum pro tertio; quod ex eo quod medicina eſt Scientia, quæ agit de naturalibus, & non de moribus, convincitur, quod illa non movet ad pravos mores ſequendos; nec ut ſui profeſſores ſint pravorum morum, poteſt eſſe cauſa.

RESOLVTIO X.

Vtrùm obſtet medicinæ praſtantiæ uti aliquibus rebus ſordidis pro hominum ſalute?

§. I.

Proponitur pars affirmativa cum ſuis fundamentis.

Caſanæus, Ripa, & alii Juriſproſeſſores medicinæ opponunt, quod agit de rebus ſordidis, lotio, & excrementis. Tiraquellus plura adducit, de quibus egerunt Medici, *lib. de nobilit. cap.* 31. Dioſcorides enim *lib.* 2. *cap.* 90. tractat de fimi virtutibus, Galenus *lib.* 10. *de ſimplic. medicam. facult.* plura proponit ſordida medicamenta, Plinius plura refert excrementa pro morbis utilia, Galenus ad Sinanchen, laudat fimum caninum & hirundinum: Avicenna, ſtercus gallinæ utile judicat. Albertus, canis ſtercus proponit pro adſtringendo ventre: Lupi ſtercus pro colicis doloribus laudat Galenus: & ſpumam & ſordes equi Plinius. Aſclepiades plura propoſuit hujuſmodi remedia: Conſtantinus egit de ſtercore columbarum, Arnaldus ponit Aſini ſtercus pro icterica, & alii ſtercus anſeris. Paulus laudat ſtercus omnium animalium, Aëtius vermes ex vipera putrefacta ortos, & ſic alii innumera alia excrementa proponunt pro morbis curandis; ex quibus infertur, obſtare medicinæ præſtantiæ. Tum primò, quod medici lotio, & aliis excrementis utantur, tanquam ſignis demonſtrantib. cognitionem morborum: ſuarum cauſarum, vel partium affectarum. Tum ſecundo, quod eiſdem excrementis ſordidiſque aliis rebus utantur pro morborum curatione, ipſa ægris applicando.

§. II.

Tuetur medicina dogmatica præſtantia à ſuis obtrectatoribus.

Reſolvendum: Quod non obſtat medicinæ præſtantiæ uti ſordidis medicamentis, & ſignis pro ſalute hominum conſequenda.

Probatur tum quia non obſtat Supremæ Dei bonitati, & benignitati verſari circa eaſdemmet res, tribuendo illis rationem ſigni, vel virtutes medicinales, propter quas eis Medici utuntur pro ſanitate hominum. Tum quia nec obſtat clementiæ Domini noſtri JESU CHRISTI quod luto, & ſaliva uſus fuerit pro cæcitate ægri curanda. Tum quia nec obſtat Angelo Raphëli, qui medicina Dei dicitur: quia à Deo miſſus fuit ad curandam cæcitatem Tobiæ, quod ob ejus ſalutem uſus fuerit felle piſcis, licet miniſter Dei. Tum

nec

Digitized by Google

nec obſtat Theologiæ omnium ſcientiarum præſtantiori, quod pro ſalute animarum agat circa matrimonii ſacramentum de pluribus obſcænis, & præcipuè in ſexto præcepto Decalog. de peccato nefando, & aliis nefandis circumſtantiis, & rebus indignis ut caſtis auribus proferantur. Tum nec obſtat præſtantiæ politicæ, quæ eſt ſcientia medicinæ affinis; quod ſui Profeſſores verſentur circa res ſordidas, & excrementa pro ſalute Reipublicæ: Imperatores enim & Reges plures condiderunt leges: Magiſtratus Reipublicæ eaſdem curant leges obſervari; Juris profeſſores eorum miniſtri probant, & defendunt eaſdem leges, in quibus agunt, ut diximus de Cloacis, Sterquiliniis immundis rebus, ſtabulis. Læpa, *de ſervit. vrbis c.* 48. probat, non eſſe licitum privato aperire Cloacam. Ripa, qui in medicos plura opponit, nulla in Latrinis Sterquiliniis. immundiſque aliis locis ſunt immunda, in quibus ſe non immiſceat, *libro de Peſte.* Pluraque cognovit (quam reliqui) de Cloacis. *Ferraria,* (inquit Canonherius) *miniſter eſt deſtinatus Juris Profeſſor, qui decem ſolidis conducitur, ut verſetur per totam urbem in videndis omnibus latrinis.* Agunt alii de ſervitute Vaſariorum, de Sterquiliniis, omniumque excrementorum receptaculis, ut ſupra diximus, propter mundiciem, & ſalutem Civitatum. Tum nec obſtat Magiſtratui verſari circa facinoroſos, ipſos cruciare, punire, & occidere, & poſt mortem dilacerare propter ſalutem Reipublicæ. Tum nec obſtat Geometriæ; quod Architecti agant de domo, latrinis, & luto, quo convincitur; quia ii omnes agunt de ſalute animæ, vel Reipublicæ, hæc ſpeculando pro illa, & committendo ſuis miniſtris operationes, circa ſordidas has materias. Ergo nec obſtat medicinæ præſtantiæ, quod agat de excrementitiis, & ſordidis rebus, ſpeculando rationem ſigni in illis ad morbos cognoſcendos, vel earum virtutes, ad ipſos curandos, & conſequendam hominum ſanitatem; præcipuè cum omnia agenda committant ſuis miniſtris.

Probatur ſecundò à Tiraquello: quia ex eo quod lotio, & aliis excrementis medici utantur pro levandis morbis, calamitatibus, cruciatibus, & doloribꝰ ægrorum, potius benignitas, & charitas eorum venit laudanda, quàm vituperanda; Ergo non obſtat medicinæ præſtantię, ſicut nec ſupremis hominum dignitatibus, quod viſitent ægros, & ſepelient mortuos, & alia exerceant humilia munera ob charitatem.

Probatur tertiò: Medici non agunt de excrementis, & rebus ſordidis, ut talia ſunt, ſed tantum quatenus conducunt ut ſigna ad cognitionem morborum; vel has aut illas habent medicinales virtutes: ſigna autem, & virtutes medicinales rerum nullam ſordiciem includunt; Ergo eorum cognitio non obſtat medicinæ dogmaticæ præſtantiæ, præcipuè cum illorum uſum non ad medicos, ſed ad miniſtros pertinere conſtet.

Probatur quartò: Cognitio excrementorum, ut ſunt ſigna, aut medicamenta utilia pro morbis curandis honeſtior eſt, quàm illorum applicatio, vel generatio: ſed nulla eſt dignitas hominum, ſub qua non contingat hæc generare excrementa, vel illorum uſu indigere, ergo ſicut eorum dignitati hoc non obſtat, nec horum cognitio

gnitio obſtabit medicinæ dignitati, & præſtantiæ.

§. III.

Solvuntur propoſita primò dubitandi rationes.

AD primam propoſitam rationem dicimus, quod Medici agunt de lotio, & aliis excrementis, non ut talia, ſed ut ſigna ſunt diſpoſitionum, quæ ſunt in corpore, quod non eſt indecens, ſed neceſſarium ad finem ſcientiæ, qui eſt conſequutio ſanitatis in ægris; ſicut ſimiliter nec eſt indecens Theologis agere de pluribus obſcænis rebus, quæ conducunt cognoſci pro ſalute animarum. Tùm pro ſecundo Quod ſimilis eſt ratio, ut non ſit indecens agere de virtutibus medicinalibus repertis in aliquib, rebus ſordidis, nec tamen iis ſemper utendum eſt; ſed dum defectu aliorum cogit neceſſitas ad horū uſum. Aëtius *tetrab. 1. ſerm. 2. c. 84.* carpit Zenocratem, & alios utentes ſine neceſſitate ſordidis medicamentis, & *cap. 108.* dicit: *Nos abominati ſumus talia facere cum alia Pharmaca ſint ad manum*; & addit inſuper. *At verò bibere urinam in difficili ſpiratione, quæ erecta cervice contingit quemadmodum aliqui prodiderunt, non eſt neceſſe, cum ſint alia plurima Pharmaca, quæ huic malo opitulantur.* Si autem non fuiſſent, cogeretur medicus ſub pœna peccati uti quibuſlibet, licet ſordidis medicamentis, quæ cognoſcat utilia pro morbo profligando, & liberanda vita.

***

RESOLVTIO XI.

Vtrum obſtet præſtantiæ medicinæ quod ſit religioni contraria?

§. I.

Proponitur affirmativa pars & fulcitur.

QUi ex medicinæ opprobriis ſaginantur, illi opponunt, quod Religioni opponitur, & hoc probare contendunt. Tum primò; quia ſic videtur deduci ex ſacris Canonibus, *cap. contraria diſtinct. 5. de conſervat. in 3. p. decretal.* Tum ſecundo, quia impedit carnium abſtinentiam ab Eccleſia ſancitam. Tum tertio, quia Coſmeticam docet artem, cum qua mulieres ſunt hominibus irritamentum. Tum quarto, quia prohibet jejunium tot ſanctionibus ab Eccleſia ſancitum. Tum quinto; quia tanquam noxias damnat continentiam, & Virginitatem à Chriſto Domino, & Apoſtolis tantopere commendatam. Ergo habet rgulas religioni oppoſitas, ob quas ejus imminuitur præſtantia.

§. II.

Medicina nullis ſe opponit præceptis Eccleſiæ.

REſolvendum, quod non opponitur religioni ſed ejus præcepta juvat adimplere medicina dogmatica: communis eſt hæc doctrina.

Probatur: tùm quia D. Thom. *in 4. ſent. diſt. 51.* notat tanquam imprudentes eos, qui jejunio ſe ita macerant, ut amittant ſanitatem, ex quo apparet, quod Medici conſulentes illis, qui ſine prudentia jejunio utuntur, ut ſe temperent in illo, juvant adimplere præceptum jejunandi, quod jeju-

nium non utcumque ſancivit, ſed illud, quod non opponitur ſaluti. Tum quia authoritas text: *in cap. contraria de conſecrat.* non loquitur de Medicis, quibus Eccleſia committit diſtinguere perſonas, quæ ob ſanitatem conſervandam non tenentur ad jejunium aut abſtinentiam carnis; ſed de illis, qui devianres ab Eccleſiæ præcepto; vel nimis indulgent nutui petentium hanc veniam; vel præceptum aſpernentes, judicant licere cunctis deviare ab iis præceptis. Tum quia medicus conſulens infirmis abſtinentiam carnis, aut jejunium, quæ eorum ſaluti nocent, obedit Eccleſiæ committenti illis poteſtatem hæc diſcernendi, & conſulendi. Tum quia præceptum imponitur ſanis, medicus ægris præſcribit victum, & modum utendi illo.

§. III.

Solvuntur rationes dubitandi primo poſita.

AD objectiones, quæ Medicis opponuntur reſpondetur ex dictis. Tum pro primò. Quod Sacri Canones contendunt prohibere, ne Medici ex proprio motu, non attenta neceſſitate jejunium, vel carnium abſtinentiam inhibeant: ſi autem ſit neceſſitas potius illis committunt quod illam manifeſtent, ut Parochus pro Eccleſia poſſit præceptum diſpenſare. Tum pro ſecundò; quod medici non impediunt carnis abſtinentiam, hæc enim præſcribitur in determinatis diebus pro ſanis. Medici impediunt abſtinentiam carnis in ægris, qui non tenentur ad illam. Tum pro tertiò; quod de arte Coſmetica Doctiores ſunt omnes mulieres quam medici, & in bonum finem poſſet doceri, ut ſuis maritis gratiores reddantur, in hunc finem docent illam medici tantum, dum aliqua turpitudo proveniens à morbo petit in illis curari. Tum pro quartò; quod non prohibet jejunium ſancitum ſanis medicus; ſed jejunium ægris ab Eccleſia prohibitum. Tum pro quintò. Quod medicus non damnat caſtitatem & Virginitatem tanquam noxias; ſed illas quæ poſſunt impedire ſanitatem, ſeu vitæ conſervationem, & ſine peccato poſſunt emendari juxta præceptum D. Pauli, qui docet, quòd melius eſt nubere, quam uri.

RESOLUTIO XII.

Utrùm facetiæ, & dicacitates vulgares imminuant medicinæ praſtantiam?

§. I.

Facetiæ in medicinam procaceſq; dicacitates rejiciuntur.

IN nullam forſan Artium præter ſupra repulſa dicteria ſunt communiores facetiæ & dicacitates procaces inter vulgares quàm in medicinam: quia cum Magiſtratus permittant lenonibus, Poëtis; comicis ſuas ſcurrilitates in illam effutire, & in Theatris publico ludibrio celebrari, vulgus imprudens fertur in illas, vel communi applauſu, vel innocenti credulitate. Harum aliquas collegerunt quidam Juris profeſſores, quas pro convitio opponunt medicis, de quibus dubitamus: An poſſint imminuere medicinæ præſtantiam?

Reſolvendum. Quod procaces facetiæ, & dicacitates vulgarium in medicinam nequeunt obſtare medicinæ præſtantiæ.

Probatur primò. Medicinæ præſtantia ſul-

fulcitur ſummis fundamentis, & præclarorum virorum authoritate. Ergo nequit imminui procacibus vulgarium facetiis. Patet antecedens tùm ex dictis à nobis *ſect.* 2. & comprobatis ex ſummis privilegiis legum; & Imperatorum; ex propria hujus ſcientiæ nobilitate, & ex aliis ibi recenſitis. Tum quia ob ejus præſtantiam celebres illius profeſſores; Apollo, Æſculapius, Podalirius, Machaon, tanquam Dii venerati ſunt ab antiquitate. Hippocrati templum erexerunt, & decretarunt ſacrificia, quod nullis aliis aliarum ſcientiarum profeſſoribus eſt conceſſum. Vel, ut inquit Quintilianus: quia medicina ſacra res eſt: Vel, ut inquit Lucianus: quia medicina Deorum eſt doctrina. Vel, ut tenet Libianus, quia medicina non ſine quodam divino Numine docet animam jam abeuntem à corpore retinere; ideò de ſuis Profeſſoribus inquit Symmachus intelligi debere commune Axioma; quod homini homo eſt Deus. Et ideò de ejus Profeſſoribus cecinit Homerus; quod Medicus quilibet ſciens ſuper omnes homines eſt. Tum Antonius Anconitanus, *lib. de poteſt. Ecleſ.* Et Antonius Florentinus, *in* 3. *p. ſumm. tit.* 7. *cap.* 2. tenent, ob medicinæ præſtantiam non debere ad illam admitti Spurios. Tum Caſſiodorus, *lib.* 6. *epiſt.* dicit; quod inter utiliſſimas res, quas, ad ſuſtentandam humanæ fragilitatis indigentiam divina tribuit natura: nihil præſtare videtur aliquid ſimile, quod poteſt auxiliatrix medicina conferre. Tum Homerus *lib.* 5. *Iliad.* ut locum præſtantiorem, qui debetur medicinæ profeſſoribus oſtendat, dicit: quod Pæon medicus juxta Jovem Saturnium ſedet gloriâ gaudens. Ergo nequeunt procaces facetiæ medicinæ imminuere præſtantiam; nec locum illi debitum interturbare.

Probatur ſecundo. Facetiæ vulgarium ſunt dicacitates irrationales; Ergo nequeunt minuere præſtantiam medicinæ. Probatur antecedens, Tum quia opponitur medicinæ; quod Aſa Rex reprehenditur à Propheta, quia confiſus eſt ope medicorum, ex quo videtur, quod ipſa ſit inutilis; Sed fruſtrà: ideo enim reprehenditur, quod cum in ope medicorum confiderat oblitus fuit Dei, primi ac principalis Authoris ſanitatis. Tum opponitur ei, quod medii ſemper diſcordes ſunt; Sed fruſtra, cum nulla ſit ſcientia, in qua idem non contingat, ut patet ex variis opinionibus, quæ omni ætate apparent apud ſcriptores: Omnis enim hæreſis contrariatur veræ Theologiæ: nulla eſt ſecura opinio apud Juris profeſſores, à qua plurimi non diſcedant: nullum Philoſophiæ principium eſt, quod ab aliis non ſit oppugnatum: nulla gentium communitas, in qua non ſint continuæ diſſenſiones. Tum opponitur medicinæ, quod utatur medicamentis, quorum nullum non affert nocumentum; Sed fruſtra: nam ſemper eſt major utilitas quam damnum; nec Politica ſine magnis incommodis tuetur ſalutē publicam; nec bellum gerit ſine maximis nocumentis, ut ſervet Cives. Tum opponitur medicinæ, quod illius profeſſores prognoſim incertam habent; Sed fruſtra: quia de contingentibus nulla eſt neceſſaria prognoſis: & ideò Hippocrates dixit, quòd *acutorum morborum ſalutis, aut mortis prædictiones, non omninò ſunt certa.* Nec Medicus ſolus poteſt ſanitatis prognoſim adimplere: quia ut docet Hippocrates: *Oportet non ſolum medicum ſe præſtare opportuna*

tuna facientem; *Sed ægrum, aſſiſtentes, & reliqua exteriora* , à quibus poteſt ſpectata prognoſis mutari ſine culpa Medici. Tum opponitur medicinæ , quòd caſu,& experientia adinvenit remedia, quæ ideo non poſſunt ſcientificè applicari ; Sed fruſtra: cùm medicina dogmatica utatur ratiocinio,analogiſmo,& indicationibus, ut jam cognita applicet ſcientificè pro unoquoque ægro , & morbo apta medicamenta. Tum opponitur medicinæ, illam non eſſe ſcientiam, aliàs non eſſent tam communes Medicorum errores ; Sed fruſtra : Politica enim eſt ſcientia , & tamen plerumque errant illius Profeſſores. Theologia itidem eſt ſcientia, & tamen errant omnes Hereſiarchæ ; eſt enim Profeſſorum vitium,non artis ; Et quia hominis eſt errare, & ut tenet Galenus : *Nunquam errare ſupra captum hominis eſt* ; *errare verò quàm minimè ſolius optimi artificis*. Et hic etiam non liberatur à calumnia: quia illius errori adaptat vulgus omnes errores , & eventus , qui non ſiunt juxta deſiderium ſpectantis ; ob quod Hippocrates conqueritur , quòd *in Arte medica plus dedecoris, quàm honoris fuit conſequutus*. Quia non potuit ſuſcitare, quos ſors tulit, & vulgus optabat ſervari, qui, ut ipſe tenet, exigit à Medico quod poteſt, & quod non poteſt. Tum opponunt medicinæ corporalem laborem Profeſſorum ; Sed fruſtra: Cum in ſalutem ægrorum ordinetur. Et ſic politicæ non obſtat , ſummæque dignitati Imperatorum & Regum,ob rem publicam varios ſubire labores ; Nec Theologiæ, quòd ſui Profeſſores, & Apoſtoli ob ſalutem animarum labores maximos ſubierint : & ſi ægri poſſent ferri ad Medicos ſine horum corporali exercitio traherentur ad illos ; ſicut ſe conferunt ad Judices, qui illis indigent. Tum medicinæ præſtantię opponitur ; quòd Juris profeſſoribus & Academiis ſubjiciantur , & in loco ſedeant inferiori ; Sed fruſtra (inquit Canonherius,) cum hoc vi , & non ratione fiat : Sicut nec valet : Jesus fuit ſubditus Pilato. Ergo Pilatus fuit illo præſtantior: comprobatque quòd vi fiat : quia ut probat Petrus Antonius Majorinus *lib.2.de excellentia Academiarum*, Areopagitæ Athenienſium, & Romani Imperatores advocatis Oratoribus, & reliquis Profeſſoribus juſſerunt Medicos præcedere , & leges **** præcedere docent Juriſperitis , & dignioribus aliis viris in dignitate , per quas in ſibi debitum locum non poſſunt Medici reſtitui : quia (ut tenet Merola) à Juriſperitis ſententia eſt proferenda.Tum continuò in ore ferunt vulgares hoc dicterium:

Stercus & urina , Medici ſunt fercula prima.

Quod Medici retorquent:

Nobis ſunt ſigna : At vobis ſunt prandia digna.

Tum opponitur medicinæ ; quòd ſui Profeſſores morbos, quos citò,tutò, & jucundè deberent curare , plerique in longum protrahant ; ſed fruſtra , nam Juris profeſſores notantur: quia lites protrahunt. Duces bellum & alii profeſſores ſua opera; Sed hoc profeſſorum eſt punibile vitium, non dedecus ſcientiæ aut artis; Ergo irrationales hæ facetiæ non derogant medicinæ pręſtantiæ.

Probatur ultimò à Tiraquello, qui præſtantiam medicinæ demonſtrat cum Eraſmo *in Declamatione in laudem medicinæ*,dicens : *Sed ut poſtremò univerſas ejus laudes*

ſumma-

ſummatim cum Eraſmo complectar. Si permultas res ſola commendat antiquitas: hanc artem primam omnium reperit antiquitas: Si Scientiam Authores illuſtrant, hujus inventio ſemper Diis attributa eſt; Si quid authoritatis addit honos; non alia tam paſſim, ac tam diu divinos honores meruit: Si magni fiunt, quæ ſummis viris probantur, hæc ſummos Reges, hæc Primates non ſolum delectavit; verum etiam illuſtravit: Si difficilia quæ ſunt, ea ſunt & pulchra ex Solone, & Platone in Prothagora; nihil hac operoſius, quæ tot diſciplinis, tantarum rerum perveſtigatione, uſuque conſtat: Si dignitatem æſtimamus, quid excellentius, quam ad Dei benignitatem proximè accedere: Si facultate quid potentius, aut efficacius, quam totum hominem certo exitio periturum poſſe reſtituere: Si neceſſitate quid æquè neceſſarium, atque id, ſine quo nec vivere, nec naſci licet. Si virtute quid honeſtius, quam ſervare genus humanum: Si utilitate, nullius uſus nec major eſt, neque latius patet: Si compendio, hæc in primis frugifera eſt: Ex quibus deducit Tiraquellus. Nihil omnino dubitandum eſt, non derogare nobilitati qui ſe huic arti dedicarit. Ergo ex iis evidenter conſtat ex facetiis, & aliis dicteriis nihil derogari de medicinæ præſtantia, quæ ob tot rationes illi eſt debita.

Probatur quartò: Theologia vera & Catholica pluribus infeſtatur dicteriis, & facetiis ab Hæreticis, nec tamen ex hoc dubitari poteſt, quod omnium ſcientiarum, & artium ſit præſtantior ſine eo, quod ab illis valeat illius honos, & præſtantia imminui. Politica Catholica & vera à Pſeudopoliticis Atheiſtis junioribus irridetur; & tamen ob ſui dignitatem non decidit à ſua præſtantia. Ergo nec medicina dogmatica, etiamſi à vulgaribus facetiis oppugnetur, amittit aliquid de ſua præſtantia. Probatur conſequentia: quia ut probavimus, medicina dogmatica proximè accedit ad Theologiam inter omnes ſcientias, & affinis eſt Politicæ, & ut tenet Petrus Regelcidinus, *de dignitate ſcientiarum: non dubitamus, medicinam Juriſprudentiæ anteponere, & poſt Theologiam, & Politicam eam collocare, cum inter utramque media eſſe videatur, non ratione ſcientiæ: ſed ratione affinitatis. Nam præterquam quod Politica multa remedia morborum profligandorum ſuppeditat, nihilque ſit in arte Medica, quod ad eam non poſſit rectè accommodari; cum Theologia quoque ob duas rationes convenit. Prima eſt quod Theologus, in medendo animi mores ipſos Medicos imitari videtur: Altera, quia medicina eſt Scientia Hippocrati revelata.* Hæc Regelcidinus. Ex quibus convincitur, immunem eſſe medicinæ præſtantiam inter omnes ſcientias, non obſtantibus dicteriis, dicacitatibus, ſcurrilitatibus, à vulgaribus in ipſam effutitis: quia ſcientiarum præſtantia provenit ab earum dignitate: non autem à viliſſimorum hominum facetiis, & ſcurrilitate.

Digitized by Google

SECTIO IV.

De eis quæ pertinent ad Medicum Dogmaticum.

NON eſt ſine culpa, qui ſe immiſcet eis, quæ ad ſe non pertinent, ut tenent Politici Juris Conditores; Nec ſine culpa poteſt eſſe, qui ſui muneris oblitus, contemnit, vel ignorat ea, quæ ad ipſum pertinent. Plura ſunt, quæ dogmaticus Medicus debet facere, & plura e quibus debet ſe abſtinere, quorum aliqua ſub hac ſectione proponam, ne ex ignorantia eorum medicinæ Profeſſores ejus imminuant præſtantiam.

RESOLVTIO I.

Vtrum dogmaticus Medicus quàm maximè debeat eſſe divini Numinis cultor?

§. I.

Proponitur ſtatus difficultatis communiſque Dei cognitio.

DEUM eſſe, (ut tenet Seneca *lib. de beneſic.*) compertum eſt apud omnes, & ut tenet Cicero, *lib. 2. de natura Deorum*, hoc ita eſt perſpicuum, ut nequeat id negare ſanæ mentis aliquis: nam ut tenet Firmianus *Divinarum inſtitutionum lib. Nemo eſt, qui ſapiat, rationemq; ſecum putet, qui non unum Deum eſſe intelligat, qui condiderit omnia, & eadem, quæ condidit, virtute moderetur.* Ex quo infertur, quod nemo, qui non inſaniat, eſt, qui ad Deum non recurrat. Ethnici, qui verum ignorarunt Deum, ad Deum tamen recurrunt omnes, ut patet apud Orpheum, Pindarum Æſchilum, Homerum, Menandrum, Solonem, Hæſiodum, Philemonem, Archilochum, Empedoclem, Platonem, Ariſtotelem, Senecam, Heraclitum, Sophoclem, & reliquos Philoſophos, Hiſtoricos, & Poëtas, qui omnes in Deum recurrunt, & recurrendum eſſe docent. Sed an id quàm maximè medicinę profeſſoribus competat reſtat examinandum.

§. II.

Medicis precipuè competit Dei cultus.

RESolvendum. Medicorum præcipuè muneri competit in Deum recurrere, tenent Zacutus, Freytagius, & omnes medicinæ Cultores.

Probatur: nam licet ad morbos curandos Deus dederit medicamenta quam maximè debemus ad illum recurrere, ut ipſa operentur.

Ni Deus adfuerit, vireſque infuderit herbis.
Quid rogo Dictamus, quid Panacea juvat?

Ideò peculiarem Dei concurſum auxiliatricem neceſſarium Medicis, implorarunt medicinæ Principes; Sapientisſimus mortalium ille Jeſus filius Syrach, de quo tenet Tiraquellus *libr. de nobilit. cap. 31. n. 85.* quòd fuit peritisſimus Medicus ſancivit primò: quòd *initium Sapientiæ eſt Timor Domini, & quòd omnis Sapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum.* Ex quo apparet: quòd cum Medicus quàm maximè illa indigeat, quàm maximè teneatur eſſe cultor Divini Numinis. Tales ſe profitentur primi medicinæ

cinæ Magiſtri, Hippocrates enim in jurejurando ſe adſtringit in obſervationem eorum, quæ requiruntur pro artis operibus; ut tenet Heurnius. Hippocrates Sacramento medicinæ ſtudioſis ſilentium indicebat, & ne à pietate abirent, juramento illos conſtringebat, ita ille ſapientisſimus Senex à ſuis omnium ſcelerum authorem impietatem, avertebat, & *libro de decenti ornatu* docet, quòd *Medicina Deos habeat reverenter*. Galenus *lib.3. de uſu partium*, Hymnum profert in laudem, & actionem gratiarum Dei noſtri Conditoris. Avicenna in limine ſuorum operum ſuum oſtendit in Deum cultum. *In primis gratias agamus, ſicut ſui ordinis celſitudo, & beneficii ipſius multitudo meretur, cujus miſericordia ſuper omnes Prophetas exiſtunt.* Meſues ſic incipit: *In nomine Dei miſericordis, cujus nutu ſermo recipit gratiam, & doctrina perfectionem, principium ſit Verborum Joannis filii Meſue.* Gentilis Avicennæ Commentator *in principio Commentarii* inquit: *Primitus divini Numinis gratiam invocemus. ad quod nos invitat primò ejus potentia infinita, qua omnia exiſtentia ex nihilo procreantur: ſecundo mea jubilatio divinis auribus miſericorditer audita, qua humiliter exorantem ſuâ gratiâ illuſtravit.* Nicolaus Florentinus *lib.1.ſerm. in pr.* invocat Deum & inquit: *Compleat itaq; director naturæ Deus languorum Sanator, ſolus medicinæ productor, ſolus largus intellectuum Illuſtrator, & actionum fœlicitatis eximius.*

Probatur tertio *ex Paralip. 2. cap. 16.* ubi docetur: quòd Regi Aſæ ſupervenit mors, quia nimis confidit Medicorum auxiliis, oblitus eſt recurreree ad Deum. Ergo Medicus non nimis ſuis fidens remediis, quam maximè debet eſſe Cultor Dei; cujus ope & auxiliis medicinæ opera perficiuntur.

Probatur tertio ex Eccleſiaſtico *cap. 38.* ubi Jeſus filius Syrach, poſtquam docuit quod opera Medici ſunt neceſſaria; ne tamen in illis ſolis ſiſtamus, ſuperaddit. *Fili mi, ne te neglexeris in infirmitate tua: Ora Dominum, & ipſe curabit te; Averte à peccato, & ab omni delicto munda cor tuum.* Ergò quam maximè Medicus Cultor Dei debet eſſe, & Deum orare: præcipuè quia cum ob peccata ſæpè ſuperveniant morbi, debemus ad Deum recurrere; Ideo Eccleſia Catholica monet Medicos in Jure Canonico, in Conciliis, & Pontificum Decretis, quod incumbant maxime in ægris Deo reconciliandis confesſionibus, & Sacramentis ſtatim adhibitis: & Theodoretus ſuperaddit, quod Sanctorum deprecatio eſt commune omnium morborum remedium.

Probatur quartò: Ille Artium Profeſſor maximè Cultor Dei debet eſſe, qui verſatur circa objecti præſtantioris curam, & conſervationem, ob quam majori indiget auxilio; Sed Medicus, qui verſatur circa hominis ſalutem, & vitam conſervandam, eſt hujuſmodi. Ergo quam maximè debet eſſe Cultor Divini Numinis. Probatur minor: nam ut inquit Rex Propheta, *Pſalm.8.* de homine. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.* Et Divus Paulus *ad Heb. 2.* inquit: *Nuſquam Deus Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Ubi ejus deſignat dignitatem, quam Triſmegiſtus explicat dicens: *Homo vel Cælicolis eſt præſtantior, vel ſaltim pari ſorte potitur.* Parvum mundum, ſeu Microcoſmum vocavit illum primus Democritus. Poſtea Ariſtoteles *lib.8.*

Phyſic.

Digitized by Google

Phyſic. Philo *lib. de mundo.* Solinus, *cap.* 5. Galenus, *lib.* 3. *de uſu partium*, Plato, & reliqui omnes poſt illos: Sed D. Greg. Naz. *orat.* 1. *de Paſchate*, magnum mundum illum vocavit, quia præter elementa, quæ mundum complent, conſtat mente divina. D. Baſilius aſſentitur illi, *Homil.* 2. *in Hexamer.*

RESOLVTIO II.

Vtrùm veſtis, & ornatûs ſit Medico habenda cura?

§. I.

Pars negativa plurium authoritate fulcitur.

QUòd Medicus non debet exornari nimietate veſtium, & ornatus ſuadent antiquorum plures. Ovidius, *lib. de arte amandi* protulit, quod

---Decet forma neglecta viris.

Ideo ob nimiam ornatus curam notati ſunt Æliogabalus, Sardanapalus, Eliſtenes, Lyſicrates, Argyrrius, Philoſtratus, Ariſtagoras, & alii, & D. Cyprianus, *lib. de habitù virginum*, inquit: *Ornamenta & lenocinia veſtium, & formarum, nonniſi impudicis fœminis congruunt.* Crates dicebat: *Ornamentum eſt id quod ornat, ornat autem quod honeſtius, non aurum, non veſtis, ſed quæ gravitatis, moderationis, & pudoris ſpecimen adhibent,* Stob. *ſerm.* 78. inquit, quod Diogenes dixit pro Juvene nimis ornato. *Si ob viros infœlix eſt, ſi ob mulieres, injurius.* Divus Auguſtinus, *ſerm* 18. *de verbis Apoſtoli*, inquit: *exterioris hominis ornamenta ſunt interioris detrimenta.* Divus Chryſoſtomus, *homil.* 30. *in epiſtol. ad Roman,* tenet, quod veſtium ſumptus, eſt theatri ornatus. D. Baſilius, *homil.* 24. *de legend. libr. gentil.* inquit: quòd gaudens luxu veſtium, quod non cognoſcit eſt corpus ſuum. S. Bernardus, *ſerm. ſuper Miſſus eſt*, inquit: quod veſtium curioſitas eſt indicium deformitatis mentis & corporis. Ethnici id cognoverunt: Cæſar dicebat, quod inſignis veſtis ſuperbiæ vexillum eſt, ut refert Suëtonius *in ejus vita cap.* 34. & refert Veſpaſianum luxum veſtis reprehendiſſe in Præfecto, Athenæus *lib.* 12. narrat, fuiſſe legem apud Lacedæmonios prohibentem in hominibus ſupervacaneas veſtes, Ælianus, *lib.* 4. *variarum hiſtor.* inquit, quod Ephori quotidie inquirebant, an veſtes eſſent ſuperfluæ: Lex Oppia apud Romanos in ipſis fœminis vetuit ſuperfluas veſtes. Ergò illarum cultus, & ornatus potius debent cohiberi in medicis.

§. II.

Proponitur ornatus Medicis in veſtibus neceſſarius.

REſolvendum: quod decet Medicos veſtium ornatus, nec nimis plauſibilis, nec indecens ſuo muneri; ſic docetur ab Hippocrate, qui utrumque reprehendit extremum, & illorum, qui ſuperfluis veſtibus conantur apparere periti Medici, & illorum, qui ob avaritiam indecenti ornatu & veſte utuntur.

Probatur prima pars ex Hippocrate, *lib. de decenti ornatu*, in quo reprehendens eos, qui ex apparatu veſtis contendunt oſtendere, quod ſunt Medici, & ignaviam, ac ignorantiam cooperire, ſic inquit: *Hi enim ſunt qui fora frequentant ruditate, ac inſcitia ſua impotentes, & in circulis Civitatum verſantes. Cognoverit autem quis ex veſtitu, & aliis lineamentis, quamvis enim fuerint ſplendidè ornati, multo magis fugiendi ſunt,*

ſunt & à conſpicientibus odio habendi. Qui verò contrario modo ſe gerunt, frugi homines judicandi ſunt, quibus non eſt excogitatus apparatus, nec ſuperflua curioſitas: ex veſtitu enim cognoſces, & decenti in ipſo ornatu ac frugalitate non ad ſuperfluitatem paratis, ſed magis ad bonam opinionem & medicationem, animumq; intra ſe compoſitum, & ad profectionem.

Probatur ſecunda pars: quòd ſcilicet ſit indecens Medico, uti veſtitu ac ornatu indecenti, ex ipſo Hippocrate *lib. de Medico*, dicente: *Deinde ut opinionem captet apud ipſum vulgus, veſtitu decoro, & unguentis odoratis non ſuſpectum odorem ad omnia habentibus; Inde enim ægrotos jucunde affici contingit.* Heurnius reddit rationem dicens: *Nam decus addit honeſta veſtis, & pulchritudinem, quam Ariſtoteles dicebat, quavis epiſtola efficaciorem ad commendationem.* Et Theophraſtus dicit, eſſe ſilentem fraudem abſque verbis perſuadentem: Carneades, quod imperat nulla vi, Hippocrates conjungit veſti, & ornatui odores, non qui faciant ad morbum, ut muſcus pro hiſteriſcis paſsionibus, ſed temperatos, juvantes ad ornatum. Lazarus de Soto *in animadverſionibus practicis* addit: *Veſtitu decoro incedat, unguentis odoratis comatur, quæ tamen ſuſpectum odorem non habeant: Ea ego ex frigidis & calidis mixtis parare jubeo qualia ſunt multa, quæ ex floribus componuntur:* firmat hanc doctrinam Hippocrates 6. *Epidem. ſect. 4. text.* 7. Ubi Medici in ægrotantem commendat gratiam, & ad illam comparandam introitum, ſermones, figuram, veſtem, tonſuram, ungues, & odores moderari. Ex quo patet, quod etiam ad ægrum gratificandum conducunt ornatus & veſtis Medico decentes, ut Valleſius tenet *in Comment.* dicens: ipſum Medicum ſe componere, ut maximè ægrotis placeat, introeat ſcilicet compoſite & videat, quos apud ægros ſermones habeat, & decentem habeat vultum & totius corporis figuram, & veſtibus induatur pretioſis & mundis.

§. III.

Solvuntur, quæ primò adducuntur Authoritates.

AD rationes & authoritates primò poſitas reſpondetur, quod comprobant Hippocratis doctrinam, qui licet veſtem & ornatum requirat in Medico honorabiles, non optat illos cum ſuperfluitate; ſed tantum ut honeſtent & condecorent facultatis dignitatem, ne illis Profeſſores aut veſte viles appareant, & avari, & contemptibiles reddantur, aut contendant qui ignorantes ſunt, docti apparere nimio ornatu & ſuperfluis veſtibus.

RESOLVTIO III.

Vtrum ornatus ex capillis, barba prolixè nutrita, & ex annuli geſtatione ſit Medico decens?

§. I.

Negativa pars aliquibus fulcitur fundamentis.

DE morbis, vitiis capillorum in capite, & barba non agimus, illa enim corrigere tenetur Medicus in ſeipſo, ſicut & in aliis: ſed de illorum cultura, quæ ab arte facta illos luxuriare aut glabeſcere facit, queque reſpicit illorum tincturam, & quod in iis omnibus nullus ſit adhibendus cultus pro Medicis.

Probatur primò; de capillorum ornatu, nimium enim circa illos ſtudium denotat mollem, & effeminatum hominem: inquit enim Horatius *lib.* 1. *Ode* 11.

Hinc & incomptis Curium capillis,
Utilem bello tulit, & Camillum.

Et Ovidius *Faſtor.* 5. de Numa Romano Rege:

--- Intonſi Regia magna Numæ.

Tullius Piſonis molitiem reprehendens ait: *Erant illi compti capilli.* Suetonius tenet: Cæſarem non timuiſſe conjurationem eorum, qui Comâ luxuriabant. Philippus Macedo laudatur, quia Magiſtratum removerit, quia nimis intentus erat capillorum ornatui, ut tenet Mendoza, *in ſuo viridario.*

Probatur ſecundò; de barbæ nimia cultura. Alexius enim *lib.* 5. *cap.* 18. barbam, vel comam ornare inquit eſſe imbellis, & enervati hominis, & non præbere aliquam authoritatem deducit Francus ex Plauto irridente barbatum ſic:

Heus tu, qui cum hircina adſtas barba;
Reſponde quod rogo.

Et ponit Græcum hoc Epigramma:

Si perlonga facit Sapientem barba, quid obſtat?
Barbatus poſſit, quin caper eſſe Plato?

Similiter & Caſſius de ignorante medico barbato dixit: pallium, & barbam video, & medicum non video; ex quo apparet, quod prolongata barba non ſit ornatus Medico.

Probatur tertiò; de annuli geſtatione. Nam apud Catos annulus geſtatus ignominiæ fuit indicium, ut tenet Alex. ab Alexand. *lib.* 2. *cap.* 19. quia geſtantes illum quaſi vinculo nexi judicabantur: idem refert: annulos ad Magiæ uſum conduxiſſe, Cyprianus, *lib. de bono pudicitia,* luxum annulorum reprobat. Heliogabalus inter reliqua vitia, quæ illi reprobantur, unum eſt, quòd annulorum ornatu delectabatur. Alexander Trallianus ſuperſtitioſam eſſe annulorum geſtationem demonſtrat. Credens enim cum aliquibus annulos fabricatos ſub certa aſtrorum conſtellatione conferre pro victoriis, pro conciliando amore, pro infringenda venenorum vi, & aliis hujuſmodi fictionibus traditque, quod liberat à colico dolore geſtatus annulus, in quo ſit imago Herculis ſupinè jacentis, leonem ſtrangulantis incluſa in illo. Arabes Taliſmanos vocant annulos, quos geſtant variis characteribus conſcriptos, qui ut ſuperſtitioſi damnandi: Ergo annulorum ornatus non eſt optandus Medicis tanquam illis decens.

§. II.

Qualiter Medicis deceat pro ornatu capillorum, barba, & annulorum uſus.

Reſolvendum: quòd uſus capillorum barbæ, & annulorum non ad ſuperfluitatem paratus, ſed ad bonam opinionem comparandam decet pro medicorum ornatu.

Probatur primò: de capillorum decenti ornatu, quia illorum defectus turpe vitium eſt, & Ariſtoteles, *lib.* 2. *de partibus cap.* 14. capillos dicit eſſe neceſſarios, tum ad neceſſitatē, tum ad præſidii rationem. D. Ambroſius, 6. *Hexamer. cap.* 9. inquit: *Quam ſpecioſa Cæſaries, quam reverenda in ſenibus, quam veneranda in Sacerdotibus, quam terribilis in bellatoribus, quam decora in adoleſcentibus quam compta in mulieribus, quam dulcis in pueris; alium ſexum crinita, alium*

alium tonſa non decet ſex arboribus licet. quæ humani ſit gratia capitis æſtimare, in capite arboris omnis eſt fructus,ibi omnis eſt pulchritudo tolle arbori comam, tota arbor ingrata eſt. Quanto igitur major humani corporis ornatus eſt, qui cerebrum noſtrum, hoc eſt ſedem, originemque noſtrorum ſenſuum capillis capitis munit. & veſtit. ne aut frigore vexetur, aut æſtu, illic enim fons univerſorum eſt, & ideò ubi injuria nocet, ibi gratia præminet. Et Ovid. 3. *de arte.*

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex : & ſine crine caput.

Galenus 6. *Epidem. comm.* 4. *text.* 9. tenet, turpiſſimum eſſe medicum orbatum eſſe capillis capitis.

Probatur. Quòd prolongata aliquantulum barba deceat pro medici ornatu, ut tenet Francus *qu.* 5. quia occultos effectus poſuit natura, ut etiam docuit Nancelius in leviſſimis aliquarum partium motibus, ſic divinitatis ſignum eſt caput: frons genii: oculi amoris, genæ pudoris, ſupercilia faſtus, pectus Conſilii, renes libidinis, genua miſericordiæ, aures imæ memoriæ, crines luctus, dextra majeſtatis, ſiniſtra furacitatis, naſus irriſionis, mentum gravitatis, majeſtatis, honoris, ſcientiæ, & arrogantiæ : Ob quod prolongatâ barbâ uſi ſunt Philoſophi omnes percelebres, judicantes ab illa ſibi comparari cultum, ipſoſque indicare ſapientes, & ex tali ornatu ſe prodere modeſtos ob verecundum illud ſignum quaſi promittentes nihil indecorum commiſſuros : & ideò Æſculapium Medicinæ Deum depinxerunt cum prolongata barba in honoris ſignum, & reverentiæ : Unde & illius ſcientiæ profeſſores illa uſi ſunt, ut oſtentarent ſe Æſculapii ſucceſſores, & qualis illis deberetur cultus, ut inquit Francus tanquam arrogantiæ Medicæ ſignum ; Vel potius tanquam ſignum ſuæ profeſſionis Reipublicæ utilis, & ob ſui neceſſitatem tanquam ſummum Dei donum venerabilis, & tanquam ſignum authoritatis : inquit enim Moſes *Levit.* 9. *Non corrumpetis barbæ faciem*, quia perſecutionis ſignum eſt: inquit Nicquetus, *lib.* 2. *cap.* 18. & Servius in illud 6. *Æneidos*, inquit:

cui plurima mento
Canicies incÿlta jacet.

Romani ſuos Deos ideò in honoris ſignum barbatos depingebant, quia illis maximè honoris fuit cura, quem per barbam oſtendebant. Horatius tenet illam virilitatem ſignificare : Haliabbas viris tenet datam ornamenti, & dignitatis cauſa, Artemidorus tenet afferre decus. Lucianus inquit: quod Cynicus deforme judicat eſſe viris afferre barbæ ornatum, ut inquit Heſychius: ſignum eſt Sapientiæ & perfectionis, & ut tenet Tiraquellus ut denotetur, quod eſt annoſus, & nequit ſine annis medicina conſequi.

Probatur tertio : de annuli geſtatione, cujus antiqua inventio fuit, ut patet ex ſacra Pagina Primò fuit Regibus tantum conceſſa, poſtea legatis, honoris, & authoritatis cauſa condonabantur à Regibus: poſtea equeſtri dignitati, ut à cæteris equeſtres diſtinguerentur, Rhodiginius, & Niceus referunt, quod Auguſtus curatus ab Antonio Muſa illi conceſſit annulum aureum, ut æqualem illum redderet equeſtris dignitatis viris, ſimulque & medicinæ Profeſſoribus illum etiam conceſſit, & lege ſancitum fuit, in Doctoratus gradu annulum

Digitized by Google

annulum illis concedere, in ſignum nobilitatis, & Medici annulis utuntur communiter ad oſtendenda ſibi adquiſita privilegia ob medicinæ præſtantiam.

§. III.

Propoſita in contrarium nihil convincere oſtenditur.

AD primum dicimus luxuriantem capillorum ornatum non decere Medicos, bene tamen compoſitum ad authoritatem conſequendam & comparandam, quem nos aſſerimus concedere poſſe, & decere Medicos, quod nec ab antiquis reprobatum, nimia enim cultura capillorum pertinet ad mulierum ornatum: decet enim forma neglecta viris.

Ad ſecundum dicimus: quod non vituperant antiqui barbam prolongatã in Philoſophis, Medicis, & viris, qui debent repræſentare virilitatem, honeſtos mores, Scientias, & gravitatem; Sed in illis, qui cum ſint ignorantiſſimi, ut docuit Hippocrates ſe componunt tanquam Medici in veſtitu, & annuli geſtatione longaque barba, & cum non ſint medici, perſonam medici repræſentant, & ut inquit Francus, fuit in omni ævo nebulonum, & impoſtorum uſitata fraus, & doloſa induſtria, ut quæ in artis uſu propter ruditatem, & inſcitiam nequeunt aſſequi, vafricie ſuppleant; & ut Galenus aſſerit, ii quo amabiles populo habeantur, & ſe dignos eſſe perſuadeant, pretioſo veſtitu, annulorum apparatu, & argentea ſupellectile ornati magno ſubſequentium numero ſtipati, ſolum ægris adulari ſatagunt: Principes domum reducere: Divitibus per urbem comites fieri, conantes iis artibus hominum gratiam inire: apud Potentes plurimum poſſe; & illorum authoritate, & exemplo pro artificibus haberi, quod cum conſequi nequeant ex eis quæ in profeſſione ſunt conſecuti, nec ingenii ſolertia, technis contendunt aſſequi.

Ad tertium dicimus: quod decet medicos non uſus annulorum ad oſtentationem: Sed aurei annuli uſus ad oſtendendam dignitatem illis ab antiquo conceſſam, & ut grati appareant ægris ex hoc ornatu ſicut ex reliquis, ut tenet Hippocrates, vel, (ut aliqui judicant) ut melius valeant comparare lotii naturalem colorem, qui aureus debet eſſe; vel reliquorum colorum diſtantiam comparative ad illum; vel ut valeant ſecum portare pretioſos lapides, quorum varias virtutes plures prædicant, & illorum geſtationem commendant: præcipuè ſi ſimul cum virtutibus à natura haberent inſculptas varias figuras qualis fertur fuiſſe annulus Pyrrho, decantatus à Marbodio.

Rex Pyrrhus digito geſſiſſe fertur Achatem,
Cujus plena novem ſignabat pagina Muſas:
Et ſtans in medio Cytharam tangebat Apollo,
Natura, non artis opus: mirabile dictu.

RESOLVTIO IV.

Vtrum ſit Medico neceſſarius ornatus virtutis?

§. I.

Traditur, quid ſit virtus, & de qua dubitamus præcipuè.

ARiſtoteles, *lib. 2. Ethicor. cap. 6. lib. de virtut.* Plato *in Menone,* Alcinous *lib. de ejus*

Digitized by Google

de ejus doctr. Plutarchus, *lib. de virtutibus.* Alenſis, 3. *p. Sum. q.*16. *art.* 1. dicunt, quod *virtus eſt habitus operativus boni*: & triplex eſt, *intellectualis* quæ *eſt habitus operativus boni reſidens in intellectu.* Alter eſt *infuſus*: & ex D. Auguſt. *lib.* 2. *de lib. arbitr. cap.*8. *eſt bona qualitas mentis qua rectè vivitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur*: Altera eſt virtus *Moralis*, de qua præcipuè agimus, & ex Ariſtot. *lib.* 2. *Ethic. cap.*6. *eſt habitus electivus in mediocritate conſiſtens, ea quæ ad nos eſt diffinita ratione, & ut definierit ipſe prudens.* Unicuique eſt aptiſſimum habere quemcunque habitum operativum boni: ſed Medico ut tali quantum competat, ut eſt virtus moralis dubitamus, quæ conſiſtit in mediocritate ſeu cōmenſuratione quadam inter exceſſum, & defectum, ut tenent Ariſtoteles, *lib.* 2. *Ethic. cap.* 6. *lib.* 5. *cap.* 3. & 4. quem ſequuntur Theologi, *in* 3. *diſt.* 33. & latisſime D. Thom. 1. 2. *q.* 64. *art.* 1. cujus etiam meminit Horatius, 1. *ſerm. Satyra* 1.

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines:
Quos ultra, citraque nequit conſiſtere rectum.

Hanc rectitudinem prudentialem, an debeat medicus ſervare inquirimus. Et videtur, quod non neceſſariò hoc indigeat medicus ornatu. Tum primò; quia licet virtus homini ſit neceſſaria tanquam conveniens naturali inclinationi illius, cum ſit habitus operativus boni, quod appetitur naturaliter; non tamen eſt naturalis homini, ita ut hæc virtus ſit neceſſaria illi, & non voluntaria, & eo ipſo quod ſit voluntaria non eſt homini tanquam debitus ornatus neceſſaria. Tum ſecndo; quia Ethnici, Barbari, Mahometani, & infideles alii ſunt recti medicinæ Profeſſores, qui tamen virtutibus ſunt orbati. Tum tertio: quia medicina eſt ſcientia naturalis quæ poteſt perfectè adipiſci à ſuis Profeſſoribus ex adjuvamine naturalis Philoſophiæ, & aliarum Scientiarum naturalium ſine moralibus Scientiis, quæ agunt de virtute, , quæ nullam habent cum illa connexionem. Ergo medicinæ Profeſſor non indiget virtute tanquam ornatu illi neceſſario.

§. II.

Medico neceſſarius ornatus proponitur.

Reſolvendum: quòd præter alias virtutes maximus eſt Medico ornatus, virtus moralis.

Probatur primò; ex Hippocrate, qui jurejurando ſtatim ab initio ſuorum operum omnem promittit temperantiæ virtutem: redditq; rationem. *Non minima enim commercia ægris cum Medico ſunt, nam ſe in poteſtatem medicorum tradunt; & omni tempore, quo medicinam faciunt, occurrunt uxoribus, virginibus, & ſupellectili pratioſa. Temperanter igitur ad hæc omnia ſe gerere debent.* Tum *lib. de decenti ornatu* Hippocrates, ut doceat Medicum deberi virtutibus ornari docuit: quod eſt ſimilis Deo Medicus ſapiens, & Philoſophus: reddit rationem Lazarus de Soto. *Nam Deus ſumma ſapientia, cùm quicunque per vitæ decurſum ac in vocatione ſua ſapienter, prudenterque ſe gerat Deo maximè ſimilis erit.* Ex quo apparet prudentiam, moralemvè virtutem, neceſſarium eſſe ornatum medici, ut fiat ſimilis Deo, & hæc prudentia in omnibus moralibus virtutibus requiritur in illo: Superaddit enim Lazarus de Soto, *Quamobrem ille, qui omnia neceſſaria habuerit ad coërcendam intemperantiam, avaritiam, concupiſ-*

cupiſcentiam, rapinam ac imprudentiam, ſtatim argenti contemptor erit, reverendus, verecundus, quietus, authoritate, judicio, doctrina, cognitioneque neceſſariorum ad vitam transfigendam bene præditus. Tum Hippocr. *lib. de Med.* agens de cultu animi, ſeu prudentiæ, inquit: *Dein animi cultus ita illi curæ ſit, ut omnia ad modeſtiam comparata ſint, non ſolum in ſilentio, ſed etiam in toto vitæ curriculo ut rectè compoſitus ſit. Decet etiam moribus honeſtis elegantem eſſe.* En qualiter ad illius elegantiam, morum honeſtorum ornatum, in quibus ſtat virtus moralis, requiri in medico docet Hippocrates, ex hoc ornatus Homerus *lib. 11. Iliad.* Medicum omni honore dignum judicat.

Medicus enim vir dignus præ multis aliis. Et 4. *Iliad.* Machaonem ob virtutem æqualem Deo judicat.

Hic autem in mediis aſtitit æqualis Deo vir. Tum Galenus *lib. 8. Meth. cap. 9.* ut Medicus perfectus ſit, exoptat, quod ſit natura prudens, id eſt in virtutibus moralibus, quæ ſunt actus prudentiæ, maximè ornatus, & in ordine ad ſuam domum, & in ordine ad exequendam artem, quam quiſque profitetur: inquit enim Zacutus, duplex eſt prudentia, altera ad vitam inſtituendam, quæ Medico maximè eſt neceſſaria, ut ex propriis virtutibus moralibus honeſtior appareat, & Deo æqualis ut tenet Hippocrates; Altera eſt propria ad artem, quam Medicus profitetur, quæ facit, ut artis præcepta prudenter, & debito modo, in debitoq; tempore exerceantur: & hæc quàm maximè etiam requiritur pro Medici ornatu; & de hac Cicero inquit: quod *eſt rerum bonarum & malarum utrarumque ſcientia.* Et Xenephon tenet: nullius uſum eſſe virtutis ſine prudentia: hæc Medico neceſſaria ob illam, quam maximè credendum & ſine virtute morali, prudentialique exceſſuum moderatione medicus potius erit damnoſus, quam utilis, inquit enim Iſocrates, vis (ſeu artis exercitium) *cum prudentia utilis, abſq; ea ſæpè damnoſa,* imo in medico exitialis ægro, ideo Caſtro in illo requirit plures virtutes, prudentiam, circumſpectionem, providentiam, cautionem, perſpicaciam, continentiam, ſobrietatem, manſuetudinem, modeſtiam, moderationem, decentem ornatum, veracitatem, gravitatem, magnanimitatem, liberalitatem, honeſtatem, amicitiam in notos affabilitatem in ignotos, quæ omnia ipſum honorificum artis profeſſorem reddunt, & atteſtantur prudentiam illius, ut ſimili modo ſe gerat circa ægrotantes circumſpectus, & prudens in eis quæ conferunt pro eorum ſanitate. Tum Soranus & Eraſiſtratus docent: quòd Medicus, cum artis perfectione, ut fælicisſimus ſit, conjungat, quod optimis ſit moribus, id eſt, virtutibus moralibus dictis præditus, & quod ex illis evadat comis erga omnes, & hoſpitalis, facilis affinibus, reliquis urbanus, languentibus placidus, ad ſimiles familiaris, non humilis aut dejectus in ærumnis, ſed ſublimis ad fortunæ minas, ſui ſemper ſit ſimilis, propria ſatagat, ſua cæteris relinquat, non credulus, nec omninò diffidens nec dicat, quidcunque ſcit, nec faciat, quidquid poteſt, non agat inſidioſè, bono malum vincat, amet ſola bona, vitet inanes turbas honorum, non quærat curioſa, & ſubtilia, ſed utilia, laudet bonos, malos toleret, minori indulgeat, majori cedat, ſtudeat omnibus prodeſſe, nulli nocere, ſit facilis ad concordiam.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Solvuntur rationes dubitandi primò adducta

AD rationes dubitandi dicimus tum pro primò: quod virtus eſt ornatus homini neceſſarius, prout homo eſt tanquam terminus naturalis inclinationis ad bonum, cum ſit habitus operativus boni, & prout Politicum animal eſt, cui convenit prudentia, & virtus moralium virtutum, & medico ut tali quatenus per virtutem ſit honorabilior, & per prudentiæ experientiam in moderandis affectibus commendabilis, ut ipſa etiam utatur in adhibendis remediis, quorum anima eſt occaſio, quæ per prudentiam adaptatur. Tum pro ſecundò: quod omnes medici in Philoſophia, medicina, & aliis ſcientiis quam maximè clari fuerunt in virtutibus moralibus, ut patet de Hippocrate, Socrate, Seneca, & aliis, licet veram Religionem non ſint conſequuti. Tum pro tertiò: quod licet medicina ad ſui conſequutionem potius indigeat aliis ſcientiis naturalibus pro ſui exercitio indiget morali ſcientia ad conſequendas actiones morales, quæ concomitantur praxim, & ut medicus ſit paratus per actus prudentiales ad hanc bene exercendam.

RESOLVTIO V.

Vtrùm impoſtorum, & perditorum hominum variæ ſortes apud vulgus medici perſonam agant?

§. I.

Proponuntur rationes negativam partem ſuadentes.

CUm tot requiſita, qualia nupèr propoſuimus verum adimpleant medicum, & tanquam Deo ſimilem reddant; quam plures, nequeuntes perfecti evadere, alii invidentes; alii lucrum quærentes medici perſonam contendant agere, communis ſit experientia, licet hoc appareat rationi diſſentire. Tùm primò: quia impoſtura eorum, qui cum non ſint medici, utuntur medicamentis, gravis eſt à Cenſoribus cohibenda, & punienda: quia cum Scientia indicationibus, nec rationali experientia ſint præditi interficiunt ægros, inquit enim Galenus, *lib. 1. Aphor. 1. Ea in humano corpore inſcitè uſurpata, quæ certa experientia comprobata non ſunt, non tantum periculo non carent; ſed & totius animantis internecione, conjunctum eſt.* Ex quo apparet, quod tales homines non permittunt cenſores. Tùm ſecundo: quia ſunt Medici Philoſophi, docti, virtuoſi, in arte experti, ad quos ægri recurrere poſſunt; non ergò videtur illos amplecti deperditos homines in ſuis curationibus. Tùm quia deperditi homines omnes debent ob ſui ignorantiam deperdere, & interimere, à quo errore nequeant homines iterum convaleſcere, inquit enim Poëta:

Non Torquate genus, non facundia, non te
Reſtituet pietas.

Ex quo apparet, quod in tanto periculo nequeat quis hos experiri nebulones.

§. II.

Plures omni tempore egiſſe medicorum perſonas proponitur.

REſolvendum: quod nulla fuit ætas, in qua non fuerint quàm plurimi perſonam Medici agentes, Circulatores, Agyrtæ, Dentarii, Vulnerarii, Salvatores, Plebei, Vetulæ, Incantatores, Empirici, Spagyrici, & innumeri alii.

Probatur

Probatur ex Hippocrate *lib. de Arte*, qui conqueritur, quòd ars ignobilis judicetur ob illos; inquit enim: *Medicina omnium Artium præclariſſima eſt: Verum propter ignorantiam eorum qui eam exercent; & ob vulgi ruditatem, quòd tales pro Medicis judicat, & habet: etiam eò res devenit, ut omnium Artium adeò viliſſima cenſeatur.* Redditque rationem, cur tot ignorantes profiteantur ſe eſſe medicos. *At verò hoc peccatum ob hanc potiſſimum cauſam mihi committi videtur ſoli, namque medicinæ nulla pœna in rebus publicis ſtatuta eſt, præterquam ignominia, verum hæc ipſos non afficit, neque contingit eos, qui ex compoſito perſonam ipſius induerunt. Simillimi enim hujuſmodi medici ſunt perſonis, quæ in tragœdiis introducuntur.* En ex Hippocrate rationem ob quam tot ſe introducãt omni tempore ut agant perſonam medici: Tum *lib. de decenti ornatu*, Hippocrates reprehendit plures, qui ex ſolo ornatu contendunt medici apparere: modumque docet diſtinguendi ipſos à veris Medicis, dicens: *Ex veſtitu enim cognoſces, & decenti in ipſo ornatu ac frugalitate non ad ſuperfluitatem parato; ſed magis ad bonam opinionem & meditationem, animumque intra ſe compoſitum.* Tum Plinius *lib.* 29. miratur quod tot deperditi homines fingant ſe medicos. *Itaque hercule in hac Artium ſola evenit, ut cuicumque medicum ſe profeſſo ſtatim credatur, cum ſit periculum in nullo mendacio majus. Non tamen illud intuemur. Adeo blanda eſt ſperandi pro ſe cuique dulcedo. Nulla præterea lex, quæ puniat inſcitiam capitalem: nullum exemplum vindictæ.* Hujus defectu nullus eſt, qui non audeat medicus vocari, ut tenent verſus antiqui.

Jactant ſe Medicos, quivis idiota, Sacerdos.
Judæus, Monachus, Hiſtrio, raſor, anus.
Miles, mercator, cerdo, nutrix, & arator,
Lamia, decoctor, pharmacopola magus.

Joannes Hartmanus Beier proſequitur enumerare eos, qui perſonam medici agere contendunt, dicens: *Omnium morborum curationem hodie æſtu fallaci aggrediuntur pleniſq; buccis pollicentur Iudæi perfidi, Myropolæ, Barbitonſores, Circumforanei, Alchimiſtæ, anus ſurdaſtra, veſani nonnulli, & maleferiati ſacerdotes de ovis, quam ovibus magis ſolliciti, & omne ferè perditorum hominum genus, è face ſceleratorum conflatum, huic tanquam ad ſacram anchoram confugit: quivis enim flagitioſiſſimus, vel ſtupidiſſimus, ſi vel ob perpetrata facinora à bonorum conſortio exulare cogitur, vel laborum pertæſus honeſtis rationibus victum quærere gravatur, confeſtim medicum, vel Chirurgum ſimulat, & vel morbos curat, vel hernias incidit, vel veſicæ calculos eximit tanta, tantaque aperta impoſtura, ut nulla major eſſe poſſit.* Præcipue tamen ut ii apud vulgus commendentur, ut tenet Freytagius, Sarraceni, Paracelſiſtæ, Arabes, Hermetici, aut Judæi. Unde Cato dicebat. *Si vis magnus perhiberi Medicus, Arabem, vel Judæum te profitere.* Sed de rabioſa Medicaſtrorum multitudine, & fraudibus Rodericus Epiſcopus Zamoracenſis, *in ſpeculo ſuo vitæ humanæ* omnia complectitur, dicens: *Laudanda primum eſt Ars Medica, ſi bonum ſubjectum virtuti deditum reperit. Si denique idipſum ſciendi genus optimum, ac naturalibus ſcientiis ineffabilibusq; fundamentis communitum prius Medici addiſcerint, quam exequerentur. Sicut enim unuſquiſque id agit feliciter, quod optimè novit, ita qui principia medicinæ ignorat, cujus finis ſanitas exiſtit, ut ſanum ægrum non reddat neceſſum eſt.*

Vidi

Vidi ego plurimos heri Aromatarios, hodie gravium morborum Cenſores: heri herbas cæteraq; materialia in pharmacopolis miſcentes: hodie in Principum aulis morbos judicantes. Si enim etiam ſanando vix nomen boni Medici quiſq; aſſumit, quonam pacto necando medicandi titulum vendicabit. Quibuſdam itaq; his ſimillibus atq; remedia pollicentibus, ſed & cauſas morbi judicare conantibus, illud ad Philippum, ut in Actis Apoſtolorum legimus, dicebatur. Putaſne intelligis quæ dicis, quibus dicentibus etiam ego iterum cum Eunucho addebam, quomodo ſcire poteris, cum nemo te docuerit. Mira certè res eſt, ut inquit Hieronymus, fullones, metallarii, fabri, lignorum cæſores, ipſa quoq; vilia officia exercentes abſq; Doctore eſſe non poſſunt, nec experiri audent, quæ non noverunt: Sola eſt medendi ars, quam ſibi paſſim unuſquiſq; vendicat: alii a cerebro infirmantibus medicinam addiſcunt; alii ab infidelibus audiunt, ut fidelibus noceant; alii neſcio in quibus libellis legunt, ut in miſeris corporibus uniformiter exequantur, & uno collyrio iis nihilominus incognito omnium oculos curare volunt. Quo fit, ut cæcus arte videntem natura faciat cæcum: Hi medicinam neſcientes medicina abutuntur, & artem egregiam, quam non noverunt, profitentur. Medicinæ excellenti, & illuſtri nomine gloriantur, & quæſtus gratia pecuniam ut finem quærunt, viris excellentibus in hac arte plerumq; non creditur; & eadem turpiter abutentibus præmia dantur. Adde quod multa millia hominum talium Medicorum inſipientia, aut inexperientia cadunt, quod dum unũ morbum curare ſatagunt, plures inducunt. Ex iis patet, jam nullam aliam artem ita à reliquis aggredi Profeſſoribus ſicut medicina, quam omnis ſors hominum conatur profiteri.

§. III.

Solvuntur primò poſitæ dubitandi rationes.

Rationes dubitandi adhærent rationi, ſed non convincunt; quod contra illam deperditi homines ſe inſerant inter Medicos, perſonas eorum agentes non ſine criminibus punitione dignis, & ideo dicimus tum pro primo, quod apud noſtros plures ſunt leges conantes hos Pſeudomedicos cohibere, & punire: & fuit apud Romanos lex Aquilia; quæ non ſolum contendebat hos punire, ſed & Medicum perperam ſuo ſervo adhibentem medicamenta; & ipſos veros Medicos legibus puniri determinatur, ſi errores committant, ut Zachias latè proſequitur agens de erroribus in Medico punibilibus; nec hoc tamen ſufficit ob rationes, quas Plinius adducit, *lib. 29. c. 1.* Vel qui, ut inquit Hippocrates ignominia ſua videtur illos punire, in quam non incidunt, cum non ſint Medici ſed ſolum Tragœdi Medicum repręſentantes. Tum pro ſecundò: quod cum inſipientes veram abhorreant medicinam, & illius ope indigeant, recurrunt ad confictam, quam deperditi homines exercent; vel quod confugiunt ad idiotas, quia eiſdem utuntur medicamentis, ignorantes, quòd non ſtat curatio in ſola medicamenti applicatione, ſed in cognoſcenda occaſione, & cauſa, à qua indicatur, & in modo utendi, quod deducitur ex Platone *in Phædro:* inquit enim: *Si quis dicat, ego quidem illa ſcio corpori admovere, quibus & caleſcat pro arbitrio meo, & frigeſcat, & vomitus & dejectiones, & alia expurgationes perficiantur, & hujuſmodi plurima teneo, quibus cognitis, & Medicum me eſſe profiteor. Quid aliud reſponſurum autumas?* Phædrus *Nihil aliud*

quam percontaturum, nunquid etiam ſciat, quibus, quando, & quouſque ſingula horum ſint adhibenda. Quod ſi neſciat, neceſſum eſt eum inſanire, qui quod quidquã audierit vel in medelas nonnullas inciderit, medicum evaſiſſe ſe putet, cum nec artis aliquid intelligat. Francus alias ſuperaddit rationes, ob quas vulgares imperitiores vocant ad ſuas curationes, vel ob ſympathiam, qua viles homines ſimiles quærunt & contendunt homunculum ſimilem extollère, vel quia facilè eorum nutui cedunt indocti, quia non gloriam eventus quærunt, ſed nummos utcunque adquirere, vel quia fallunt remediorum multiplicitate, & ut illis placeant; & quia cum non cognoſcant utile, & indicatum, variant ſine certa cognitione; vel quia cum natura ſit morborum curatrix, & naturæ potenti nihil ſit difficile, aliqui ſanantur ab illis, & cum non ſpectabatur ab eis, magis ponderatur à ſuis ſequacibus; vel quia illis non opponuntur docti, ne invidi videantur, & quia ſi mundus vult decipi, decipiatur, vel ut tenet Hippocrates, quia idiotæ variis technis utuntur, pro vulgaribus fallendis, quibus docti non utuntur. Tum pro tertio reſpondetur: quod adhuc ſi plures cognoſcant ab imperitis hominibus occidi cum illi plura promittant quam docti homines, licet vana ſpe feruntur ad promiſſa, quia ut inquit Plinius: *Adeo blanda eſt ſperandi pro ſe cuiq; dulcedo.*

Vel impoſtores Medici apud vulgares magni habentur, quia à mulieribus apud omnes commendantur: inquit enim Bardus: *Quid autem à mulieribus iſtis non expectes, ex quarum nugis & affraniis medici quandoque honor & nobilitas conſtituitur, quæ ſola garrulitate Rhetorum omnium ſuperant ſubſellia: Sed quid? Occumbit æger, & dum Medicus imprudens arguitur, ipſe plectendus, ut ait Ovidius* in epiſt.

Cauſa mali tanti fœmina ſola fuit.

Sed quę eſt improbitas morum noſtri temporis, non tam præpoſtere divitiis inhiant, placentes fæminis, & complacentes, ſed hanc primum metam reſpiciunt, ut apud fœminas gratioſi earum longius, anſerum more, (ut præmia fertur) obſtrepentibus facie earum tamquam ſatellitio ſtipat ægrorantium turmas poſſideant, palatia Principum Regumque habeant. Vide non tam ignorantiam ditare multos, quod dixit Hippocrates, quam malitiam execrandam omnibus diris dignam ferroque plectendam: novimus inter noſtros Medicos unum ex iis quos garrulæ fœminæ inſignem eſſe ſuaſerunt, qui ex iis factus eſt de quibus dicit Cardanus, *qui indocti, circumforanei & impoſtores ſycophantæ ſint, diſcipulis orbem illudunt, deceptum miſere, & trucidatum impie verborum phaleris memoritér farragine circumſtipata prolata, ſed confuſa oratione ubi plebem tenuerint.*

RESOLVTIO VI.

Vtrùm Medicus Dogmaticus debeat uti cautelis?

§. I.

Pars negativa ſuadetur, & fulcitur.

Videtur; Quod ſit indignum Medico ſcientifico procedere cum cautelis. Tum quia eo ipſo, quod doctus, & ſcientificus ſit, cognoſcit ſcientificè, quæ agenda ſunt ab illo ſine cautelis. Tum ſecundo: quia cautela hominem reddit dubium circa res propter quas ſum cautela operatur.

Tum

Tum tertio, quia cautelosus homo, & verſutus diſcedit à veracitate, & virtute morali, qua virtuoſus Medicus debet uti circa omnes ſuas actiones: Ergo tali non licet uti cautelis.

§. II.

Pars affirmativa præfertur Doctiſſimorum Aſſenſu.

Reſolvendum; Quod licet Dogmatico Medico uti cautelis contra illos qui fallere illum cotendunt.

Probatur ex Cicerone, qui cautionem, ſeu cautelam dicit eſſe 4. *Tuſculan.* declinationem à malis ſa tam cum ratione eamque ſolum in Sapientibus habere locum; vel ut tenet Beyerlinck eſt providentia, ne aliquid eveniat præter opinionem. Ex quo apparet, neceſſariam eſſe medico, ut etiam docet Hippocrates 1. *Prognoſt. Medicum uti providentia, ut mihi videtur, optimum eſt.* Et 1. *Epid. ſect.* 2. *Præterita dicere, noſſe præſentia, futura prædicere, & prævidere*, inquit eſſe munus Medici: nam ut recte reſpondit Sparranorum Imperator. *Non eſt Sapientis dicere non putaram.* Tùm Galenus varias refert Hiſtorias, per quas conſtat, uſum fuiſſe cautelis in cognoſcendo amorem Piladis in muliere, in deprehendendo ſervi ſollicitudinem, & Cyrilli Boëtii filii clàm aſſumptum medicamentum. Tum Villanova, Zirbas, & alii varias proponunt cautelas Medicis utiles contra illos, qui ipſos fallere conantur, ut ſapientes per illas ſe oſtendant ægris, & magis de illis confidant; hoc enim maxime conducit ad curationem: quia ut inquit Avicenna 6. *natural. Confidentia, quam habet infirmus de Medico plus valet ad ſanitatem, quam medic. cum omnibus ſuis inſtrumentis.* Tum Rodericus de Caſtro *in ſuo lib.* 3. *Medico Politico cap.* 11. Plures adducit cautelas ad deprehendendas fallacias, quas in inſpectione lotii contendunt facere ancillæ; mulierculæ, & alii aſſiſtentes infirmorum: ex quibus non facile Medicus poterit eorum impoſturas, & fallacias depellere: Ergo decet, & eſt neceſſarium Medico cautelis uti pro illis deprehendendis.

§. III.

Solvuntur rationes in principio propoſitæ.

Ad rationes dubitandi reſpondetur: quod ſunt ſcientifico Medicó neceſſariæ cautelæ, non ad ſciendum quod ſcientifice docet ars; ſed ad deprehendendas fallacias eorum, qui ſcientificum Artificem dolis contendunt fallere. ideò Galenus tantis encomiis à Sylvatico, & Zacuto laudatur, quia fallaces cognovit cautelis quantis, quia demonſtranda fulcivit demonſtrationibus. Tum pro ſecundo; quod homo cautus dubitans de fallacia alterius illam comprehendit, & evitat, quod fallens ne conſequatur illum fallere. Tum pro tertio: quod etiam eſt virtus cautela, quia homo non facile credens deviat ab extremo nimiæ credulitatis, per quam homines faciliter falluntur.

Dices: Plures Medici impoſtores cautelis utuntur, & fiunt apud vulgares per illas præclariores reliquis. Ex quo apparet, quod cautelæ ſint impoſturæ indignæ medicis rationalibus.

Dicimus: Quod ii Medici qui utuntur impoſturis non cautelis ſunt impoſtores, qui fallunt ſupponendo falſa pro veris, de quibus Euricius Cordus.

Quemlibet in triduo promittis pellere morbum.
Fortè, quod hinc quarto vis properare die.

Digitized by Google

Fallaces autem hujuſmodi ſunt antecedenter relati;nec ſolum imperitisſimi ; ſed literarum contemptores, qui ſpernentes ſalutem proximi , excruciatores & interfectores eorum ſunt , Doctorum aſpectum fugiunt, Lucifugæ impoſturas vendunt, adulando fallunt , & medicæ perſonæ, quam repræſentant obliti fiunt adulatores æſtimationem pro lucro mutuantes,ebriis contubernales , ſtultorum cœtibus ſe immiſcent. Jactantiam oſtentantes : maximè apud vanas credulaſque mulieres , quæ eorum fiunt tibicines adulationibus delatæ,morbos extollunt , cauſas in philtra reddunt, ut curandi inſcitiam ſimulent,& ignorantes cauſam , omnes morbos novos eſſe prædicant ; & ut inquit Caſtro,dum ſuos jam errores tegere , impoſturaſque obſcurare nequeunt, poſt plura perpetrata homicidia in ſolum proprium ſe vertunt, aut ſe conferunt ad peregrina loca, ubi denuo Gynecæo & levioribus hominibus, ſibi jam notisſimis artibus ſe inſinuant, interdum per Pharmacopæos , Vulnerarios, obſtetrices, qui hominis adventum tanquam numen cælitus delapſum per urbem ſpargunt.

RESOLVTIO VII.

Vtrum dogmaticus Medicus teneatur curare deploratos ?

§. I.

Proponitur hujus difficultatis opinionum ratio.

QUi in periculo conſtituti ſunt,petunt à Medico quod poteſt , & quod non poteſt , inquit enim Hippocrates *ad Crateuam in epiſtola. Non enim contentus eſt is,qui in periculo verſatur,his quæ poſſumus,ſed concupiſcit etiam ea quæ non poſſumus.* Quæ autem poteſt dare medica ars id poſſunt Medici,ejus autem munus Hippocrates *lib. de arte* proponit,dicens: *De medicina verò utpote de qua hic inſtitutus eſt ſermo,claram demonſtrationem faciam, & primum ſanè definiam quid ſentio. Medicinam eſſe morbos ab agris in totum tollere,& morborum vehementes impetus obtundere , & eorum qui à morbo victi ſunt curationem non aggredi : cum id in confeſſo ſit,quod medicina tales ſanare nequit.* Sunt autem morbi incurabiles, & deſperati ſeu deplorati illi , quos nequit medicina curare , & ſunt in duplici differentia , alii omnimoda deſperatione deplorati,ut brachium abſciſſum , vel quodvis membrum mutilatum.vel deficiens,quia à natura non fuit conformatum : alii in quibus natura exuperata eſt à cauſa morbifica ; nec ope artis reſtitui poſſunt ægri ad ſanitatem, quin accedat aliqu'd monſtruoſum , ut tenet Averroes . pro iis indifferenter medici utuntur aliquibus authoritatibus, quarum aliæ deploratos morbos curare ſuadent : aliæ ſoli prognoſtico relinquendos eſſe ſine curatione.

§. II.

In omninò deſperatis quid agendum proponitur.

REſolvendum, quod Medicus dogmaticus non debet aggredi nec promittere curationem morbi omni ex parte deſperati.

Probatur:Tum quia promittere id quod implicat adimpleri , eſt hominis impoſtoris & fallacis , & cum repugnet curare morbos,quos implicat curari, Dogmaticus Medicus nec hoc promittere, nec tentare

tare

tare debet. Tum quia de iis loquitur Hippocrates, *lib. de arte*: dum docet, non licere Medicis, *curationem aggredi eorum qui victi ſunt à morbo, cum id in confeſſo ſit, quod medicina nequit tales ſanare.* Cujus alias proſequitur rationes: *Quia ſtultum eſt quærere ab arte potentiam ad ea quæ non profitetur, ſicuti à natura facultatem ad ea, ad quæ nata non eſt:* Nec ex hoc poſſunt Medici reprehendi, inquit enim: *Qui igitur eos reprehendunt qui victis à morbo manus non adhibent, non minus ii adhortantur ad ea ſuſcipienda quæ attingere fas non eſt. Non rectè ſi quæ ſanari poſſunt non cures, & quæ ſanari non poſſunt te ſanaturum recipias.* Conſulit, redditque rationem Galenus, *lib. 1. de morbis. Cum igitur homo morbo afficitur, qui vehementior eſt, quam medicinæ inſtrumenta, nec ſperare quidem oportet, ut à medicina ſuperetur; & 1. Aphoriſm. 8.* idem affirmat, traditque rationem, *lib. 11. Meth. cap. 9. Quia eſt imprudentis Conſilii apud vulgus infamare præſidia, quæ multis fuêre ſaluti*: Cui adhærens Celſus, *lib. 5. cap. 26.* inquit; *Eſt prudentis hominis primùm eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpem ejus ut occiſi, quem ſors ipſius peremit,* idem docuit Avicenna, *tract. 1. Cant. §. ex ſcientia iſtorum videbit medicus, & ſciet, quis moriatur, retrahetque manus ſuas à cura ejus.* Ergo ſi implicat morbi eradicativa curatio, nec promittenda, nec tentanda eſt à medico.

§. III.

Morbi quorum implicat curatio qualiter à Medico poſſunt attingi?

Reſolvendum ſecundo: Quod morbi quorum eradicativa curatio implicat, poſſunt curari à Medico curatione palliativa, præſervativa, & Coſmetica.

Probatur prima pars: Tum ex Hippocrate, *lib. de arte*, qui docet *vehementes morborum impetus obtundere.* Tum patet in hæreditaria lue venerea, in qua licet non poſſimus labem ex toto devincere, corrigimus ſupervenientia, accidentia; & in hæreditaria arthritide ſanguinē mittimus, & ob dolorem anodynis, & ſtupefacientibus utimur, etſi radix morbi nequeat extirpari.

Probatur ſecunda pars de curatione præſervativa in gibboſis & aliis morbis à natura contractis, contendimus humores in alias divertere partes, Fontanellas affigimus, partem roboramus; ægros ab alia in aliam regionem mutamus: Victum oppoſitum iis morbis præſcribimus, purgantibus, & aliis auxiliis minuentibus fluxum humorum proponimus.

Probatur tertiò de cura Coſmetica, pro naribus decurtatis alias extrahimus ex brachio, pro oculi organo apponimus aliud ex criſtallo, pro crure apponimus crus ligneum; aliaque ſupponimus membra, quæ vel ſuppleant pro deperditis, vel imminuant fœditatem ex defectu partis ortam.

§. IV.

Pro morbis communiter deſperatis quid agendum.

Reſolvendum tertio: Quod morbi deſperati ab arte, quia natura ſuccumbit, licet non poſſunt curari, quin accidat aliquid monſtruoſum à natura; non tamen omninò abſtinendum à radicativa eorum curatione.

Probatur primò: Nam licet raro contingit

tingit ab illa curari, dum Medici deſiſtunt à cura ſupervenientibus vetulis, & ſine eo quod quidquam valuerunt operari, actio naturæ illis adaptatur cum opprobrio medici. Ergo melius eſt, quod medicus perſiſtat rationaliter operando aliquid juxta conſiſtentiam virium: Patet antecedens ex Ovidio, *lib.* 1. *de Ponto.*

Sæpè aliquem ſolers Medicorum cura reliquit;
Nec tamen hic verâ deficiente perit.

Et inertia horum, qui hujuſmodi ægros relinquunt, refunditur in artem medicam quam ideò alter Poëta reprehendit.

Nulla quidem veſtri tam regula firma Galeni,
Quam non interdum curva refellat anus.

Probatur ſecundò: Quia præcipuè in morbis in quibus ſuccumbit natura cauſæ morbificæ, & æger omnino periturus eſt, contingit quod ſubitò humor mutetur à parte nobili in ignobilem irregulariter, & præter omnem ſpem, ut docet Galenus, *lib. de conſtit. artis medic. c.* 18. & 1. *Aphoriſ. comment.* 19. & ideo docuit Hippocrates, non eſſe omnino certas ſalutis & mortis prædictiones; Ergò in hac deſperatione non relinqui debet æger ex toto.

Probatur tertiò: *ex Seneca, Epiſtol.* 14. *initia in poteſtate noſtra ſunt, de eventu fortuna judicat*; ipſeque *epiſt* 94. docet: quod licet nequirent remedia morbos omnes devincere adhibentur aliis in remedium, aliis in ſolatium, & ut Bevcrovicius adducit.

Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus.
Non tamen idcircò contemnas lippus inungi.
Nec quia deſperes invicta membra Gliconis.
Nodoſa corpus nolis prohibere podagra.
Eſt quoddam prodire tenus, ſi non datur ultra.

Probatur quartò; ex Galeno, *lib.* 6. *Epidem. ſect.* 8. *comm. ult.* ubi Hippocrates Namiſiæ, & Phaëtuſæ deſperatis morbis adſtitit uſque ad mortem: & Galenus *in comment.* reddit rationem. §. *Namiſia vero non ſecus quam Phaëtuſa, cujus facta eſt nuper mentio, cum nullum fructum ex Medicorum opera tuliſſet è vita exceſſit: neque potuit diu vitam producere. Non tamen hæc nos deterrere exempla debent, quominus mulieribus ita affectis manum admoveamus. Sed excitare potius, ut ingenium exacuamus, quo optata conſequamur; Siquidem tum denique officio noſtro functi ſumus, cum omnia efficimus, quæ ratio nobis ſuppeditat, & longus uſus, peritiaq; commonſtrat.*

Probatur quintò: tum ex Galeno: *lib.* 10. *Meth. cap.* 10. §. *Quanto itaque ſatius eſt aliquid nonnulla fiducia, vel cum periculo facere, quam ſpe adempta certo perire, tanto profecto ſatius eſt potentibus præſidiis pugnare quam nihil agere.* Ex quibus evidenter noſtra probatur doctrina. Tum comprobat Cornelius Celſus, *lib.* 2. *cap.* 10. §. *Fieri tamen poteſt, ut morbus quidem id deſideret: corpus autem vix pati poſſe videatur. Sed ſi nullum tamen appareat aliud auxilium, periturusque ſit qui laborat, niſi temeraria quoque via fuerit adjutus, in hoc ſtatu boni medici eſt oſtendere, quam nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit, faterique quantus in hac re ſit metus, & tum demum ſi exigatur ſanguinem mittere: ſatius eſt enim anceps auxilium experiri, quam nullum.* Tum Avicenna hujuſmodi ægros ex toto relinquere

quere impium judicat, *Fen.* 4. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 10. §. *Ne proportionemur ad paucitatem miſericordiæ, fortaſſe ſalvabitur infirmus quandoque: quoniam multoties aliquis evadit ſine ſpe mirabiliter.* Tum Aëtius *lib.* 3. *cap.* 7. *abſtinere ab illis, qui affectioni corripi, & tentari videntur, planè deſperantium hominum eſt, & malignorum, quia humanum & plenum benevolentiæ eſt ſignum in extremis etiam malis uſque ad experimentum procedere ad reprimendam difficultatem morbi.* Sic recipiendi Zacutus, *tom.* 2. *dub.* 41. Rodericus à Caſtro, *lib.* 3. *de Medico politico cap.* 17. Mercur. *lib.* 5. *error. publ.* Codronclius *de Chriſtiana medendi ratione.* Cardanus, *de malo medendi uſu*, qui deploratos uſque ad extremum pronuntiato periculo juvandos eſſe tenent, ſine eo quod obſtent primo adductæ authoritates, quæ ſolum probant de illis morbis deploratis, quos ſi Medicus promitteret aut tentaret curare, & ſe ipſum & artem infamaret, ut qui promitteret avulſo oculo per illum videre, vel cæcum à nativitate naturaliter reſtituere. Neque obſtat, quod infamentur remedia, quæ aliis fuerunt præſidia, quia pronuntiato periculo non infamantur, cum non promittatur certa ſpes per illa; ſed deſperata tentatur, & Medicus rectè curari dicitur, ſi cognovit, prædixit, & operatus eſt ſecundum rationem licet non conſequatur ſalutem. Rhetor enim non ſemper ſuadet; nec miles aſſequitur victoriam; nec Politicus rectam Reipublicæ gubernationem; nec nauta navis; & ut inquit Ariſtoteles, *lib.* 1. *topicorum cap.* 3. *In Medicina enim perpendendum quid fieri, non vero quid ſequi debeat: & omnes ægrotantes ſanitati reſtituere impoſſibile eſt.* Nec Medico docto, & fido imputandus venit eventus mortis, *ex l. Illic* §. *Sicuti ad l. Aquiliam*, ut etiam tenet Freytagius, *lib. de abuſu medicinæ*, & cecinit Ovid. 1. de Ponto 4.

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger.
Interdum doctâ plus valet arte malum.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm omnibus non deploratis debeat medicus præſtare opem?

§. I.

Proponuntur plures, quibus videtur quod Medicus non tenetur opem conferre.

PRæter deploratos videntur eſſe plures ægri, quos non tenetur medicus curare. Primò videtur: quod Medicus non debet curare morbos, aut ægros renuentes confeſſionem. Innocentius enim Tertius *in Concilio Lateranenſi tit.* 37. *cap.* 15. inquit, *Cum eos ad infirmos vocare contigerit, illos ante omnia moneant, & inducant, quod Medicos advocet animarum, ut poſtquam infirmis de ſpirituali ſalute fuerit proviſum, ad corporis ſalutem procedatur.* Tum D. Joannes 5. inquit: *Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido quem ſanaverat, vade & noli amplius peccare.* Ex quo apparet, quod tali ante confeſſionem non debet Medicus opem conferre. Tum *in Eccleſ. Fili in infirmitate tua ne deſpicias te ipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te.* Et etiam: *Qui dereliquit in conſpectu ejus qui fecit eum incidet in manum Medici.* Tum Pius V. 8. *Martii Anno* 1566. *in ſua Bulla* inquit;

Cum

Cum medici ad infirmos in lecto jacentes vocati ſunt, ipſos ante omnia moneant, ut ideo Confeſſori omnia peccata ſua iuxta ritum S. R. E. confiteantur; nec tertio die ulterius illos viſitent, niſi longius tempus Confeſſor ob aliam cauſam infirmo conceſſerit, Tum idem docetur *cap. cum infirmitas de pœnitent. & remiſ.* Ergo debet Medicus auxilium iis denegare. Secundo Caſtro & Francus dubitant, & alii debeatne Medicus auxilium præſtare iis, qui irruunt in medicos, & pars negativa ſuadetur; Tum quia (ut tenet Francus) non obtemperant, auxilia rejiciunt, Conſilia taxant, præcepta contemnunt, fraudes fovent, ut propriæ inſiſtent opinioni, & ſuorum deliriorum quærunt Medicum tanquam Patronum, non tanquam morbi everſorem, & ideo illos reprehendit Tertullianus dicens: *Medicinæ præſidium plures refugiunt plures ſtulti, plures timidi, & maleverecundi*: Inter hos Petrarcha notatur tanquam inſaniens in Medicos, prout ſolent vulgares & fatui, quibus videtur non debere ob rationes dictas Medicus ſubvenire in ſuis morbis.

Tertiò: Si ægrotus non obtemperet medici præceptis, videtur deferendus: quia medicus eſt fruſtraneus illi, niſi exequatur remedia ab illo propoſita.

Quartò inepte, & morbis in quibus Medicus poteſt, niſi diſcedar, periclitari videtur, poſſe denegare auxilium, quia ex naturali jure debet ſuam vitam conſervare adhuc cum detrimento alterius, ſi in hunc finem ſit neceſſarium ita ut aliter illam nequeat conſervare.

Quintò: Ethnicis & contrariis videtur opem poſſe denegare. Hippocrates enim ad Artaxerxem Regem Perſarum hoc reſponſum mittit. *Inimici eſtis Græcorum, non dabimus vobis opem.*

§. II.

Quid tenendum variis determinatur decretis.

RESolvendum primò: Quod tenetur Medicus maximè hortari ad confeſſionem ægros, non tamen ab omni auxilio illos deſtituere.

Probatur à Franco ex Angelo, *in cap. Cum infirmitas §. Nihilominus ſi infirmus nolit confiteri, nec credo, quod propter hoc medicus debeat deſiſtere à medicamine.* Tum ex Diana, qui pluribus adductis Doctoribus, qui tenent: quod Medicus non tenetur deſerere ægrum, ſi non confiteatur in omni morbo: ſed in periculoſo, & lethali: ipſe tamen adhuc in lethali morbo fatetur: quod liceat æger maneat pertinax, & nolit confiteri, debet Medicus ipſi auxiliari ſemper illum admonendo de periculo: & commovendo ad confeſſionem, & licet deſperetur de obſequio admonitionis tenetur medicus curare, & licet diſcedat ab admonitione, ut tenent Sanchez *tom. 1. lib. 3. cap. 16.* Villalobos *in ſumma tom. 1. tract. 5. difficult. 17.* Barboſa, *in Collect. tom. 2. lib. 5. tom. 38. cap. 13.* Sylveſter, *in addition. ad 3. p. D. Thomæ quaſt. 6. art. 5.* Ratio hujus eſt imitatio divinæ pietatis, quæ ſemper nos exſpectat, quod prolongata vita auxiliis forſan æger reſipiſcet, quod medicus tentavit quantum eſt ex ſe, quod illi præcipitur, & proſequitur ulterius pietatis opus, quod potius æger obſtinabitur à Medico relictus, & forſan renuet poſtea obſequium, quod jam forte parabat.

Reſolvendum ſecundò: quod Medicus intemperantes non omninò deſerat, ad barbaros lucri cauſa non ſe conferat, inimicos non ex toto relinquat, ſed cautè ſe gerat.

Probatur primò, quod intemperati non ſunt omnino relinquendi. Tum quia prius intemperati à morbo oppreſſi poſſunt fieri temperati. Tum quia licet Galenus *libr. de Theriaca* doceat, intemperatos nullis poſſe curari auxiliis, loquitur de cura præcautoria ad morbos, in quos incidunt ob intemperantiam; non de morbis contractis, qui & aliis poſſunt auxiliis oppugnari, & nova temperantia juvari. Tum quia ut tenent Valleſius, & Francus, cum Medicus non ſit cenſor morum; ſed Curator morborum, ſemper debet attendere ad curationem; ſi æger accedat ad temperantiam, ſin minus ut deploratum ipſum relinquere, quia intemperantia quæ morbum contraxit continuata valebit illum conſervare incurabilem.

Probatur ſecundò; quòd Medicus non ſe debet conferre lucri cauſa ad barbaros, forſan ideo Hippocrates Perſis auxilium denegavit in peſte. Tum Francus plura adducit exempla id comprobantia ex Pancirola & Beverovicio; Manes Medicus ſe contulit ad curandum filium regis, & hoc non conſequutus à barbaris horrenda morte mulctatus. Alexander Glaucum Medicum cruci affixit, quia Epheſtionem non liberavit à morte. Zirbus Medicus accitus ad Triballos, ut curaret Baſſam Scander, quia non reſtituit illum, interfectus à ſervis, Auſtrigildis Conjux Guntrani, quia à morte nequivit liberari, exoravit maritum, ut interficerentur medici curantes illam: Rhaſis Erreſideno Regi ſanguinem miſit ad animi deliquium; & niſi ſtatim Rex rediret à deliquio trucidaretur à ſervis; Amatus in Aidar Turca, ſe abſtinuit à pluribus auxiliis, ne ſi mors ſuperveniret, trucidaretur ab illo. Ex quo apparet quantum periculum afferat conferre ſe ad Barbaros lucri cauſa ad medicam opem conferendam.

Probatur tertiò; de inimicis & ingratis à Caſtro. Quod medicus adhuc in inimicos, & ingratos ſe exhibeat humanus exemplis Caroli Quinti, & aliorum: qui in bello ſuos Medicos, & alia neceſſaria conati ſunt offerre ſuis inimicis. Tum quia Chriſtus Dominus docet nos diligere Inimicos, & non denegare illis opera Charitatis, per quæ poſſimus illis prodeſſe. Tum quia ut tenet Scribonius largus, medicus omni languenti debet opem conferre: Sed inimico renuente, & non petente auxilium, non alienum à charitate judicarem, quod medicus neget auxilium, ex quo poſſet incurrere in ſuſpicionem vindictæ, cum charitas bene ornata incipiat à ſeipſo ex D. Paulo, & ipſe adimpleat præceptum amando inimicum, ſine eo quod exponatur periculo.

Reſolvendum tertio, quod Medicus poteſt negare auxilium, ſi intervenit vitæ ſuæ periculum, ut in peſte, niſi fuerit conductus ad curandum.

Probatur tum ex Carrat *de Med. p. 2. n.* 92. citat. à Zachias. Tum tenet ex eodem Carneus, *Conſ.* 347. tum quia de jure naturali tenetur ad vitæ conſervationem.

* * * * *

Digitized by Google

§. IV.

Solvuntur rationes primo poſitæ in contrarium.

AD primum reſpondetur ex dictis: quòd medicus debet ſuadere confeſſionem: nec tamen omnino deſiſtere à curatione ob rationes ſupra adductas & authores id confirmantes.

Ad ſecundum; quod debet Medicus ob charitatem ſuos etiam amare inimicos, & auxilium præſtare; niſi interveniat periculum, ut illa charitatis actio infametur, & periclitetur medici opinio, ut diximus.

Ad tertium dicimus: Quòd ſi ex intemperantia non omnino impeditur curatio, æger non relinquendus, ſi omnino impeditur, Medicus debet diſcedere ne illi imputetur eventus, & ne remedia, quæ aliis fuerunt præſidio, infamentur.

Ad quartum reſpondetur: Quod Medicus, qui ob pactum non ſe obligavit, non tenetur in peſte, aut alio periculo mortis ſe immiſcere periculo mortis.

Ad quintum reſpondetur: Quod non debet medicus Ethnicis præbere auxilium ſi ſe conferat ad illos cum vitæ periculo, bene tamen ſi ſine illo quis petat ab eo curari ob communem charitatem inter homines conferendam, & quia ut tenet Herodianus: *Humanum eſt enim caſibus ingemiſcere humanis.* Non tamen deberet Medicus conferre inimicis Reipublicæ opem; ſicut & Hippocrates denegavit in peſte Perſis, dum eaſdem incurreret cauſas, quas ipſe habuit. Tùm quia non debuit ſe immiſcere peſti devaſtanti Perſas cum manifeſto vitæ ſuæ periculo. Tùm quia Barbari erant, & ſi non poſſet conſequi curationem, quam expectabant, illum trucidarent: ſicut poſtea orbati ejus auxilio contendebant facere minantes Græcis, niſi illum traderent ipſis ad exequendum ſupplicium in illo. Tum quia ſi Hippocrates judicavit quod Dii devaſtarent Perſas peſte, tanquam impios hoſtes Græcorum, non debuit ipſos juvare ſeque Deorum decretis opponere; præcipuè dum plectebantur illi ob ſuæ Patriæ defenſionem, ideoque illis reſpondit: *Inimici eſtis Græcorum, non dabimus vobis opem.* Quia Dii pugnant pro nobis; Unde Hippocrates non deflectit ab humanitate, ſed cedit aliis cauſis.

RESOLVTIO IX.

Vtrùm medico liceat recipere mercedem pro curandis morbis?

§. I.

Pars negativa quibus placet & ejus fundamenta?

EX Medicis Ludovicus Septalius *lib.* 8. *caut. med. num.* 20. Rodaricus de Caſtro, *lib.* 3. *de Med. Polit. cap.* 21. Francus à Reyes, *q.* 19. Zachias *tom.* 1. *lib.* 6. *tit.* 1. *q.* 8. & citati ab illo Sotus, & Navarrus apud Carrat. *de medic. p.* 2. *num.* 35. Ripa *tract. de peſte p. ult.* Caroc. *de loc. & cond. p.* 2. *q.* 1. *rubr. de medic.* Gaſpar Triſtan *de Clerico medico* §. 16. movent hanc quæſtionem: & pro parte negativa ex illis hæc illam confirmant fundamenta.

Primò: quia ut inquit Galenus, *lib.* 9. *de Decret. cap.* 5. *Apertum eſt medicum, qua medicus eſt corporis tantum ſanitati conſulere: qui vero ob aliud quid hoc agit, aliam habiturum eſſe appellationem. Quippe nonnulli lucri*

lucri cauſa medicinam exercent, quidam ob conceſſam ſibi legibus immunitatem, & Reipublicæ vacationem; alii humanitate compulſi; gloria alii, & honore allecti, quatenus itaque ſanitatis opifices ſunt, medici omnes communi nomine vocantur: quatenus vero diverſos ob fines munus illud tractant, alius humanus, alius ambitioſus, glorioſus hic, ille quæſtuoſus appellatur. Ex quibus apparet quæſtum in medicina damnare Galenum, & medici rationem conſtituere in ſola procuranda ſanitate corporis. Tum ſecundò: quia medicina cum ſit donum Dei; *à Deo enim eſt omnis medela,* non poteſt licite ullo pretio vendi, ſicut & alia ſpiritualia. Tum tertio: ex Hippocrate patet, qui renuens ab Abderitis pretium recipere pro Democrito curando, inquit: *Neque viri Abderitæ argentum per vim mihi obtrudite: ſed liberæ Artis liberæ eſſe ſinite opera, qui verò mercedem capiunt, ii ſcientias ſervire cogunt, veluti captivas ex priori libertate ipſas facientes, & addit. An non reputatis æquale peccatum eſſe hoſtes ſervare & amicos mercede curare;* Tum quarto: ex Pindaro & aliis tradit Tiraquellus Æſculapium à Jove fulmine ictum fuiſſe, quia mercede exercebat medicinam. Tum quinto: addit Zachias ex Caratio, Medici ob medicinam variis fruuntur Privilegiis loco præmii: Ergò non poſſunt petere mercedem.

§. II.

Medici non debent mercedem petere.

PRobatur tum quia ut tenet Zachias, *lib. 6. tit. 1.* Honorarium debetur Medicis Architectonicis: at verò mechanicarum artium Profeſſoribus debetur merces, & ideò hæc à medico non debet exigi. Tum quia merces commenſuratur cum opere pro quo datur. Sed pro medicinæ opere nulla merces ſatisfacit, ſed ſolum illud quod honorarium eſt: nam ut inquit Quintilianus, *in declamatione illius. Sola eſt Medicina, qua opus eſt omnibus: nam licet reliquis artibus nec ſemper, nec omnes egeamus, hujus utilitate conſtat omnis vita,* & Caſſanæus, *in Catalogo p. 10. concluſ. 45.* comprobat dicens: *Quis neſcit medicum ad omnes totius civitatis ordines, ad omnem ſexum, ad omnem ætatem pertinere, cum ſummatibus, infimatibus, ſenibus, pueris, fœminis ægrotare contingat; & omnes ex hoc utilitatem petant indiſcriminatim, meritoque dici poteſt. Medicum rem communem terrarum eſſe; & profectò ſi vera deſpicimus, ſi curioſè cuncta perpendimus, ſola medicina, ſoloque medico opus eſt omnibus: Medicina eſt, quæ una contra facta depugnat, eademque identidem expugnant quæ languentib. vitam prorogat; quæ jam deploratos, jam defectos, jam in familia Orci numeratos, luci, auraque vitali perſæpè reſtituit, multique Medicorum opera revixiſſe creduntur.* Ergo nulla merces poteſt ſatisfacere pro eorum operibus: Tum patet ex Seneca, *lib. 6. de benefic. cap. 15. §. Emis à medico rem inæſtimabilem, vitam, & valetudinem bonam: itaque pretium non rei, ſed operis ſolvitur, mercedem non meriti, ſed occupationis ſuæ ferunt: Salus enim hominis nullo beneficio penſatur.* Ergò nulla merces poteſt peti à medico, quæ ipſius æquivaleat muneri: nec debet ab illo exigi.

§. III.

Quale præmium deceat Medicos

REſolvendum ſecundò: Quod licet Medicis recipere ſaltem honorarium

 præmium

præmium, quod adaptatur, & affertur illis ob ſuam beneficam occupationem.

Probatur, tum ex politicorum, Imperatorumque decretis, qui in jure Cæſareo ſic decernunt *in l. enim Medicos. C. de Profeſſoribus & Medicis.* Salarium honorarium de bonis communibus decernunt pro Medici benefica occupatione, qualis conſignatur Politicis & Magiſtratibus. Tum ſacra Pagina ſic docuit: *Exod.* enim *cap. 21. verſ. 19. §. Innocens erit, qui percuſſerit, ita tamen ut operas ejus, & impenſas in Medicum reſtituat.* En qualiter in honorem curationis jubet Deus Medico reſtituere impenſas: Et in *Eccleſiaſtico cap. 3.* docetur, deberi honorem Medico, & quod à Rege accipiat donationem, ſeu honorarium premium. Tum patet ita eſſe juſtificatum debitum honorarii præmii Medici, *ex C. de credit. c. 4. q. 11. n. 1566.* teneat, quod pro illo præferendus ſit cunctis creditoribus, & ex textu *in l. Medicus, ff. de varia & extraord. cognit. & ex l. Archiatri, C. de Profeſſ. & Medic.* deducitur, quod Medicus non poſſit paciſci pro ſalute ægri: hoc enim eſſet mercenarium: bene tamen poteſt poſt ſanitatẽ recipere, quod voluntarie offert ſanus: quia quia hoc eſt honorarium. Ex quibus hæc deducit Zachias. *Dico cæteros omnes Medicos (Miniſtros inquam artis, Empiricos & Spagyricos) Phyſico excepto poſſe de mercede cum infirmis paciſci, eorum enim opera ſunt ſervilia, non minus ac ſunt opera aliorum artificum mechanicorum: nam & ipſa chirurgia, quæ cæteris ſupereminet mechanica eſt, niſi à Phyſico exerceatur.* Et paulò infra ſuperaddit, eſſe contra omnẽ Phyſici Medici dignitatẽ paciſci, de dignitate n. Medici eſt, quæ dantur honorario modo recipere, non exigere ut docuit Soran. *in Iſag. c. 3.*

Probatur ſecundò ex Hippocrate in præceptionibus dicenre. *Nam ſi à mercede inchoaveris conducit hoc univerſo negotio: ægroto ſiquidem cogitationem induces, quod ipſo relicto abibis; Si verò non paciſcaris, quod ipſum negliges, & de quibuſdam in rem præſentem non admonebis.* Ubi Hippocrates ponit caſum, in quo judicat eſſe neceſſarium, quod Medicus paciſcatur de honorario præmio pro ejus ſalute, dum ſcilicet diffidit æger de illius aſſiſtentia, & cum Medici confidentia, ut inquit Avicenna, plures ſanet, quam plura remedia: quia ex Hippocrate ipſo ille plures ſanat, in quo plures confidunt: hinc eſt, quod in hunc artis finem, quod æger ſanitatem ex confidentia aſſiſtentiæ Medici conſequatur, honorarium præmium poteſt à Medico admitti.

Probatur tertiò ex prop ietate loquendi Ciceronis, *lib. 17. famil. epiſt. 9.* ſcribens: ut ſolveretur Medico præmium honorarium, & inquit: *Curio miſi, ut Medico honos habeatur, & tibi daret, quod opus eſſet.* Ubi demonſtrat, nihil condignum ſolvi pro Medici operibus, niſi honorem, & ideò antiquioribus Medicis ſolus Deitatis honos decernebatur. Primi enim pro Diis habiti ſunt Apollo, Æſculapius: Hippocrati templum ſui erexerunt, & decreverunt ſacrificia, quibus colebatur Hercules illius Progenitor: Plerique Reges fuerunt, ut Apis, Oſiris & alii à nobis relati, & quia, ut tenet Seneca de Medicis: *Plus eſt, quod vendiderunt, quàm emimus.* Ob id ergò tanquam honoraria præmia plura ac magnifica ſunt Medicis collata, ut Tiraquellus Caſtro, Reyes & alii referunt. Plinius tenet, centum talenta donata fuiſſe Eraſiſtrato Antiocho Rege ſanato à ſuo filio

Prolo-

Digitized by Google

Ptolomæo, quæ ſunt ſexaginta millia aureorum: Sex, ducenta, & quinquaginta tenet conſignata pro honorario præmio annuo celeberrimis Medicis; Caſſiis, Carpetanis, Aruntiis, Albutiis, & apud principes ſex ducenta & quinquaginta millia aureorum; Crateri duplicatum fuit honorarium Salarium: & Crinas Maſſilienſis; Medicus adeò magna habuit honoraria ſtipendia, ut valuerit ex illis relinquere pro Patriæ muris Seſter. Centies. Mercurialis 3. *Variarum* refert magnificentiſſima Romanorum in Medicos ſtipendia honorifica; Podalirius ob ſanatam Regis filiam ejus maritus & Rex factus fuit: & ſic ab Hiſpaniæ, Galliæ, & aliarum nationum Regibus, & Pontificibus; magnificentiſſima ſtipendia honorifica; magnificentiſſimaque, ac honoratiſſima privilegia medicis ſunt conceſſa, ab ipſiſque benigniter admiſſa; nec ut contendit Francus, hæc collata ſunt potius ob magnificentiam, quam ob meritum: meritum enim recuperatæ ſalutis, vitæve liberatæ omnem excedit largitatem, dum ſcientificè hæc operantur. Præcipuè ſi ſit is quem refert Auſonius Medicus.

Obtuli opem cunctis poſcentibus artis inempta.
Officiumque meum cum pietate fuit.

§. IV.

Quibus Medicis debetur honorarium ex jure?

Reſolvendum tertio: Quod leges ſolis veris Medicis honorarium determinant: non autem illis; quos nugax vulgi credulitas medicos fecit.

Probatur præmium à Legiſlatoribus ſolum proponitur pro veris artium, & ſcientiarum Profeſſoribus, ut præmiis alant artes: ſed honoris, & lucri cauſa plures, ut Hippocrates docuit, *lib. de arte* medici perſonam agunt, & plures noſtris temporibus ſub nomine Medici numerantur à vulgaribus ſine ſcientia, ſine artis principiis, ſine eo quod ad Univerſitates acceſſerint; ſed tantum ut tenet Perſius:

—à fronte politus,
Aſtutam vapido geſtans ſub pectore vulpem,

Cum quibus ſuas fraudes venditant ſua promittunt medicamenta, finguntque obſervationes: & ut inquit Plinius, *Fraudes hominum atque ingeniorum captura officinas invenêre iſtas, in quibus ſua unicuique homini venalis promittitur vita.* Et cum innumeri fingantur Medici, nullus eſt, qui aliquibus non placeat, Vel quia hilaris, vel quia opponitur Sapientioribus, vel quia vili pretio ſuum offert laborem; vel inſcitiam: & cum ut Hippocrates docuit, *lib. de lege Medici ſint plurimi verbis, ſermone, famave: opere autem & revera pauci ſunt:* Ii autem parum valent apud vulgum, quia ſcientiæ, & propriæ æſtimationis amatores vulgares contemnunt: qui verò illorum perſonas agunt, vulgaribus adhærent, & ſuis nugis ipſos ad ſe trahunt: ſeque ipſos ſua garrulitate præclaros apud illos medicos faciunt. ut Poëta canit:

Et quos inſignes garrula lingua facit.

Hi autem medici ſua garrulitate facti, & alii Agyrtæ, Empirici impoſtores; & qui Doctoratus gradum receperunt in mulierum cœtibus, quas adulatione conciliarunt, ut vana credulitate reliquas inficerent ad laudandum eum, quem proponunt, ſanctumque faciunt, humilem, devotum, & fore beatum, ii inquam omnes

Digitized by Google

indigni ſunt honorario præmio; nec ipſũ quærunt, ſed mercedem, quia ut Hippocrates docet: Cum non ſint medici, ſed tanquam Tragœdi agant medici perſonam, nam honores medicinę debitos contendunt adquirere; ſed mercedem divitias & pręmia, quæ debentur tragœdis; ii enim non honores Regum & perſonarum, quas agunt, contendunt adquirere, ſed ex populari aura divitias, cum quibus in ſua ignorantia, vilique ſorte juventur, auraque vulgari flante locupletentur.

§. V.
Solvuntur rationes primò propoſitæ.

AD primum reſpondetur: Quod Galenus proponit finem artis, & alios fines operantium medicinam, & nos ob finem artis dicimus deberi medico honorarium, licet ob alios fines non debeatur. Tum pro ſecundo: Quod alia eſt medela à Deo tanquam donum Dei hominibus communicata, qua utebantur Apoſtoli, quę gratis accipitur, & dabatur ab illis. Alia eſt ſcientifica, ope & labore artis adquiſita, pro qua licet non ſit merces, quæ ſufficiat, poteſt tamen Medicus honorarium recipere illi legibus conceſſum, ſicut & Magiſtratibus & Proregibus, qui licet in ſumma dignitate ſint conſtituti, & nulla merces pro illis ſufficiat, Rex honorarium illis præſcribit præmium pro neceſſariis ſumptibus, quod ſic præſcriptum, vel gratis oblatum pro adquiſita ſalute, Medici recipere poſſunt pro ſui labore in ſtudio, & curatione. Tum pro tertio: Quod Abderitæ contendebant de paciſcenda mercede cum Hippocrate, ut curaret Democritum Philoſophum, & hanc renuit, quia ars liberalis, & ita benefica nulla poteſt mercede compenſari, quaſi eſſet ars mechanica; non tamen negat: quod poſſit Medicus honorarium ob ſui curam, & laborem recipere. Tum pro quarto: Quod Tiraquellus & alii alias adducunt rationes ob quas Æſculapius ictus fuit fulmine: nos vero aſſerimus, id fuiſſe in pœnam peccati, quia avaritia motus pro medendo paciſcebatur mercedem, & ob hanc indignitatem meritò, quia Patris ſcientiam vilem reddebat, fuit morte punitus; hoc autem non aufert, quòd opera Medici honorario ſit digna. Tum pro quinto: quod Medici & honoribus & honorariis præmiis digni judicati ſint ab Imperatoribus, & Legumlatoribus, & ideo utriſq; illis frui concedunt, quia plus ab illis recipitur, quam poteſt ſatisfieri, ut fatetur Seneca.

Ex iis deduco cum Zachias, quod quidam Medici, qui ſe offerunt ad curandum ſine eo, quod tribuatur illis honorarium: quod aliis Medicis ſolebat offerri, indigni ſunt ut tanquam Medici admittantur: quia eo ipſo, quod ipſi cognoſcant ſeipſos indignos eſſe honorario quod debebatur aliis, cognoſcunt, quod non ſunt Medici, & non debent ab aliis in majori pretio haberi, cum ipſi qui ſe cognoſcunt, fatentur ſeipſos pretio indignos.

RESOLVTIO X.

Liceatne Medico dogmatico ſanitatis cauſa ægrum fallere & mentiri?

§. I.
Pars negativa pluribus fulcitur fundamentis.

RODericus Caſtro & Francus hanc quæſtionem diſputant. Zacutus *tom. 2.* negati-

negativam partem ſuadent: quia Medicus eſt artifex nobilis, præſtantiſſimus ſervator vitæ hominum, & publicæ ſalutis naturæque Miniſter, malorum depulſor, qui debet eſſe juſtitia ſeverus, integritate vitæ inculpatus, ſcientia venerandus; Ergo non licet illi fallendo mentiri cum ægris.

Probatur ſecundo: Mentiri & fallere eſt malum in Decalogo prohibitum: ergo adhuc ut ſalus ægri ſubſequatur ex illo non licet Medico: quia ut docet D. Paulus non ſunt facienda mala ut eveniant bona. Tum D. Auguſtinus, *in Enchir. c.* 13. inquit. *Nec ideò ullum mendacium putandum eſt non eſſe peccatum: quia poſſumus aliquando alicui prodeſſe mentiendo. Poſſumus enim, & furando aliquando alicui prodeſſe: ſi pauper cui palàm datur ſentit commodum: nec tamen tale furtum quiſquã dixerit non eſſe peccatum.* Tum D. Auguſt. *lib. de mendacio ad Conſent.* diſputata quæſtione concludit. *Elucet igitur diſcuſſis omnibus nihil aliud teſtimonia ſcripturarum monere niſi nunquã eſſe omnino mentiendum.* Tum ſuperaddit: *Quiſquis autem eſſe aliquod genus mendacii quod peccatum non ſit, putaverit, decipiet ſe ipſum turpiter.* Tum ſuadet ratio D. Auguſtini, quia mendacium intrinſecè eſt illicitum & malum & ideò per nullam extrinſecam circumſtantiam poteſt fieri bonum. Tum *lib. contra mendacium cap* 7. inquit: *Intereſt quidem plurimum, qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat; ſed ea, quæ conſtat eſſe peccata nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla veluti bona intentione facienda ſunt.*

Probatur tertiò; ex Ethnicis Ariſtoteles, *lib.* 4. *Ethicor.* definit mendacium, dicens: *Omne mendacium pravum & fugiendum:* & Sophocles inquit: *nullum mendacium procedit ad ſenectutem avi, malum eſt facta celare: nec virum decet ingenuum.* Ex quo apparet, quod ſit indecens ingenuo Medico. Euripides dicit: *Infelix eſt, qui mendacia etſi bona ea videntur, potius uſurpat quam quæ mala eſſe judicat vera.* Menander tenet, quod *mendacium odit omnis ſapiens, & utilis.* Theognis dicebat. *Principium mendacii exiguum habet gratiæ; circa finem verò turpe. ſanè lucrum malumque pariter nanciſcitur, eſt autem planè inhoneſtum, ſi cui mendacium adhæreat viro, & ab ore egreditur primum.* Ideo præcepto vetitum, *in Eccleſia, in Proverb.* & à Divo Paulo *ad Coloſſ.* 3. *Nolite ad invicem mentiri.*

§. II.

Qualiter medicis pro ægris liceat fallere, aut mentiri?

Reſolvendum: Quod ſi quando Medicis licet mentiri, hoc non lædendi aut fallendi cauſa, quod graviſſimum eſt peccatum; ſed ſimulando, & benignitate cum ipſa fallacia ægrum reſtituendo ad ſanitatem.

Non admittimus cum Lipſio licere mentiri Politicis, cujus contrarium demonſtrat Magiſter Marquez *in ſua Politica lib.* 2. Nec cum Platone: quod licet non licet Diis, licet hominibus mentiri: contrarium enim docet fides Catholica. Sed quoad medicum pertinet, videtur, quod ægrum ſanandi cauſa, ſi ſimulet aut mentiatur, quam minimè diſcedat à veritate.

Probatur primò; ex D. Auguſtino, *lib. de mendacio, cap.* 14. ubi octo ponit gradus mendacii, inferior quorum eſt & infirmior cum quis mentitur ad impediendum ſtuprum, ſeu Caſtitatis violationem, in quo gradu poteſt poni mendacium ad impediendam ægri mortem, vel morbum. Tum ex D.

ex D. Chryſoſtomo, *lib. de ſacerdotio*, ubi laudat Medici prudentiam, qui ægro renuente in febre ardente, bibere aquam, quia vino erat deditus, fecit ollam concoqui cum vino confectam: ut æger odoris ſimulatione, vinum eſſe crederet aquam, cum qua ipſum ad ſanitatem reduxit. Tum ſimulationem in aliorum utilitatem vidimus in ſacris literis, vel ſimulationem veritatis; Abraham ſimulans Saram eſſe uxorem, dixit eſſe ſororem, *Geneſ.* 20. Samuël 1. *Regum* 16. cum in aliud veniret dixit venire ad ſacrificandum. David 1. *Reg.* 22. cum à Saüle inſidiaretur dixit ab ipſo inſidiari. Judith hiſtoria, & aliæ idem demonſtrant. Tum D. Auguſt. *lib. de mend. cap* 22. inquit: *Omne mendacium eſt peccatum*, etiam quod fit pro ſalute aliorum. Et de hoc dicit, *peccatum ergo eſt, ſed veniale quod benevolentia excuſat*, & ob iſtam operatur Medicus quid poteſt, ut inquit Michaël Ayala.

Proſit ut ægrotis medicamen nihil dedecet artem;
Id fiat ſalva religione modo.

Tùm patet ex communibus Medicorum operationibus, qui in curandis ægris, ſi ad illos ſit neceſſaria ſimulatio: vel ſæpè mendacium iis utuntur, inquit enim Francus *q.* 12. quod licet medico fallere ægrotantem propter illius ſalutem. Sic enim antiquiores exercuerunt, Galen. *lib. 6. Epidem. comment.* 2. inquit. *Nec tamen magnopere mentiaris, ſalutem polliceri tentato, non ut mentientes apertè faciunt.* Arethæus *lib.* 3. *de cauſ. cap.* 1. ſic, *jucundis citra noxam ægro concedendis ipſoque decipiendo medici virtus, atque excellentia dignoſcitur.* Tum demonſtrant utilitatem fallendi ægros variæ hiſtoriæ illorum, qui ſic curati ſunt, præcipuè ex melancholicis quorum depravatæ imaginationes, non potuerunt reduci niſi mendacio, & fallaci curatione ſagacique medici artificio, quarum mentionem fecerunt varii; ſed præcipuè Quercetanus in diæteticone, quidam qui credebat habere naſum magnitudine urnæ, curatus eſt accõmodato naſo ex bubuli hepate à quo paulatim ſciſſo, & ægro cruentato, credidit ablatam naſi exuperantem magnitudinem & qui credebat habere in ventriculo ſerpentem: curatus vomitorio, & ſerpente illo inciſo injecto in pelvim, judicante vomitu rejectum. Qui judicabat caput non habere, impoſito galero plumbeo reſipiſcit: qui ſe mortuum judicabat renuebat comedere, repræſentatis aliis mortuis comedentibus auſus eſt commedere. Qui ab amico credebat, ſibi immiſſo duos dæmones, confictο Necromantico, utente variis circulis & ceremoniis, ac Characteribus, perſuaſus eſt à dæmonibus ſe liberari, & ſic de aliis innumeris.

§. III.

Solvuntur fundamenta in principio propoſita.

AD primum reſpondetur: Zacutii probare, quod Medicus non debet mentiri nocendi cauſa, non vero quòd non liceat cum ſit ſine dedecore, & ut curet morbos, & liberet ab illis ſimulare.

Ad ſecundum reſpondetur: Quod medici ſimulatione curare morbos contendunt plerumque, quæ in ſacra pagina non omninò ſemper fuit damnata, vel quod ſi quando mentiri cogantur ad ſanitatem conferendam ægro, excuſantur, quia non mentiuntur nocendi, aut fallendi cauſa, ſed benefaciendi, ſicut qui mentitur ad vitandum

tandum ſtuprum ; vel mortem alterius, quod peccatum quam maximè minuit D. Auguſtinus, ſicut quod fit joci cauſa.

Ad tertium reſpondetur : quod Ethnici malitiam reprehendunt, non illud quod in benevolentiam proximi, conſervationemque vitæ ordinatur.

RESOLVTIO XI.

Vtrùm Medicus dogmaticus debeat uti Aſtronomia, ſeu Aſtrologia?

§. I.

Proponitur Aſtrologorum, & Chaldaeorum opinio.

CHaldæi, & qui ipſos imitantur Aſtrologi, ut tenet Torreblanca & Freytagius in hoc deciderunt ſabulamentum, ut omnia quæ ſub orbe continentur, contendant pendere à ſyderum dominio, omneſque rerum eventus, ſimul & humanas actiones pendere à ſyderum aſpectibus, conjunctionibus, Cælorumque nutui obedire, & aſtrorum ac ſyderum; ab eorumque facie malefica, aut benefica fælices, aut infælices provenire eventus, ſimulque & morbos curabiles, aut incurabiles fieri à quibuſdam aſtris maleficis, aut ſalutaribus: inter benefica ponitur Sol, Venus, Mercurius, inter malefica Saturnus, & Mars. Aveneſte ſeptem in Cœlis ponit gubernatores, & ab iis provenire ſalutem, mortem, vitam, morbos, & eorum eventus, ex quo ſubſequitur, quod Medicus indigeat Aſtrologia, & aſtrorum cognitione, prævideat morborum eventus, imò & juxta illorũ diverſitatem, aut conjunctiones, ſeu aſpectus variet curationem. Sic *Bravo Diſputatio Apologetica.* Crinas Maſſilienſis Medicus victum, frictiones, cucurbitulas, ſanguinis miſſionem & quodvis auxilium non exercebat, niſi attendendo ad aſtrorum aſpectus, & in tantam devenit opinionem & divitiarum affluentiam, ut poſtquam muros Patriæ ædificavit, omniũ potentiſſimus permanſerit. Præterea ut tenet Freytagius. Aſtrologi tenent, quod fiunt morbi à determinatis planetis, ita ut à Saturno fiant quartanæ, lepra, ſcyrrhus, cancer, ſtrumæ, melancholia, ulcera maligna, incubus, obſtructio lienis, & jecoris, varices, hæmorrhoides hernia, uteri ſuffocatio: à Jove verò dicunt fieri cephaleam ſanguineam, ſynochũ ephemeram, anginam, pleuritidem, peripneumoniam phlegmonem, apoplexiam: à Marte tertianam, hæmitritæum, phrenitidem, maniam, hęmorragiam, cholerã, icterum, diſſenteriam, eryſipelatem, exanthemata, herpetes, carbunculos: à Sole febrem continuam, palpitationem cordis, à Venere ædema, priapiſmũ, ſatyriaſim, gonorrheã, inſaniam ex amore, morbum Gallicum, à Mercurio vertigenem, linguæ vitia, tuſſes; à Luna epilepſiam, arthritidem, hydropem, paralyſim, letargum, comma, catharrum. Præterea ſignis ſuos adaptant morbos. Arieti epilepſiam, aurium, narium, dentium, & oris dolores, ſcabiem, impetiginem, & puſtulas. Tauro omnes affectus gutturis, & colli, anginam, ſcrophulas, & Geminorum morbos eſſe dicunt, qui fiunt ex ſanguine in manibus, brachijs, & cruribus; Cancro tribuunt pruritus, lepram, deopilationem. Leoni morbos, qui fiunt in corde: & diaphragmate. Virgini morbos, qui fiũt in teſtibus, & abdomine. Ex quibus videtur, quod medicus ſine eo quod ſit Aſtrologus, & hæc omnia ſidera cognoſcat,

ſcat, & illorum influxus poſitiones & oppoſitiones, non poſſit veram exercere medicinam.

§. II.

Aſtrorum neceſſaria operatio non facit quod Medicus indigeat Aſtronomia aut Aſtrologia.

RESolvendum: Quod falſo affirmant Aſtrologi, quòd eventus rerum, actiones humanæ, ſalus aut morbus neceſſariò proveniant ab aſtris & ideo quod Medicus neceſſario indigeat Aſtronomia, ſic Torreblanca, Alexander de Angelis, Freytagius & omnes Doctores Eccleſiaſtici.

Probatur primò: Si ſalus & morbus, vita atq; mors neceſſario & inevitabiliter penderent ab aſtris, nulla eſſet Medicorum operatio, cum nulla arte poſſet juvari infirmus, qui ab aſtris malevolis neceſſario occiditur; nec ejus auxilio indigeret æger, qui ab aſtris benevolis neceſſario eſſet ſanandus. Ergo Medicus nec indigeret Aſtronomia, nec medicina, nec alia ſcientia; aut arte coadjuvante ad curandum.

Probatur ſecundò: *Si* morborum eventus penderent neceſſariò ab aſtris, & reliquæ actiones humanæ, auferretur à Deo poteſtas agendi, & operandi in hæc inferiora; ab hominibus liberum arbitrium, quo deſtructo deſtruitur hominis ratio: ab ejus operibus auferretur, quod ſint bona aut mala, & omnes virtutes morales abolerentur. Ergo hæc neceſſitas operandi non eſt admittenda, cum opponatur fidei & rationi, nec ob illam Medicus Aſtronomia indiget.

Probatur tertiò: *Si* aſtris eſſet neceſſaria agendi facultas, & omnes regerent actiones, & ad ipſas cogerent, eodem tempore ab eiſdem aſtris omnes ſimul operarentur eodem modo: eodem autem tempore alii peccant, alii virtutes operantur, & ſimul eodem tempore omnes ſani fierent, aut morerentur ab eis operantibus aſtris; *Sed* alii fiunt ſani eo tempore, quo alii moriuntur. Ergo nec aſtra neceſſario agunt, nec ideo aſtrologia eſt neceſſaria Medico.

§. III.

Aliqua in Aſtronomiam animadverſio requiritur in medicina.

RESolvendum ſecundò: Quod in curia prælectiva requiritur in Medico aliqua in Aſtronomiam animadverſio.

Probatur: Quia hæc eſt ſcientia quæ verſatur circa cæli curſum, ſyderum motum, ortum & occaſum, ecclipſim, aſpectum, retrogradationem & alia quæ conducunt ad morborum mutationes, cauſas & curationes, eſtq; utilis & permiſſa illius cognitio, ut tenent D. Thomas *p. 1. q. 115. art. 5. contra gentes c. 85. & 86.* Suarez *de Religione lib. 2. c. 11.* Martinus del-Rio *lib. 4. Mag. c. 1. q. 1.* Mirandulanus ſingul. certam. *lib. 22. 23. & 24.* Et docet Auguſt. *epiſt. ad Januarium.* §. Non autem quiſquam ſapiens arbitratur obſervatores temporum eſſe reprehendendos, quia dicunt, non proficiſcendum hodie, quia tempeſtas exorta eſt, vel ſi qui forte alii naturales effectus circa motum aëris & humoris ad vitandas temporum qualitates ex ſyderum ordinatiſſima converſione notati ſunt, de quibus dictum eſt cum conderentur, ut ſint ſigna temporum, dies & annus.

Probatur ſecundò, ut docet Hippocrates *lib. de loc. aere & aquis,* Medicus quàm maximè debet attendere temporum mutationes per quas aër alteratur, & maximas

acdi-

ac diverſas acquirit qualitates, per quas corpora alterantur: in morbos incidunt, vel ab illis liberantur. Quod etiam docet Aëtius: & Ægineta inquit: *Verum ambiens nos aër temperamenta mutat, atq; pervertit, dum aut immodicè calidior aut frigidior, aut ſiccior, aut humidior evadit. Nam reliquis cauſis non omnes ſimul obnoxii ſumus, nec per totum diem occurſamur: aër autem nos ambiens forinſecus omnibus nobis circumfuſus eſt & per inſpirationem trahitur.* Neceſſe igitur, ut ad mutationes ejus juxta temperamentum ipſius conficiantur etiam animalium corpora, ſed has mutationes docet Aſtronomia ex Solis, Lunæ, & aſtrorum mutationibus, ortu & conjunctionibus, ergo Medicus indiget aſtronomiæ adverſione pro cura regulari.

Probatur minor: Sol enim quatuor anni tempora procreat, ver temperatum, æſtatē ſiccam & calidam, autumnum frigidum & ſiccum, & hyemem frigidam & humidam: Sol & homo hominem generat: ex acceſſu aut receſſu ad nos omnes plantas vivificat aut extinguit: omnes actiones auget, aut imminuit: in ſublunaribus, & ſuis qualitatibus in corpore communicatis in cauſa eſt ut juxta illas coindicet, aut contraindicet remedia: Ideo Hippocrates *ſub cane & ante canem difficiles judicat purgationes*: Luna terræ proxima maximè immutat corpora ob ſui vicinitatem, & ob varias ſui mutationes; præcipuè tamen humiditate præeſt: inquit enim Macrobius 7. *Saturnal 16. Sicut Sol, ut majoris caloris haurit humorem, ſic lunare lumen, in quo non eſt manifeſtus calor, ſed occultatus tepor magis diffundit humecta.* Plinius *lib. 2. cap.* 41. inquit: *Jam quidem lunari poteſtate oſtreorum conchyliorumq; & concharum omnium corpora augeri, ac rurſus minui.* Sunt variæ in ipſa mutationes per quaterniones, in quibus morbi augentur aut imminuuntur; præcipuè ſi ex humidis fiant humoribus, in pleniluniis & noviluniis ob varias in illos mutationes, & ſuſcitata accidentia recuſant Medici purgationem, aut ſanguinis miſſionem. Avicenna *Fen.* 41. *cap.* 21. adhuc illius obſervat motum ad affigendas cucurbitulas; Sed ut ex Quercetano deduximus *tom.* 1. *Reſolutionum Medicarum diſp.* 1. *ſection.* 2. non parvæ fiunt alterationes, temporumque mutationes, ex aliquorum ſyderum & aſtrorum ortu & interitu; in 21. vel 22. die Martii, quo Sol Arietem ingreditur, & Pegaſus equus mane exoritur, fitque æquinoctium vernum: Fiunt in aëre magnæ mutationes, ſimul & perturbationes ventorum. A die 18. 19. & 20. Aprilis, & aliquot poſt diebus Plejades ſitæ ad oculum Tauri exoriuntur cum Sole, & cum ſydus ſit frigidum, refrigeratur aër, pluſquam fuit in menſe Martio: die 28. Aprilis oritur Orion cum Sole & Hyades circa primum Maji: Heliacæ oriuntur, cauſantque tempeſtates, & pluvias, magnaſq; mutationes, dum prope ſolem conſiſtunt. A die 7. Maji Plejades incipiunt exurgere mane, & Sol recedere à Tauri domo, ut tranſeat ad Geminos Amicleos; ſupervenitque calida temperies in aëre. A die ſexto Junii poſt occaſum Solis Arcturus occidit die nono: Delphinus emergit ante exortum Solis: Die 23. & 24. Orion mane incipit oriri, Sol Cancrum ingreditur, fit æſtivum Solſtitium: & ante ac poſt illud variæ fiunt mutationes & alterationes. Die tertio Julii totum aſtrum Orionis manifeſtatur ad Orientem, qui inceperat 24. die Junii, & cum illo variæ

ſtellæ primæ, ſecundæ & tertiæ magnitudinis: in quarta ejuſdem menſis exoritur manè Procyon, ſeu canicula: Canis verò die 19. Sol ingreditur leonem, & ardentiſſimi fiunt dies Caniculares. Die 17. Septembris Arcturus oritur, magnas excitans perturbationes: die 19. exurgit Spica manè, quæ aerem exagitat, & perturbat varioſque parit morbos: die 20. Octobris, quo oriente ſole Plejades occidunt ſupervenit aëris perturbatio, & circa finem ejus. & Novembris principium perſpicitur Orion veſperi exurgere cum Sol occidit,& moratur in ſcorpione, inde tempeſtates maris. Die prima Decembris canis occidit matutinis horis, quæ ſi tempeſtuoſa aut ſerena talis perſeverat diſpoſitio per 37. dies. Capra oritur per aliquot dies ante hybernum ſolſtitium, & tunc ſol divertit ad capricornium; fit hyemalis frigida conſtitutio. Ex quibus variis mutationum temporibus varii fiunt morbi, variæq; eorum conſtitutiones, quæ à Medicis ideo maximè debent attendi, ſimulque Aſtronomia, quæ illos præſcribit.

Probatur tertio ex Hippocrate, qui *libr. de locis, aere, & aquis, libr. de diæta in Aphoriſticis ſententiis*, docet attendendas eſſe magnas temporum mutationes; præcipuè *lib. de locis, aere, & aquis:* tenet, Aſtronomiam ad rem medicam plurimum conferre: quia una cum tempore immutatur ventriculus; & *lib. 1. de diæta textu* 2. inquit: *Sed & aſtrorum ortus, & occaſus cognoſcere oportet, quo mutationes, & exceſſus ciborum, ac potuum & ventorum, & totius mundi, ex quibus ſanè morbi hominibus oriuntur, obſervare ſciat.* Ergò ſaltem in cura electiva aſtronomia Medicis congruit.

§. IV.

In cura urgentiori minus apparet utilis Aſtronomia.

Reſolvendum tertiò: Quod in cura coacta ab urgentiori indicatione omittitur, quæ ob aſtronomiam deſumitur ab aſtris, eorumque mutationibus.

Probatur primò ex Galeno *lib. 1. ad Glauconem*, ubi docet, quòd ab eo quod magis urget, altero neglecto proſequenda eſt indicatio. Unde ſi urgeat neceſſitas mittendi ſanguinem, aut purgandi, hæc non omittenda ob indicationem aut contraindicationem ab aſtris, aut eorum immutationibus. Tum patet ex Hippocrate, qui turgente materia, ſtatim eadem die docet propinare medicamentum purgans, ne ſi expectaretur aſtrorum mutatio periret æger interim, & ut tenet Cornelius Celſus, ne pereat æger, properandum ad remedium: *Quia ſemel pereunti nulla remedia proſunt.* Et idem Hippocrates docet *Aph. 1. Quod occaſio eſt præceps, & lib. de locis in homine: Medicina brevem occaſionem habet. & qui hoc novit illa ſtata & certa habet, & ſcit, quæ conſueta ſunt; Non enim Medicina* (dixerat idem ſenex) *eſt veluti ſcribere.* Ex quibus docet ſtatim utendum occaſione, quia præteriit ſtatim occaſio, & ideo *in epiſt.* dixit: *In omni re dilatio mala, pejus in medicina, in qua eſt vitæ periculum.* Unde licet in cura electiva poſſimus obſervare aſtrorum mutationes, & lunæ quadrantes, & in illis cavere à remediis; non verò in cura coacta, in qua ſtatim præterit occaſio, quod confirmat Molerius doctus Aſtrologus dicens: *Ubi neceſſitas urget, regulis Aſtronomicis minimè parendum eſt, ut ſi quis pleuritidem patiatur, & miſſio ſanguinis non ſolum*

ſolum ſibi utilis, verum etiam ſalutifera ſit, tum etſi cælum hoc abnuit, ſecanda tamen eſt vena pro ægri ſalute; Vbi verò neceſsitas non urget, vel in illis operibus cælum accommodare poſſumus nemo ſana mentis ignorat ſpectandum eſſe cælum. Tum Valleſius idem confirmat *lib. 7. controv. ult.* Ubi docet indicationem ab aſtris deſumptam eſſe, reliquis minimam illiſq; cedere, & ſuperaddit. [Indicat ergo ut indicatio quædam, ſed minima atq; cum quod ad reliqua attinet, nihil intereſt, ut hodie aut cras evacuare, attende tantiſper, quatenus luna exceſſerit conjunctionem, ſi quid aliud urget, evacua, qui præcautionem magis petunt, quam curationem, ac perinde nulla re ſtante, Medicum adeunt, quando illis licet commoditatem temporis præſtolari; devitent in ſingulis æquinoctiis, & ſolſtitiis denos dies, & reliqua omnia; ſed qui decumbunt, raro poſſunt minimæ huic indicationi tam multum temporis tribuere intermisſionis auxiliorum, qui aliter facit, non caret, ut oſtendimus temeritate; qui verò ita facit, neq; ſi hæ obſervationes merę nugæ ſunt.] Eandem doctrinam docent Julius Cæſar, Benedictus & Zacutus; Sed Valeriola 6. *Enarrat.* 2. idem profert: *Quis* (inquit) *enim tam inſanus eſt, ut ſi in gravi aut præcipiti morbo, vel ſecanda ægro vena fuerit, vel dejectorium medicamentum dandum; Luna verò vel in Geminorum ſigno poſita; vel deliquium patiens, vel Saturno vel Marti oppoſita, vel ſoli conjuncta fuerit, quibus in affectibus mitti ſanguinem Aſtronomi vetant, ab ea indicatione, quam morbis ſuggerit, deſiſtat & non potius confeſtim ſanguinem mittat, ægrumq; ab imminenti periculo liberet potius, quam obſervatis iis curſibus ægrum interim mori ſinat.*

§. V.

Solvuntur fundamenta eorum, qui actiones inferiorum ab aſtris tenent neceſsitate provenire.

AD prima fundamenta Chaldæorumq; figmenta, qui ſublunarium actiones tenent pendere ab aſtris neceſſariò ſimulq; ſanitatem & morbos, conſtat, quàm falſa ſint & contra fidem, in quos inquit D. Baſilius. [Quod ſi inſtinctus, incitationeſque ad libidines, cædes, odia, fraudes, & quidquid eſt hujuſmodi inde nobis ingenerari, quæ ab aſtris, conſentiamus, peccati cauſam in Deum, naturæ Architectum conferemus, tanquam is non tantum exigat, & probet ſcelera, ſed impellat, & cogat ad ea impultricibus cauſis conſtitutis, atque in voluntatem directis, & adornatis.] Et D. Chryſoſtomus inquit: Quod ſi ab aſtris cogerentur fieri actiones ſublunarium, & humanæ. Non eſt fides, non eſt Deus, non eſt virtus, non eſt vitium, ſunt omnia fruſtra, omnia temerè agimus, & patimur, non eſt laus aliqua, non vituperatio; non eſt pudor, non turpitudinis verecundia, nullæ ſunt leges, nullum judicium fore.

RESOLVTIO XII.

Vtrum Medici munus ſit morbos præcavere?

§. I.

Pars negativ. [illegible] *liquibus fulcitur fundamentis.*

VIdetur, [illegible] od Medicus non tenetur morbos pr[illegible] avere. Tum quia nequit præcavere, qui[illegible] æcognoſcat cauſas, & evitet illas. Sed [illegible] ræque morborum cauſæ ſunt

ſæ ſunt contingentes, de quibus non datur ſcientia, plures dependent ex ægri voluntate, & indebito uſu in rebus non naturalibus, quas nequit prævidere medicus, plures nec à medico, nec ab ægro poſſunt prævideri; nec vitari ut cauſæ externæ, quæ ab aëris mutationibus fiunt, quæ ab animi paſſionibus contingunt. Ex quo apparet quòd nec tenetur, nec poteſt medicus morbos præcavere ab iis cauſis provenientes. Tum ſecundo: Nec poteſt medicus prævidere morbos, qui ſuſcitantur ex humoribus: non enim varias humorum diſpoſitiones, quæ intus latitant cognoſcit Medicus, ut valeat præcavere morbos, qui ex illis ſubſequuntur. Tum tertio, licet illas cognoſcat non debet Medicus tentare curationem: *Quia multa nocent mota, quæ ſi non moverentur non nocerent.* Tum quarto; vel humores, quos vult medicus evacuare ad præcautionem ſunt naturales, vel vitiati, ſi naturales non debet movere: quia ex Hippocrate. *Sana corpora difficulter ferunt medicationes.* Si vitiati corriguntur per commixtionem ſanguinis, & commoti, & ſeparati graves pariunt morbos. Tum quinto; docet experientia, quòd plures, qui in optima degebant ſanitate ſanguine miſſo, aut exercitâ purgatione ad præcautionem incidunt in graves morbos, ex quibus plerique moriuntur. Ergo medicus non tenetur ad præcautionem morborum: ſed ad eorum curationem.

§. II.

Medicus non poteſt non aggredi præcautionem morborum.

RESolvendum: Medico incumbit præcautoria curatio. Sic communis medicorum aſſenſus.

Probatur primò: ex Politicis Hiſtoricis ac Poëtis: nam Seneca reddit rationem præcautionum. Quia [quarundam rerum initia in noſtra poteſtate ſunt, ulteriora nos ſua vi rapiunt; nec regreſſum relinquunt.] & ideo *lib. 1. de ira cap. 7. & 8.* docet: (Facilius eſt excludere pernicioſa, quã regere, & non admittere, quam admiſſa moderari: nam cum ſe in poſſeſſione poſuerunt, potentiora rectore fiunt, nec reſcindi ſe, minuivè patiuntur: in primis finibus hoſtis arcendus eſt, nam cum intravit, & portis ſe intulit, modum à captivis non accipit.) Et quod vitandum docet Eccleſiaſtes pro morbis vitandis. *Ante languorem adhibe medicum: longe enim melius, ac facilius morbus declinatur, quam admiſſus rejicitur.* Inde deſumpſit Ovidius 5. Triſtium.

Turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes.

Et *lib. de remedio Amoris.*

Principiis obſta, ſerò medicina paratur.
Cum mala per longas invaluere moras.

Et iterùm idem repetit.

Vidi ego, quod fuerat primò ſanabile vulnus.
Dilatum longâ damna tuliſſe, morâ.

Confirmatque *3. de arte amandi.*

Temporibus medicina valet, data tempore proſunt:
Et data non æquo tempore vina nocent.

Propertius aſſentitur eidem:

Helleborum fruſtra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poſcentes videas; venienti occurrite morbo.

Probatur ſecundò: ex noſtræ facultatis alumnis, & Magiſtris. Galenus enim libros de ſanitate tuenda ſcripſit, in quibus latiſ-

ſime

ſimè docet modum, quo poſſimus ſanitatem conſervare, futuros morbos prævidere, & ab illis ſana corpora præcavere: *& lib. de ſanguinis miſſione cap.* 7. inquit: *Rectè quidem & ab Hippocrate dictum eſt: quod illa, quæ præſentibus morbis faceremus, ea multò utilius, ac melius ipſis incipientib9, aut imminentibus antevertendis faciamus, & libr. de Conſtit. Art. medic. cap.* 19. *& lib. ad Traſybulum cap.* 30. *libr. de natur. facult. cap.* 8. idem teſtatur, & *libr. introduct.* inquit: *Quemadmodum navis gubernatori longe præſtantius eſt antequam in tempeſtatem incidat, iter abſolvere, quam periclitatum, fluctuatumque evadere: ita multò melius imminentẽ morbum præcavere, quam factũ curare.* Hæc ex Hippocrate didicit, qui *lib.* 1. *Prognoſt.* docet: Medicum debere uti providentia: hæc autem in cognoſcendo, prædicendo, & præcavendo morbos. Et *lib.* 6. *Aphoriſ.* 47. inquit: *Quibuſcunq; vena ſectio aut medicatio convenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet*; Ubi præcautoriam docet curationem: inquit enim Galen. *in comment. Liquet; quod de eis, qui adhuc ſani ſunt, ſed ægri futuri ſunt niſi evacuentur & lib. de arte* reprehendit eos, qui Medicum non citò convocant dicens: *Præoccupat enim morbus medicinæ opus, præoccupat autem propter ægrorum negligentiam, differunt enim & coarctantur, atq; ubi jam à morbis ipſis apprehenſi ſunt, tum demum curari expectant.* Hic enim Hippocrates moram reprehendit in præcavendis morbis, quam in artis operibus reprehendit, *epiſtola ad Cratevam* dicens, *Ab omni arte aliena eſt procraſtinatio, & præcipuè in medicina, in qua dilatio animæ periculum affert: Curationum verò animæ ſunt opportunitates temporum: illarum verò cognitio artis finis.*

Probatur tertiò: Munus Medici ex Hippocrate, *lib.* 6. *Epidem.* eſt morbos *tutò, citò, & jucundè curare*: Sed nullus morbus poteſt curari tutiùs, quam qui præcavetur antequam ſit, & vires acquirat; nec citius, quam antequam ſit; nec jucundius, quam antequam actiones ſenſibiliter lædat; nec manifeſtet accidentia. Ergo incumbit medico morbos per præcautionem curare.

§. III.

Solvuntur fundamenta contrariæ opinionis.

Ad rationes primo adductas reſpondetur: Tum pro primo; quod licet non poſſit Medicus omnes prævidere cauſas; plures prævidere poteſt; morbos curare, qui ſubſequerentur ex illis: ſic vitare ſolet morbos, qui ſubſequi poſſent ex indebito uſu rerum non naturalium præſcribendo debitum illius uſum, ſic & præcavendo alias cauſas ex quibus morbi timentur, qualiter Hippocrates purificando aërem vitavit peſtem, quæ timebatur in Græcia. Tum pro ſecundo: quod Medicus per propria ſigna, quæ ex Hippocrate, & Galeno recipiuntur, poteſt cognoſcere plenitudinem, & varias humorum cacochymias ex quibus morbi ſolent ſubſequi, & ipſos evacuare evacuando hujuſmodi humores. Tum pro tertio: quod cognita cauſa morbi debet evacuari; licet enim contingat ex evacuatione relucere morbos, ipſi paulò poſt graviores ſupervenirent: quia, ut docet Galenus, *libr. de cibis boni & mali ſucci.* plerumque, paulatim & clam. pravi fiunt humores, ex quibus graviſſimi & lethales fiunt morbi, quos non cauſat Medicus, ſed præcavet uti ſaltem non ita lethales, poſtea ſubſequantur. Tum pro quarto: quod in magna cacochymia. licet

licet pro aliquo tempore contemperentur tandem deteriores facti humores prorumpunt in immedicabiles morbos. Tum pro quinto: quod docet experientia, plures mori ex morbis ortis ab humoribus præcautione commotis; ſed non moriuntur quia ex præcautione fiant, ſed ex mala humorum diſpoſitione à qua paulò poſt fierent, quod non contingeret, ſi prius facta eſſet præcautoria curatio. Et hi eventus docent neceſſitatem præcavendi cum tempore, cum non ſufficiat pro illis pro quibus ſit occaſione tranſacta.

SECTIO V.

De correctione vulgi errorum in medicinam qui communiores ſunt.

CUm omnis homo appetat naturaliter ſcire, & unicuique inſit propriæ conſervationis appetitus, plerique homines appetunt remediorum cognitionem, & uſum; non attendentes, quod, (ut inquit Plato *in Dialogo de Phadro*) inſani ſunt, qui judicant prodeſſe remedia, niſi ſciat applicans occaſionem, quos, quibus, quando, quamdiu ſint amplicanda, quibus neglectis ſe tradunt cuicunque remedium offerenti, quia ut inquit Plinius: *Cuilibet dicenti ſe eſſe medicum, ſtatim creditur, cum tamen nulla in re peccatum ſit gravius.* Hinc exorta eſt varia remediorum acceptio: quæ vulgus ſeu abuſus recepit, quibus ægri utuntur ſine medico, ſine ratione, ſine eorum examine, aut cognitione temporis, occaſionis, aut morbi, pro quo poſſint prodeſſe, ex quorum uſu varii proveniunt errores in ſalutem, & vitam ægrotantium, quos primus Primoroſius conatus eſt referre; & nos aliquos conabimur ſaltem corrigere, ne eorum abuſus irruat in medicinam, & illius valeat imminuere præſtantiam.

RESOLVTIO I.

Vtrùm lapis Bezoar quibuſlibet poſſit ſemper offerri à vulgaribus ſine errore.

§. I.

Vulgi error in illo unicuique offerendo ponitur.

LApis ex Bauhino dictus Bezoar, Belzaar, Belzahard, Bechalzehar, Bedezahar, Badzahar, Albezahar, Bezahar, Bezarad, Bedezarahar, Bezachar, fuit Græcis, & antiquioribus ignotus, notus Arabibus circa annum 960. iterum oblitus tandem, ab Indis cognitus abiit in uſum: nec ſolum apud Medicos, ſed & apud vulgares omnes, qui contendunt, cunctis eſſe proficuum, in omni tempore, in omni ætate, in doſi, in quovis morbo. Quibus favet tum primo Avicenna, *lib. 2. tract. 1. cap. 4. & lib. 4. Fen. 6. tract. 1. ſumma 2. c. 1.* Ubi inquit, quod Albezaar, & Theriaca ſunt medicinæ, quarum proprietas eſt ut conſervet ſanitatem, & virtutem in Spiritu, & ut ex eis expellat nocumentum veneni à ſe. Tum ſecundo: Quia omnibus reſiſtit venenis. Tum tertio: quia eſt medicamentum Alexipharmacum, & Alexetericum, ut tenet Cardanus *lib. 2. de venenis 14.* Et ideò omni tempore veneni enervat vires, & illius inhibet in corpore productionem.

ctionem. Tum quartò: quia ut tenet Scaliger, *exercit.* 184. Bezahart, interpretatur vitam conſervans. Ex quibus apparet unicuique, & omni tempore eſſe illius uſum utilem.

§. II.

Error eſt vulgaris communis modus utendi indifferenter lapide Bezaar.

Reſolvendum: Quod communis modus, quo lapide Bezaar ſine omni methodo utuntur vulgares, eſt error.

Probatur primò; Nam ut tenet Paræus, *lib.* 20. *cap.* 36. cum Alexiteria diverſis polleant viribus: & qualitatibus nequeunt æqualiter omni adaptari veneno, & ideo nec omnibus convenire venenis poteſt unus Bezaar. Galenus enim inquit quòd ea quæ deleteriis adverſantur, nō mediocri noxa adverſantur ægris, ut Cæſar Benedictus deducit, & Averroës judicat, quod Bezaartica juvant, ſi ſint venena cui opponantur, ſin minus, nocent. Paſchalius *lib.* 1. *de curand. morb. cap.* 8. inquit: *Theriaca Magna veneno affectos curat, & ſanos veneno afficit.* Et potius confirmatur hæc doctrina ex Averroë, *libr.* 5. *Collect.* 13. §. *Et iſtæ medicinæ Bezoarticæ non curant, niſi recipiant cum eſt in corpore diſpoſitio venenoſa facta à veneno, & tunc dant corpori unam virtutem, quæ eſt contraria virtuti veneni, & ſic curatur venenum quaſi per accidens: præterea quando comedit illas homo ſanus ſunt ſicut venenum:* & infra reddit cauſam: §. *Et cauſa quare Bezoar occidit ſanum, non eſt niſi quia non habet prodeſſe, niſi quando in corpore eſt diſpoſitio venenoſa.*

Probatur ſecundò: Lapis dictus Bezoar multiplex ac diverſus eſt, & diverſis pollens viribus, prout ex diverſis generatur animalibus, aut ſine illis ex mineralibus fit. Ergo error eſt vulgarium utentium indifferenter lapide Bezoar ſine ejus diſtinctione, & cognitione. Probatur antecedens. Tum ex Scaligero contra Cardanum *exercit.* 153. *num.* 7. qui aſſerit, quod lapis Paxar dictus, qui Bezarticus eſt, oritur in capite animalis, ſoletque vocari Bulgolda, ſicut Schenckius etiam refert alios lapides oriri in capite Ganaricinædi piſcis, in Tuburionibus, in capite Rubetarum ſeniorum, in ventriculis Lacertarum, quæ dicuntur Caymani, in capite Draconis, in capite teſtudinis, in ventre hirundinum: in ventriculo Galli, in Cyprino, & percâ piſcibus. Et ut tenet Fumanellus, in capite Aſpidis, dum cauda deligata ſuſpenſus, & vaſe aqua pleno ſubjecto lapidem vomit: qui confert tanquam peſtis Alexiterium, ut tenet Bauhinus, & de reliquis iis lapidibus contra venena eſſe prædicant authores. Ex quo apparet: quod non debet indifferenter præſcribi lapis Bezoar, cum ii lapides cæteri Bezaar etiam dicantur. Tum lapidem Bezaar metallicum habemus, ſicut ſunt adamas, & rubini in venis terræ generati, ut refert Andreas Bullunenſis, *libr. de lapidibus,* quem ſequitur Geſnerus, *lib.* 1. *de quadrupedibus cap.* 3. & Monardes, *lib.* 1. *de Bezoar lapid.* Serapio: *lib. de temperamentis ſimplic. cap.* 386. inquit: *Et minera ejus eſt in terris Syri. & India, & in terris Orientis*; & licet aliter interpretetur, ſaltim Rabbi Moyſes, *libr. de venenis tract.* 1. *cap.* 3. meminit alterius lapidis Albezaar mineralis reperti in Ægypto: inquit enim: *Verum Bezaar minerale eſt lapis in Regione Ægypti in rupibus ejus repertus plurium, & diverſorum colorum, de quo prio-*

Digitized by Google

res in libris ſuis aſſerunt multa mira. Avicenna, *lib. 4. Fen. 6. tract. 1. ſumma. 2. c. 1.* meminit alterius lapidis Bezaar inſtar aluminis, quæ eſt Alexipharmacum contra napellum, cujus etiam meminit Ceſalpinus, *in praxi cap. 20. §. Bezoar principale remedium contra napellum, & Medicina de Moſcho, & algeduar, id eſt Zedoaria ex Bezoar illud præcipuè genus, quod filamenta habet, & alumen ſciſſibile.* Tum Saxonia *lib. de Plica* meminit Bezoaris mineralis, & eſt quaſi terra lemnia, colligitur in templo Sanctæ Virginis à Vico Sacro in Urbe Montiſregali, quæ prodeſt contra venenoſos ictus animalium: contra peſtem: contra diſſenteriam, & venenoſos morbos. Tum datur lapis Bezoar ex cervi lachrymis condenſatis, qui ſerpentes devorat, dum in aquis conſiſtit fuſis, & in lapidis duritiem concretis, ut refert Bauhinus ex plurium opinione; ex quib. deducit, quod hic lapis ſubſtantia eſt durus ſuperans cornu duritiem, cum lævitate, & ſplendeſcentia, latus forma, in pyramidem deſinens, rotundus qua parte prominet. Poncetus *lib. 2. de venenis cap. 11.* & Geſnerus, *libr. 1. de quatrupedibus cap. de Cervo* tenent, quod eſt coloris citrini ſplendentis, odoris vini, & quantitatis ficut avellana aut nux: Encelius tenet, quod fiunt etiam coloris citrini pulverulenti, & ſubvirides: has conditiones confirmat Scaliger, *exercit. 112.* Poncetus, *lib. 2. de venen: cap. 11.* hunc lapidem tenet Alexipharmacum eſſe in omnia venenorum genera: Sic Geſnerus & Henricus Abra *lib. 1. de veneniſ c. 2.* Scribonius, Largus, & Heurnius hunc lapidem ex lachrymis cervi negant dari, ut tenet Bauhinus, Cardanus, *libr. de ſubtilitate.* Fallopius *de Peſte.* Viutichio, & Reuſnerus *de Scorbuto,* Cæſalpinus *lib. de metallis.* Ruffi *in Pharmacopæa reformata*, ſed dari admittunt ex eodem, Evax *lib. de lapidibus.* Pandectarius *cap. 377.* Avenzoar *in Theiſir.* Bellunenſis, *in indice vocabulorũ Arabicorum Avicennæ,* Poncetus, *lib. 1. de venenis*, Agricola Heu Abra, *lib. 1. de venen. 2.* Amatus *in Dioſcoridem libr. 2. cap. 33.* Encelius 3. *de lapid.* 49. Scaliger *exercit.* 112. Langius *in epiſtola,* Schenckius *lib.* 7. Fumanellus *de peſte*, Mercurialis *lib. 3. de excrem.* Sarracenus *de Peſte.* Saxonia *de plica*, Heurnius *de Febribus.* Tum Crato, Encelius & Jordanus tenent præter lapides in oculis Cervi genitos, dari alios genitos in Cervi corde, in ventriculo, in inteſtinis, quem Bezoar vocant aliqui, ut tenet Crato, 2. *epiſtol.* 160. & Bauhinus, inter Alexeteria poni debere tenet, præcipuè lapidem extractum ex Cervi corde. Tum Geſnerus, & Job, Georgius Schenckius tenent, quod capræ Alpinæ, quas Plinius Rupicapras vocat in naribus generare pilos oblongos trium digitorum tranſverſorũ longitudine cum grato odore, pondere leves, quibus uti ſolent in pulvere pro morbis malignis. Tum Jordanus 2. *de Peſtis Phænom.* & Crato referunt de lapide in æquo reperto in ventriculo, quem Vicarium eſſe lapidis Bezoar judicant, & Bonzius idem judicat de generatis in homine.

Præterea eſt lapis Bezoar à recentioribus cognitus, & communiter uſitatus, ab Arabibus deſcriptus ab Indis delatus; qui creatur in animali ſimili Cervo, & Capræ, & eſt duplex, alter orientalis, qui defertur ex India, Perſia, China, Ægypto, Catheja, alter occidentalis, qui fertur ex America, & Peruvia, uterque ex Capricervis genitus; Lapis Bezoar Peruvianus, ſeu occiden-

talis

talis, ut inquit Petrus de Oſma reperitur in montibus Peruvianis tantum: ibi enim tantum dicit reperiri animalia, in quibus generatur. A Coſta tenet reperiri in aliis etiam Provinciis vicinis, in quibus tenet generari in Capricervis, & in aliis diverſis animalibus, in ipſis, ut tenet Boëtius, Oſma, & Monardes eſt quoddam receptaculum ad Indum Faſciæ conſtans villoſa carne longitudinis duorum palmorum ipſi ventriculo parte interiori adhęrens: in hoc generantur ex ſalutiferis herbis, quibus pro paſtu utuntur: differunt ii lapides juxta animalia in quibus fiunt, & juxta loca in quibus degunt: viliores ſunt ſi animalia paſcantur in planis: majoris pretii, ſi degant animalia in montibus: differunt etiam magnitudine, forma, & colore.

Lapis Bezoar orientalis dicitur naſci ex animali Pazan, de quo inquit Garcias eſſe genus hirci. Amatus vocat Capram Indicam: Monardes Capram Montanam, vel Cervicapram. Baccius vocat Capricervum; vel Capram Sylveſtrem. Acoſta vocat Guancum, & Vicugnem, vel Turacam: eſt hoc animal ſimile cervo magnitudine, & agilitate, ipſumque imitari tenet Acoſta *lib. 4. hiſtor. Indicar.* dicitque reperiri hoc animal in variis Indiæ Orientalis Provinciis, in Perſia, quam maximè, & in Goam & Cochin ex Regno Syam in Ormuz, in Inſula Bacarum, in Arabia fit in ventriculo animalis, ſeu urſa, de qua diximus fieri in Peruvianis animalibus materiam lapidis eſſe judicant: aliqui eſſe ab animali devoratas ſalutiferas herbas, quibus veſcuntur deſervientes ad reprimendos veneni impetus. Sed Boëtius ex ſolo ſucco herbarum aromaticarum tenet, quibus pro paſtu utuntur hæc animalia: Sic tenet Libavius, & Manlius ad Cratonem: evadit lapis forma diverſus ac colore, quandoque ex viridi nigreſcit, ex atro vireſcit, vel nigreſcit virore ſubruffo, aut colore herbaceo nigreſcunt hi lapides, vel fiunt cinericii vel coloris Oleaſtri, vel coloris fulvi ad fuſcum tendentis & caſtaneæ colorem æmulantis: Cardanus dicit eſſe coloris cinericii rubiginoſo mixti cum ſplendore, ut quaſi gemma videatur; Ergo lapis Bezoar diverſæ eſt naturæ, virtutis, & uſus, & non poteſt ſine errore præſcribi à vulgaribus quibus hæc omnia innoteſcunt.

Probatur tertiò: Adhuc ſi vulgus utatur ſolo lapide Bezoar occidentali, qui præſtantior judicatur: vel eſt adulteratus, vel nullum præſtat auxilium pro morbis curandis: Ergo non ſine errore à vulgaribus præſcribitur.

Probatur prima pars: Quod ſcilicet ſit adulteratus fundamentali ratione à Primoroſio, Joanne Baptiſta Cortes & aliis: nam apud Perſas, vel Orientalis regionis Proreges venditur verus per centū aureos: apud nos hos lapides viliori pretio vendunt mercatores: qui ex illis longinquis regionibus eos adducunt. Ergo credendum, quod adulteratos lapides non veros advehūt lucri cauſa, & ideo Valleſius *lib. 4. Meth. c. 2.* inquit, vereri, an falſi ſint omnes lapides Bezaar, cum tanta ſit errorum copia & Garcias dicat tanto in pretio apud Indos, ut ferantur omnes ad Regem illius Regionis, qui illos nemini confert, niſi Magnatibus, ob ſummam æſtimationem, ſuperaddit Acoſta in paucis animalibus reperiri, & Monardes, quod animalia in quibus ſunt, non capiuntur, niſi cum magno periculo, & difficultate, Serapio afferit ſuo tempore multos lapides repertos ſimiles Bezaar, & inutile

inutiles ad illius effectus. Bauhinus nullos veros lapides Bezaar inveniri comprobat ex Augenio Mathiolo, Serapione, Rhaſi, Baccio aſſerentibus arte confici ab Arabiæ habitatoribus, qui ex illis à Mercatoribus emuntur; & Monardes, *lib. 2. ſimplic. cap. 34.* inquit tam multos adulterinos lapides trahi, ut ex centum vix denos legitimos inveniamus: quod confirmant Sylvaticus, à Coſta, & Saxonia *lib. de plica & peſte*, inquit: ſi lapis reperiatur probatus etiam mihi probatur: Sed ob illius defectum, aſſerit parum fidendum eſſe in uſu lapidi Bezaar, ſuperaddit, quod apud Senatores venetos vidit aliquos lapides Bezoardonatos à Religioſis deportantibus illos ex Indis, qui aſſerebant, vidiſſe illos extractos ab animali: nec tamen in horum uſu aliquos expertus eſt effectus ex eis, qui ex illis promittuntur. Cortes *in Miſcellaneis Decada 8.* inquit: *Soleo ego in praxi reſpicere hujuſmodi lapides, qui ſi veri ſunt, (quod mihi rariſſimè contigit) ſummo mane offero*, & infra: *Tanta eſt auri cumulandi omnibus innata cupiditas, & præſertim pravis hominibus, ut videntes in tanto pretio, & tanta veneratione haberi lapidem Bezoarticum omni ingenio curaverint impoſturis quibuſdam, multiſq; modis adulterare eum, & cujus quidem impoſtura, & falſificatione facile contingit illius uſum inutilem prorſus, imo periculoſum reddi: proindi omnes Medicos, omnes admoneo eos præſertim, qui tam faciles ſunt ad lapides hoſce probandos, ut maximè intenti ſint, & omnibus eos vendentibus non planè confidant, ne pro bono veroque lapide Bezoar in ægrotantium maximũ detrimentũ falſo utantur.* Ex quo apparet cum quanto errore illo utantur vulgares. Tum quia falſus lapis Bezoar adhuc ab ipſis Mercatoribus difficulter diſtinguatur à vero ob impoſturas Indorum, licet enim ut tenet Acoſta conficiant illum ex creta cineribus teſtarum Oſtrearum, ſanguine ſicco, & lapidibus Bezaar ſubtiliter contuſis, & quodam liquore illis cognito incorporatis, *ita tamen* inquit, *lib. ſimplic. cap. 60. artificioſe conficiunt, ut etiam exercitatiſſimi lamina externa inſpecta decipiantur*, & niſi frangantur à vero & naturali non poſſint diſtingui, & ideo Cluſius & Fragoſus tenent Mercatores renuere quòd emptores periculum faciant ad emendum lapidem: diſtinguere docent: ut Authores tenent, quòd qui habent formam renis, ſint falſi. Monardes ſi non ſunt ſplendidiores laminæ interiores, Sylvaticus, ſi aſperiores ſint interiores tunicæ, & ſplendore deſtitutæ eſſe falſos. Lacuna veros judicat lapides Bezaardicos, ſi leves, ſplendentes, ſquammoſi, & pluribus ſquammis compoſiti, & poſteriores ſint ſplendidiores, & magis friabiles ſic Paræus & Jordanus, Monardos veros agnoſcit, quia ultima lamina habet cavitatem in qua eſt pulvis: Fragoſus requirit in illa paleam. Acoſta, quod in cavitate ſit pulvis, palea, ſeu herba, licet Saxonia ex palea inferat falſum eſſe lapidem; Bonzius, *ſi lapis ſi linguæ humectetur; & calci applicatus viridi colore tingat, tenet quod ſit verus. Alii ſi contractus manibus lapis aëris ore inflatur, & non penetrat judicant eſſe verum. Alii allidunt lapidem dentibus anterioribus, & ſi lapidis ſonum habet verum eſſe judicant. Alii acum candelæ calefactum lapidi applicant, & ſi infigatur eſt falſus, & ſi mollificetur, ſed quia falſificare lapides, & cautelis ſe opponere Indi didiçerunt, ad lapides comprobandos

quos utuntur Mercatores venenis in animalibus, & præbent lapidem, quem falſum comprobant, ſi pereant animalia, vel filum inungunt cum toxico hiſpino, & tranſmittunt cum acu per partes animalis ſanguineas, & ſi lapide liberatur aſſumpto, lapis verus judicatur, ut Bauhinus deducit ex Cluſio, Fragoſo, Cæſalpino, & aliis qui tenent venditores non admittere hanc comprobationem, licet reliquas non refugiant; quia ut inquit Corteſius cognitio veri lapidis adeò eſt difficilis, ut quamvis plerique de ea ſcripſerunt; nihil tamen certi, nam impoſtores ea accuratè omnes veri Bezaar conditiones imitantur. Joſua Ferrus plures alias proponit notas, quibus veri lapides Orientales, & occidentales diſtinguantur à falſis, tenetque omnino imitari naturales lapides, ita ut non poſſit diſtingui niſi præcipuè in magnitudine: nam falſos judicat, ſi excedat duas uncias. Concludit tandem Corteſius cum Sylvatico, nullam notam ex ſupra appoſitis eſſe certam, redditque plures rationes, ipſumque dicentem: *Atq; tandem quoniam in veris dignoſcendis lapidibus Bezaar, & impoſturis circa eos falsis deprehendendis certò caremus ſigno.* Ergò errant vulgares hæc ignorantes dum ſine delectu omnibus, & pro omni morbo offerunt lapidem Bezaar.

Præterea probatur ſecunda pars probationis, quod lapis Bezaar nullum præſtet auxilium pro morbis venenoſis, pro quibus ſolet offerri ex Valleſio citato, *lib. 4. Meth. cap. 2.* Ubi hujus lapidis nullas agnoſcit vires, nec Maſſarias *lib. 7. Praxeos cap. 24.* nec Manlius, qui cum Terentio clamat. *Magna res eſt, clamant omnes, magna certè; ſed certi nihil, & tamen non eſt nihil*; nec Saxonia, *lib. de febribus. cap. 37.* dicens: Veneriis maximam copiam lapidis Bezaar conſumpſiſſe, nec egregiam operam ſenſiſſe aut ſcire, fuiſſe ſanatos plures, quibus exhibuit, ſed ille non retulit in lapidem, nec Sylvaticus, qui nec ratione, nec experientia affirmat, poſſe comprobari, quod lapis Bezaar ſit utilis, nec Rulandus, qui *lib. 6. de ungarica lue,* hunc lapidem nullum fructum afferre teſtatur, quod teſtari experientia comprobant Ludovicus Guintos quoſdam permittente Carolo Rege Francorum venenum aſſumpſiſſe refert, & uſos Bezaar lapide, ſine ullo commodo ex illo mortuos fuiſſe, ſicut & nos experimur deleteriis morbis oppreſſos, nullam ex illius uſu percipere juvamen. Ergo non ſine errore indifferenter in omnibus morbis, & ſubjectis, hoc utuntur lapide vulgares.

Probatur quartò; licet verum haberemus lapidem Bezaar: nec eſt definitum quibus competat; nec in qua doſi. Ergò vulgares non poſſunt ſine errore illum exhibere.

Probatur prima pars. Quod ſcilicet non ſit omninò determinatum quibus competit. Perſæ, ut tenet Acoſta, quibuſlibet convenire bis in menſe judicant. Ormuz Incolæ, ut tenet Bauhinus in menſe Martio, & Septembri corpore purgato illo utuntur per quindecim continuos dies. Euſtachius Rudius, *lib. 2. de morbis occultis cap. 4.* inquit: quod ſi Bezoarticum ſumatur ab aliquibus parum venenatis in magna quantitate occidit, quia ſic agit in corpore ſicut in venenum ob vehementem actionem etiam redditur venenum. Corteſius negat lapidem Bezaar convenire corporibus ſanis ad præſervationem veneni,

neni, *Decad.* 8. *Miſcellanear.* quia operatur à tota ſubſtantia per alexeteriam virtutem contra venenum, cum hæc ſit qualitas vehemens corruptiva veneni, corrumpet nos in ſanitate. Sylvaticus recuſat exhiberi febrientibus dum materia non eſt cocta, quia intempeſtive movet ſudorem, ſi lapis eſt orientalis: ventrem, ſi occidentalis. Amatus in febrium paroxyſmo exhibet; Augenius negat dari in febribus putridis, & in omnibus morbis, quia nequit cum omnibus antipathiam habere. Montanus ſaltim in malignis febribus admittit. Sylvaticus condemnat lapidis Bezaar uſum in febribus puncticularibus, licet approbet Boëtius in ſtatu febrium dari debere; tenet Bauhinus cum aqua acetoſæ. Tum nec eandem doſim præſcribi ab omnibus: patet, nam varias præſcribit Corteſius: plures Bauhinus refert ex variis authoribus, ut ſupra diximus in majori quantitate: plures tenent lapidem Bezaar fieri venenum. Garcias *libr.* 1. *cap.* 45. reprehendit aliquos, qui propinare audent triginta grana Indica. Ormuz propinare grana tria, Cardanus unum granum præſcribit: Jordanus ab uno ad decem. Bardus à quatuor. Rulandus ſex grana præſcribit. Arnoldus duodecim grana. Richard, timet dare ultra decem grana. Mercurialis permittit dragmam ſumere, Sylvaticus adhærens Serapioni duodecim grana proportionatam doſim judicat, hac variata juxta naturam, ſexum, aut ætatem, cui magis aſſentiendum: licet Ferrus aſſerat, non habere lapidem Bezaar aliquam qualitatem impedientem, ut non poſſit ſecurè dari in quacunque quantitate; nec proprietatem: ideo, afferit ſæpè dediſſe quantitatem unius unciæ, quem refutat Corteſius, & aſſerit utiliorem doſim eſſe à ſeptem ad quindecim grana. Ergò cum non ſit definitum, quibus competat, nec in qua doſi, nec apud vulgares notum, non poſſunt ſine errore quibuſcunque, & in omni tempore offerre lapidem Bezaar, adhuc ſi ipſum verum haberent vulgares.

§. III.

Solvuntur rationes ſuadentes ad hunc errorem.

Reſpondetur: Tum pro primo, Quod Avicenna docet, quid verus lapis Bezaar & Theriaca poſſunt juvare, ſi à doctis Medicis præſcribantur, cognoſcentibus, quos, quibus, & quando debeant præſcribi, non tamen ſi præſcribatur ab ignorantibus quidquid requiritur ad hujus lapidis exhibitionem. Tum pro ſecundo. Quod debet cognoſci: an ſit lapis verus, quod talis adhuc non omnibus venenis opponitur; nec in quavis quantitate, nec æquali doſi, in omni ætate, tempore, ſexu, aut veneni intenſione. Tum pro terio: Quod eo ipſo quod uni opponatur veneno, nequit illi opponi, quod habet contrariam qualitatem deleteriam, & adhuc ad oppugnandam eam, cui opponitur, requiruntur plura, quæ vulgus ignorat in ejus exhibitione. Tum pro quarto: Quod etiam alimentum conſervat vitam, & niſi ſumatur quod ſit utile in debita quantitate, & debito tempore, cauſat morbos, & nullius eſt utilitatis, & in aliis mortem inducit.

* * * * *

RESOLUTIO II.

An errent vulgares, qui viperas conantur excludere ab uſu Medicina?

§. I.

Proponitur, quod vipera nequeat eſſe ex uſu Medicis.

SUb ſerpentibus ex vipera, ſic dicta ab aliis, quod magnâ vi pariat: ab aliis, quia vivum fœtum parit, & non ova; & juxta hanc denominationem viperæ poſſunt dici Aſpis, Sepa, & Amodites, & angues, ex quibus fit Theriaca: de iis agimus, inquirentes: An ſint Medicis ex uſu? Vulgares enim perterriti eorum lethali ſævitia, virtuteque venenoſa, quia homines interficiunt, omnino lethiferas eas judicant. Et videtur favere huic aſſenſui Conditor omnium rerum Deus, qui in prima Geneſi inimicitias poſuit inter hominem & ſerpentem: legemque impoſuit ſerpenti, ut inſidiaretur hominis calcaneo: homini vero, ut illius contereret caput. Ex quo apparet, quod nullam homini poſſit afferre utilitatem. Tum ſecundo: Julius Cæſar Benedictus contendit probare. Quod ſecundum omnes ſui partes venenoſa gaudeat, deleteriaque qualitate: nam cum ſit proprietas ab ejus forma orta, & forma ſit in omnibus partibus in omnibus debet reſultare deleteria qualitas. Tum tertio: quia innata eſt viperæ antipathia cum homine, ita ut Ælianus aſſerat: quod ſi illa ſaliva hominis aſpergatur præcipuè in ore, occiditur, & ſibilus viperæ aborſum cauſat, & ejus occurſus, quod demonſtrat innatam antipathiam, ob quam homini inutilis ſemper debet eſſe, & nociva. Tum quarto: Quia venenum innatum habet in felle quod ad gingivas, & dentes emittit, & poſt mortem in dentibus retinet, & mortem viſæ ſunt inducere. Ex quo apparet: quod viperæ carnes etiam poſt mortem poſſint eſſe venenoſæ. Tum quinto; ex Avicenna, de viperæ veneno, qui inquit: *Egreditur ex loco duorum dentium, aut plurium ſanguis, deinde virus fervens, & fortaſſe incipit aquoſus, deinde ſpumoſus: deinde ut ærugo aris, dolet locus, poſteà apparet apoſtema calidum, rubeum habens bothor, & veſicas, ſicut in aduſtione. Deinde apoſtema fit viride, viſcera inflammantur; in corpore apparet rubedo cum rigore, deinde ſudor frigidus, & corruptio coloris urgentis ad viriditatem, fit commotio vertiginis, frequentia anhelitus, nauſea, & ſingultus cum vomitu humoris colerici. Accedit difficultas urina, gravatur caput cum fluxu ſanguinis narium.* Ex quibus apparet: quod viperæ temperamentum ſit calidum in quarto gradu, & ideo omnimodæ aduſtionis inducit accidentia: & ideo Galenus cum Dioſcoride, *libr. 1. ſimplic. medic. facult.* idem affirmat. Ergo ratione venenoſi temperamenti ſemper viperæ carnes ſunt venenum homini, & nunquam poſſunt eſſe medicamentum.

§. II.

Proponuntur angues, qui ſuctu, & lambendo morbos ſanare poſſunt, & uſu medicamenti ad extra.

REſolvendum: Quod viperæ ad extra applicatæ juvant pro ſalute hominis.

Probatur ex Hiſtoricâ enarratione Bartholinii in hiſtoriis Anatomicis, *Centuria 2. hiſtoria*

hiſtoria 47. cujus hæc eſt enarratio. *Spelunca ſerpentum ad Oppidum Bracciani vulgò il Saſſo dictum duodecim leucis à Roma diſtat, multorum narrationibus nobilis. Hanc ingreſſi morbis frigidis detenti, Paralyſi, lepra arthritide, lue venerea, hydrope, tumoribus, doloribusq; aliis vexati fœliciter perſanantur. Nudus æger humi ſe ſternit, nulloque vitæ indicio dato tam diu quietus cubat, donec ex antris ſuis hinc inde prodeant ſerpentes. Hi hominem arctiſſimè amplectuntur corpore undiq; circumducto, ſudoremq; proliciunt, lingunt & abſorbent, donec omnem ex corpore ægro malignitatem exſuxerint: cavendum verò ſedulò, ne motu ullo indicio ſe prodat æger, alioquin ſerpentes nec ex antris ſerpunt, nec ſi advenerint diu morantur: hinc quò quietiores morbi curationem expectent, nonnulli oppium aſſumunt, quo remedio etiam timori ſuo conſulunt. Ingrediuntur ſpeluncam ruſtici accolæ mercede à viatoribus conducti ſimulantes morbum: qui referunt primo ex antris prodire Regem quendam ſerpentum corona inſignitum omnia exploraturum, qui ſi quieta cuncta invenerit, convocat evocatque reliquos.* Demonſtrat experimentis idem, refertque intraſſe ſpeluncam: & quod licet ob ſermones auditos aufugiſſent ſerpentes, viderit exuvias, & quod Cardinalis Valence lue venerea, & arthridide laborans, modo dicto fuit curatus ab anguibus. Sicut Ruſſilius ruſticus laborans aqua intercute, comprobat ex exuviis ſerpentes illos colubros eſſe, quia hæ ſimiles ſunt illis, qui in eadem regione inveniuntur exuviæ reliquorum. Ergo viperæ poſſunt pro ſanitate prodeſſe ad extra applicatæ, & humorem lambentes morboſum. Tum Maſſarias pro febribus peſtilentibus utitur oleo viperæ, quòd Andernacus *Tom. 2. Dialogo* 8. recipit lib. iij. Serpentum nigrorum, olei Seſamini ſeſquiſextarium in vaſe fictili, & vitreato anguſti orificii coquit donec caro decidat ab oſſibus. Manardus ſic præſcribit: ℞. iiij. viperas ex nigrioribus, demptis viſceribus, caudis, & capitibus, coque in lib. iiij. olei veteris; ſpatio ſex dierum in obturato vaſe maneant, poſtea in duplici vaſe poſt non levem ebullitionem viperæ cum duabus unciis aquæ ardentis, & olei, coquantur ad conſumptionem aquæ vitę: Oleum refrigeratum coletur addita ſalis albi uncia j. & Gariophillorum drachm. ij. uſus illius eſt pro omnibus cutis vitiis. Pro eiſdem Amatus utitur oleo ex viperis igne lento diſtillatis in vitreis organis. Fallopius pro ſcabie oleum extrahit ex duabus viperis diſſectis in fruſtà cum ſuo ſanguine locatis in phiala oleo plena, ponitur ad æſtatis ſolem donec rubrum fiat oleum. Plinius hominem ne ab aliis animalibus venenatis noxâ afficiatur, illinit cum adipe viperæ decocta cum ſextario olei ad dimidias. Tùm pro oculis Plinius ſalem ex vipiris, & pro illorum morbis applicat. Albertus fel viperæ applicat pro caligine oculorum. Prodeſt ex Dioſcoride pro Collyrijs ſpolium viperæ. Laudat Hippocrates pro impetigine decoctum ex illo, vipere pinguedo commendatur pro podagra, & pro ambuſtis: à Dioſcoride contra oculorum ſuffuſionem: à Galeno ad cutis eminentias: ex Aldrobando ex pinguedine viperæ præparata pro diſſipandis grummaribus gallicis componit ceratum ex pinguedine viperina: pulvere ſpinæ viperæ cum unguento populeone, Lythargirio, pice Græca, cerâ albâ & minio. Præparatur adeps viperinus ſic: adeps cum tunicis lavetur aqua frigida donec

Digitized by Google

donec ſyncera remaneat : & poſtea ſeparatis membranis liquetur in duplici vaſe agitando cum ſpatula lignea, injiciatur adeps in aquam frigidam, ſeparatus poſtea ab illa ſervetur. Ergo viperæ ad extra homini applicatæ ſunt utiles pro ſanitate hominum.

§. III.

Viperæ adintus ſumptæ poſſunt prodeſſe homini.

Reſolvendum ſecundo. Quod viperarum caro per os ſumpta variis modis poteſt hominibus prodeſſe.

Probatur : Tum quia poteſt prodeſſe pro alimento : qualiter Galenus tenet *lib. 3. de aliment. facult.* eis uſos fuiſſe Ægyptios, Arabes, & Trogloditas, qui eis aſſis, & elixis in comeſſationibus, uſos fuiſſe affirmat. Plinius *lib. 7. cap. 2.* tenet, quod Cirni, & Indi ultra flumen, & habitatores montis Arhon, & Æthiopes, Macrobii, & Setæ alebantur carnibus viperinis, quæ non ſolum proderant pro victu ſed pro prolonganda vita uſque ad centum & quinquaginta annos, & ideò Dioſcorides huic videtur adhærere opinioni, quòd comeſta caro viperarum prolongat vitam, & retardat ſenectutem, & illum defendit Aldrobandus contra Ranodæum : nam caro viperæ expellit per cutem excrementa tertiæ regionis, quæ cum purior maneat perficit illarum partium coctionem, & ſenectutis retardat ſigna. Sed cum à partibus principibus internis vita petat conſervari ; & prorogari, parum convincit Aldrobandus. Tum carnes viperæ, ſi comedantur conferunt ad lepram, & omnes morbos cutaneos, quia ſiccat, & digerit, & pellit ad cutem : & ideò Muſa fertur eâ uſus ſanaſſe incurabilia ulcera : Amatus, curaſſe elephantiaſim, ad quam alii utuntur carne, ut Aëtius computatis cauda, & capite ; Alii utuntur paſtillis viperinis : Alii Theriaca, quæ ex iis conficitur. Tùm pro cutaneis curandis morbis proſunt carnes gallinarum, quæ pro cibo habuerunt carnes viperinas, & pro potu decoctionem carnis viperarum, donec deplumentur gallinæ, imitantes Matthæum de Gradi : Alii cum carne viperæ commixta cum pane, tritico, aut furfure, ut Gallinas nutriant, ſuperaddendo pro una carnis parte quatuor panis : Alii, ut tenet Aldrobandus, ex carne viperæ paſtillos formant, & partem unam cum decem panis miſcent pro gallinarum alimento. Quod lacti aut aquæ immiſcent : Alii : ut idem tenet alunt cum viperis gallinas ut ova ex hoc alimento genita proſint pro juventute conſervanda, & retardanda ſenectute. Tum deſerviunt viperinæ carnes, ut ex eis fiant paſtilli viperini, ex quibus fit Theriaca omnium venenorum antidotum ex Andromacho, & Galeno : Ergò utiles ſunt intus ſumptæ.

§. IV.

Pro paſtillis viperinis, nulla panis quantitas petit determinari.

Reſolvendum tertiò : quod pro paſtillis viperinis efformandis, nulla determinari debet quantitas præter requiſitam ad eorum conſiſtentiam: ſic protulit doctiſſimus Villar poſt controverſias aliorum doctiſſimorum virorũ, qui valde laborarunt in intelligentia Galeni mentis : quorum laudamus ſcripta eruditione doctrinarum referta, ingenii acumine, & ſplendore illuſtra-

Digitized by Google

illuſtrata ; Authorum varietate ornata; modeſta verborum gravitate compoſita; plenaque omnigenæ litteraturæ ubertate: ſed quę potius tendunt ad ingenia oſtendenda, exercendaque, quam ad veram aſſequendam utilitatem. Hanc proſequitur doctiſſimus Michaël Villar *in 2. p. ſuæ Statera Jatrica Valentina*, dum concludit, nullam debere panis quantitatem determinari pro paſtillis viperinis conformandis; ſed hanc variari ex majori aut minori carnis viperinæ humiditate aut ſiccitate, quę variantur ratione ſolis, anni, ætatis, viperarumve pinguedine, contractáve excoctione, humiditate, aut illius depuratione.

Probatur ex Galeno *lib. 1. de antid. c. 8.* ubi hanc ut doceat doctrinam non unam determinat quantitatem panis, ſed diverſas proponit illius quantitates ab aliis, & à ſe ipſo uſitatas in paſtillis viperinis conformandis juxta carnium illarum diverſitatem : & *lib. de Theriaca ad Piſonem libr. 13.* explicans ſeipſum, ſuamq; aperiens mentē inquit: *Deinde cum bene fuerint coctæ carnes elixa, quod erit quando ſpinas à carne ſeparari videbis, tum lebetem ab igne remove, & accuratè ſpinas à carnibus ſejunge, quas in mortarium conjectas contundes, adhibito panis quàm puriſſimi ſiligine compoſiti, quantum ad compingendum ſatis eſſe judicabis, ſicut etiam Andromachus vult.* Hic igitur propriam decidit ſententiam, quam fatetur ab Andromachi doctrina, cui inhæret, didiciſſe, qui præſcribens panem ad conformandos hos paſtillos, nullam determinat quantitatem, ſed requiſitam pro conformandis utilem qualemcunq; judicat dicens :

Adde laboratum panem, ne vipera formam
Tuſa neget rotulis: humidus ne pereat liquor

Et juxta hanc doctrinam ipſum interpretatur Galenum Marcus Oddus Patavinus *ſerm. 1. de Theriac. & Mitrid: compoſition.* dicens : *Neque ipſe (Galenus) duabus iis formationibus, hanc illamve deligebat, ſed modo hanc modo illam, prout viperarum carnem nonnunquam magis humidam, aliàs verò ſatis ſicciorem reponebat, quæ ſanè moles vel optima eſt: tùm ut præcipit Andromachus pro paſtillis rectè conficiendis : tum etiam, quoniam eos in ſuo vigore ſtatuit : aptiſſima inſuper uti & tota denique antitodus diutius conſervetur.* Idem confirmat inter noſtrates nuperrimos Mantuæ Carpentanos Pharmacopæos inſignis Pharmacopola Hieronymus de la Fuente in ſuo Tyrocinio Pharmacopæo, ubi agens de Trochiſcis viperarum Andromachi ex Galeno inquit, quod pro conficiendis Trochiſcis ponunt Authores varias quantitates, & quòd inter illos varietas oritur ex humiditate poſt coctionem redundante in carne viperarum; vel ex earum varietate quia juniores aut vetuſtiores, craſſiores aut tenuiores, ob diverſitatem vaſorum in quibus coquuntur, variamve ignis applicationem, ſeparationemve coctionis à carnibus, juxta quæ diverſa quantitas panis requiritur, cum qua trochiſci fiant in debita eis conſiſtentia. Tum patet ex aliis Authoribus: Avicenna *libr. 5. ſum. 1. tract. 1.* inquit : *Cum ergo trita eſt (caro vipera) miſceatur cum tortellis ſecundum deſcriptiones diverſas, ubi nullam determinat* : *Gentilis reddit rationem in Comment:* dicens : *Quantus autem panis non fuit determinatus ab Andromacho; ſed tamen ponatur quòd conficiantur cum eo. Idem tenent Jacobus & alii Commentatores.* Amatus Luſitanus *Centur. 2. curat. 55.* §. *Quibus panis azymi bis coctitan-*

Digitized by Google

tantum ſuperaddi facimus quantum pro componenda materia, ut rectè paſtilli ex ipſa formentur viſum fuit. Anutius Foeſius *ſect. I.* agens de iis trochyſcis inquit. *Atque poſtquam carnes ita repurgaveris, caſque triveris, panis quantum maximè puri ex puriſſima ſimilagine confecti, quod paſtillis formandis ſatis ſit admiſce.* Arciniega tractans de compoſitione ex Andromacho, eamque tradens, dicit de carne: *Mundetur à ſpinis, oſſibus, & membranis ex quantitate ſufficiente panis ſicci & bene mortario triti, una lapideo mortario piſtentur donec ſubtilitatē nanciſcantur, & fiant inde trochiſci.* Franciſcus Alexandrinus proponens trochiſcos viperinos *ex Galeni doctrina ad Piſonem cap. 13.* inquit: *Avulſas carnes exquiſitè conterere; deinde panis ex puriſſima farina confecti benè fermentati, in furno, non ſub clibano cocti, & quidem probe aliquo loco ſiccieri, ſiccati prius, & curioſè triti modicum admiſce.* Santes Ardoynus, *libr. 1. de venenis,* ex Andromacho, & Avicenna præſcribens modum conficiendi hos trochiſcos, inquit: *De flore farina frumenti ultimi pulveriſati, quantum ſufficit ad trochiſcorum formationem.* Hieronymus Fons, & alii peritiſſimi confirmant eandem doctrinam. Tum patet ex Claſſicorum varietate Damocrates Magnus, Galenus diverſas ponunt quantitates, & juniores plures juxta illorum diſcordiam varias eligunt panis quantitates, & ii omnes eò tendunt, ut juſtam quantitatem præſcribant requiſitam pro conformandis paſtillis cum debita conſiſtentia, qui omnes rectè operantur, ſi juxta diverſas illas quantitates requiſitas pro diverſitate carnium viperarum debitam conformationem paſtillorum conſequantur. Tum comprobat ratio panis ſuperadditur in paſtillis viperinis Andromacho, *ut formentur rotuli, ne pereat liquor*, & ut adhoc permaneant paſtilli cum debita forma & conſiſtentia; Sed viperarum caro non ſemper petit eandem panis quantitatem: nam viperina ut diximus, aliquando ſiccior, aliquando humidior, craſſior, aut tenuior; aliquando miſcetur cum majori portione decoctionis, alias cum minore: aliquando à remiſſiore igne minus ſicca evadit: magis ſæpè ab intenſiore; Ergò ex horum varietate majorem, aut minorem exigit panis quantitatem, quæ neque in abſtracto determinari, nec difficultas examinandi hanc quantitatem pendet in explicanda mente Galeni, qui ex mente Andromachi hanc proponit doctrinam; ſed in aperienda doctrina, per quam cognoſcatur paſtillos viperinos fuiſſe ad mentem Andromachi confectos, & in finem ab illo præſcriptum; & in præſcribenda quantitatis diverſitate, quæ juxta diverſitatem carnis viperinæ in hunc finem conducit.

§. V.

In pulveribus viperinis pro hypochondriacis communis uſus eſt error.

Reſolvendum quartò. Quod non ſine errore plerique viperinis pulveribus utuntur pro hypochondriacis: ſic tenet Cæſar benedictus.

Probatur. Nam ut tenet Aldrobandus: hic pulvis conficitur, capiendo carnes viperarum, & aſpergendo cum ſalis quantitate cum qua carnes ſolent conſervari, poſtea collocant ſupra cribrum, & ſubtus ponunt prunas aſperſas ex pulvere confecto ex baccis juniperi, foliis lauri, myrrha, gariophillis granis alkermes, Karabe be-

niobim, mox cribrum bene cooperiunt, ut fumus penetrare poſſit in carnes, ſuffimentum quater ſpatio viginti quatuor horarum repetitum quinque diebus continuis reiterant; poſtmodum carnes ſuffimine imbutas in olla luto diligenter munita reponunt, & in furno, cocto prius pane tamdiu detinent, donec tota caro in ſubtiliſſimum pulverem redigatur: ſed ex hac tranſmutatione neceſſario provenit ex natura carnis viperinæ, ex fumis coadjunctis, & torrefactione, & humiditatis conſumptione & empyreumate, quod pulveres ſint calidiſſimi, & ſicci: Ergo neceſſariò adurent viſcera hypochondriam patientium, maximamque inducent noxam, præcipuè in eis, qui aduſtione uruntur humoris attribiliarii.

Nec obſtat, quod alii præparant viperinos pulveres minùs calidos. Crollius enim in ſua Baſilica viperarum Alcohol, ex ex quo fiunt ſimiles pulveres, ſic proponit. Poſt excoriationem viperarum, inteſtina, caput, & cauda, auferuntur: pinguedo ab inteſtinis ſeparata ſeorſim pro ſingulari Ophtalmico obſervatur, reliqua caro lota cum corde, & jecore, poſt lentam exſiccationem in ſe, aut in B. M. in Alcohol redigatur. Sennert. *libr.* 5. *inſtitut. Medicar.* 3. *par. ſection.* 3. *cap.* 14. recipit ſerpentem, excoriat, eximit linguam, cor, hepar, abſcindit caudam, & caput, coquit carnem in olla nova, donec caro à vertebris poſſit ſeparari, ſpinam torret, & in pulverem redigit: torret etiam cor, hepar, linguam contundit, & miſcet cum pulvere ſpinæ, ex quibus fit pulvis, hocque vocat bezoarticum animale. Alii accipiunt ſerpentes quinque aut ſex vivos, conjiciunt in ollam vitream, tegunt operculo, torrent ad ignem lentum, ut pinguedo & humiditas ſeparetur, & abſumatur, & nihil comburatur, redigunt in pulverem, ex quo accipiunt ℥. ij. radic. valerian: angel. pimpinellæ, ruta ana ℥. j. Saccar. cand. ℥. j. fiat pulvis doſis ℈. ſſ. Non inquam obſtat: nam omnes hujuſmodi pulveres ſua caliditate operantur attenuando humores, & movendo ad cutem, & reſolvendo eos per illam, & cum nequeant hypochondriorum humores ſic moveri, & evacuari ob reconditas vias in quibus hærent ob ſuam craſſitiem, & terreſtreitatem, neceſſe eſt ut commoti, & agitati permaneant, & quod plurima ideo ex illis commoveantur Symptomata, fiantque cancroſæ diſpoſitiones, quæ ægros in præcipitium deducant.

§. VI.

Solvuntur dubitandi rationes primo adducta.

AD rationes dubitandi reſpondetur, tum pro primo, quod, ut tenet Cajetanus *Geneſ.* 3. & refert Suarez *de opere ſex dierum, libr.* 4. *cap.* 1. Serpens, inter quem, & hominem Deus decrevit inimicitias eſt dæmon non animal terreſtre, de quo loquimur; vel ſi adhæreamus D. Thom. 2. 2. *q.* 165. *art.* 2. *ad* 2. *&* 3. aſſerenti: quod ſacra Pagina loquitur de animali ſerpente: dicimus, quod dæmon operatus fuit, ut agens principale, ſerpens, ut ejus inſtrumentum, & ſic maledictio fuit in dæmonem, non in anguem cui doctrinæ adhæret Suarez *de opere ſex dierum lib.* 4. *cap.* 7. nec negamus inimicitias inter hominem, & ſerpentem, mutuumque odium, & quod alterum ſit alteri nocivum: ſaliva enim hominis lethale eſt venenum ſerpenti, & ſerpentis ſaliva homini,

Digitized by Google

homini, ſimulque ob id habent naturalem antipathiam: nec ex hoc infertur, quod caro viperæ non habeat ad hominis ſanitatem varios uſus, quos demonſtravit experientia. Tum pro ſecundo: quod hoc argumentum probaret non poſſe reperiri diverſas, & oppoſitas virtutes, in diverſis partibus aliorum medicamentorum: ſicut enim in homine ab eadem anima oriuntur variæ potentiæ in diverſis partibus ob variam organizationem earum, & in mixtis deverſæ qualitates in diverſis partibus materialibus ob diverſam ſigillationem; ut probavimus *p. 1. Reſolut. Medicar. diſput. 1. ſect. 2.* Similiter in diverſis viventis partibus juxta diverſos modos ſubſtantiæ oriuntur diverſæ facultates, quæ in aliis partibus non poſſunt oriri: Sic Rhabarbarum ſecundum unas partes adſtringit, & ſecundum alias laxat ventrem. Alces unguis opponitur epilepſiæ, non per oſſa: homo occidit ſalivâ viperam, non autem vi aliorum partium ſui corporis: animal generans lapidem Bezaar, quod ſua vi opponitur venenis, non autem per reliquas ſui corporis partes. Tum pro tertio: quod antipathia dicit naturalem averſionem, & contrarietatem; nec ex hoc ſequitur, quod non poſſit habere aliquas ſui partes vipera, per quas ob inſitam proprietatem, aut naturales virtutes, non poſſit utilitatem præſtare homini ad aliquos curandos morbos. Tum pro quarto: quod cum venenum non generetur ſecundum omnes partes, ſed ſecundum aliquos tantum, juxta has manet deleteria: juxta vero alias manet utilis. Tum pro quinto; quod ex Avicenna infertur, quod venenum viperæ ſit calidum quarto gradu, & tale eſſe demonſtrant accidentia; non tamen quod caro illius ſit calida in quarto gradu. Ariſtoteles enim *lib. 1. de generat. animal. cap. 9.* arbitratur, quod ſit frigida, & Galenus, & Dioſcorides qui calidam eſſe affirmant, ac ſiccam, non tenent eſſe nimis calidam, cum hyeme in latibulis degant ſine alimento, quod eſt indicium frigiditatis.

RESOLVTIO III.

An errent Vulgares, qui omnes febres longas contendunt curari amuletis, vel appropriatis aliis medicamentis in omnibus ſubjectis?

§. I.

Proponitur fundamentum vulgaris erroris.

Vulgares ignorantes, ac imprudentes quorum proprium eſt his armis certare cum ſapientiſſimis Medicis, irruendo in ipſos ſuâ innatâ temeritate, ac ſtultitiâ ſi morbos longos ob ſuam tenacem ac duram reſiſtentiam quam ipſi, quia ſtulti idiotæ ſunt nullo modo concipere poſſunt produci aſpiciant: continuò ſpretâ ope medicâ ejuſque doctiſsimis Profeſſoribus quorum munus eſt cauſas morborũ ſcrutari, ac ægros, eorumque adſtantes de eventu ipſorum morborum monere: ſed ægri ſæpè recurrunt ad vetulas, impoſtores, agyrtas & alios nebulones, qui ſuis impoſturis omnium morborum promittunt ſe præſtare ſtrenuos victores, maximè verò tunc, quando febres diuturniores fiunt: quarũ longitudo plurimas ob cauſas contingit juxta Galeni doctrinam *lib. 3. Prognoſticor.* Hic enim prolongari tenet, vel ob inde-

ob indebitam victus rationem; vel obſtructiones illas foventes, vel ob intemperiem jecoris, alteriuſque interni viſceris; ſed à propria natura fiunt plures febres chronicæ, ut tertianæ, & quartanæ, quæ longiſſimæ ſunt ob terreſtreitatem aut craſſitiem ac glutinoſitatem humoris, à quo dependent. Ronſæus vidit tertianam per 30. annos durantem in homine, & aliam in muliere, cui non multum fidit Francus à Reyes. Sed longas febres obſervarunt plures: Monacha, *Concil.* 71. Mercurialis *tom.* 2. *Concil.* 48. Ternelius *Concil.* 34. Ballon, *tom.* 1. *Concil.* 106. Et Schenckius, febrem natalitiam, & anniverſariam per 50. annos, & aliam per quinquennium permanentem, aliam de ſeptennio in ſeptennium revertentem. Plinius *libr.* 7. *cap.* 35. refert Mecenatem perpetuò febricitaſſe. Zecchius vidit diuturniſſimam febrem, *concil.* 87. eamque cum variis permanentem accidentibus. Scolzius, *Concil.* 370. longam febrem proponit de quartanis: Obſervat Schenckius duraſſe in aliquibus uſque ad vigeſimum tertium annum, in aliis per vitæ decurſum. Et nos Equitis Januenſis juvenis præclariſſimi per annos quinque laborantis febre tertiana nothâ duplici, curationi pro viribus incubuimus.

Pro iis febribus ſtatim ac primis diebus ſanguinis miſſiones ſunt celebratæ; ſi febris non cedat contendunt vulgares, nullis aliis utendum eſſe auxiliis, ſed ſtatim ad ſpecifica vel Empirica medicamenta ſine delectu eſſe veniendum; quibus videtur favere Medicorum continuus uſus. Eraſtus apud Schenckium diuturnarum febrium tanquam miram curationem proponit hauſtum vini in quo diſſolvatur parum ſalis, cujus beneficio expurgatur æger cum vomitu, & dejectione, à quo tempeſtivè exhibito plures ſani evaſerunt: aliter verò evenire intempeſtivè ſumentibus. Schenckius tanquam ſpecificum pro longis febribus proponit, quod ante paroxiſmum ſpina, pulſus, & tempora inungantur oleo ſcorpionum facto, ex triginta illorum partibus maceratis hyeme in oleo laurino: in æſtate vero in oleo nucum. Riberius animadvertit longas febres oriri interdum à prava diatheſi viſceris alicujus aut jecoris, aut menſenterii, & conſulit diuretica, ſudorifica, aliaque reſolventia, ut abſynthium, centaurium minus, carduum benedictum, radicem Dictami, pimpinellæ, tormentillæ, ex quibus decoctiones factæ, aut pulveres proſunt; vel quod fiat tranſitus ad ſpecifica, & Empyrica, inter quæ proponit ſpiritum ſulphuris à ℈. ß ad ℈. j. cum ℥. iiij. aquæ portulacæ, vel commixtum cum ſale abſyntii, cum aqua cardui benedicti inſtante acceſſione, vel uncias quatuor ſicci plantaginis depurati, vel decoctum chamæmeli, vel aquam ſtillaticiam illius, vel ex approbatis foliorum plantaginis, & Chelidoniæ majoris ana manip. 1. telæ araneorum, ſeminis urticæ, fuliginis camini, ſalis communis, ana ℥. j. aceti fortiſſimi, quod ſufficiat, fiat cataplaſma, applicetur carpo, ter aut quater ante acceſſionem, vel applicetur auricula muris contuſa cum ſale, & aceto, vel ſempervivum minimum ſeu manilla muris, vel interior cortex ramorum nucis, vel folia burſæ paſtoris, vel allium, cepa, ranuculum contuſa. Maroldus, conſulit mane ſuccum abſyntii, vel Mercurium præcipitatū cum lapide lazuli, Hælidæus illinit ante acceſſionem ſpinam

cum

cum oleo laurino in coctis telis areanarum. Magius conſulit decoctum Triſſaginis manè ſumptum, vel aquam gentianæ diſtillatam: vel pulverem verbaſci fæminæ. Horatius ex capitibus ranarum ſuper carbones ignitos projectis donec candeant, recipit quod eſt album, quod in pulverem redactum exhibet. Mittholius tanquam expertum exhibet per ſex horas ante paroxiſmũ ſex buccellas panis intinctas Butyro commixto cum telis aranearum. Sturtius præſtat ante paroxiſmum potum vini albi in quo decoxerit milium, & fat validum exercitium. Buccardius Mitthovius, applicat pulſibus unguentum populeonis cum telis aranearum, & Theriaca ſimul mixtis. Faventinus inungit ſpinam manè quotidie cum mucilagine, cotoneorum, & pſylii, oleo violaceo, & butyro cum cera, Pontanus exhibet ſuccum Plantaginis cum theriaca. Rulandus conſulit aquam Pyretagogam ex lib. j. aquæ fontis cum guttulis xij. olei vitrioli per horas ſex ante paroxiſmum. Sed inter nuperrimos Francus à Reyes, *quæſt.* 83. *jucundar. quæſtion.* plura proponit quæ carpis impoſita poſſunt prodeſſe ex Langio, *tom.* 1. *epiſtolar.* 53. & *tom.* 2. *epiſtolar.* 33. conſulit urticam contuſam in metacarpis appoſitam confirmat ex Nicolo, Gatinaria, & Joanne 22. in theſauro, Rondeletius apponit carpis rubram trochiſcatam, & burſam paſtoris. Crato radices urticæ.

Prætereà Francus in contumaces febres *q.* 70. Freytagio, *in aurora Medicorum*, & aliis authoribus plura proponit hujuſmodi remedia, flores Centaurii minoris & folia, ſi ex illis fiat decoctio, conferunt reſerando vias obſtructas; ſimiliter recoctum. Chamedrios prodeſt pro longis tertianis ex Lacuna, ex Proſpero, Alpino, prodeſt dragma pulverum illius ante acceſſionem in jure pulli, ex Zacuto decoctum Eupatorii, ex Mathiolo decoctum aſſari in vino cum melle, & pulvere macis, & cinnamomi, ex Freytagio ſuccus radicis ſambuci ℥. j. in vino ante paroxyſmum bis aut ter ſumatur. Soto præbet vini mellis & ſucci ſambuci ana ℥. ij. ex Lacuna aquam diſtillatam gentianæ, ex Fonſeca, Oxymel, vel ſyrupum acetoſum in quo maduerit coma abſynthii, ex Mathiolo repetit inſtillatam gentianæ aquam, doſis ℥. iij. per aliquos dies ante paroxyſmum, vel ex Weckero hæc aqua ſic præſcribitur. ℞. radic. gentianæ ℥. ij. cardui ſancti, pentaphilli ana m. ij. in ſero lactis macerata duplici balneo deſtillentur: Ex Quercetano inſtillatam aquam ex floribus chamæmeli, ex Miraldo aquam ex nucibus viridibus inſtillatam ſumendo ℥. iiij. ante paroxyſmum.

Spagyrici ſua auferunt auxilia febrifugia ſpecifica, Riberius *Centur.* 3. *obſervation.* ſuum proponit febrifugium, quo gloriatur in pluribus obſervationibus febres longas curaſſe, & antequam illud proponat: extollit miris laudibus, & poſtea naſcitur ridiculus mus, inquit enim quod componitur ex triplici Hercule duodecim laboribus ad ſummam nobilitatem evecto, quibus tandem quartus Athleta additur operis complementum efficiens: en magnum myſterium Authoris, in aliis quidem doctus, & inter nuperrimos omni laude dign. Amyſinchet proponit aquam febrifugam ſic. ℞. ſpecierum febrifugarum noſtr. ℥. iiij. herbæ Centaureæ minor. Card. bened. quinque folii, abſynth. an. ℥. iij. macera in ſero caprino, & diſtilla in arena, doſis ℥. iiij. in paroxyſmo, ex quibus apparet

apparet, quòd cum tot ſpecifica empiricaq; remedia proponantur à præclariſſimis Medicis pro curandis chronicis febribus, rectè vulgares poſſunt illis in quibuſvis febribus uti.

§. II.

Communis error in uſu horum medicamentorum corrigitur.

REſolvendum. Quod licet aliquibus ſint utilia ſpecifica aliqua medicamēta, errant vulgares, utendo illis ſine delectu, & ante univerſalia remedia magna, & ante coctionem materiæ morbificæ: ſic tenent omnes Medici rationales. Probatur: Tum experientia, quæ docet ab illis aliquos fuiſſe ad ſanitatem reſtitutos; alios verò in mortē deductos, quod non aliunde provenit, cum ii effectus ab eiſdem medicamentis proveniant, niſi quia pro illis requiritur occaſio, quæ ex Hippocrate eſt anima medicamenti, & quod præceſſerint univerſalia ac magna remedia, & quod ſit jam regulata materia. Tum quia nam hæc ſunt topica auxilia, quibus univerſalia debent præcedere, & tempus cruditatis. Tum quia pleraque horum proſunt per peculiarem evacuationem, & reſolutionem peccantis humoris ad quam debent præcedere univerſales evacuationes, & materiæ evacuandę coctio, per quam fiat apta ſeparari ac moveri. Tum quia rectè Riverius notat ex defectu horum ab iis ſpecificis medicamentis plures in morbo alias non lethali mortem ſubire: & Francus inquit, quod illis utendum nullo tempore, niſi poſt longam curationem febre in declinationem tendente, & poſt omnes evacuationes & cætera auxilia diætetica etiam juſcula, quibus peractis nec devicta febre deveniendum ad ſpecifica.

§. III.

Solvuntur rationes vulgaribus faventes.

AD fundamentum vulgarium reſpondetur: quod omnes Medici rationales poſtquam in febribus chronicis uſi ſunt communibus evacuationibus, & auxiliis, ratione, experientia, indicatione, & analogiſmo inventis, ſi febres non remittuntur, tranſeunt ad ſpecifica febrifugia, pluraque authores proponunt, quorum uſum nos non damnamus; ſed abuſum aliquorum vulgarium, qui ſine iis præcedentibus eis utuntur, morbos augent, & ægros interficiunt.

RESOLVTIO IV.

An errent, qui pro febribus utuntur pulvere de Quarango?

§. I.

Quo fundamento ii pulveres rejiciantur, qui tales dicantur?

MAnardus, Cluſius, Acoſta, Aorta, & Fernandez incognitum reliquerunt hoc medicamentum, licet de reliquis ab Indis delatis exactam præſtiterunt notitiam, Chiffletus, Protimus, Antimus, Conegius, Cronomus, Sebaſtianus Baldus, & ex iis nuperrimus omnigenæ literaturæ præclarus Hiſpalenſis Caldera hujus medicaminis dignotionis aperuerunt viam. In uſum illud apud Europæos induxerunt Cardinalis de Lugo, & Medicus Vega dictus; Ideò ii pulveres dicuntur Cardinalis de Lugo, pulveres de Vega, & pulveres

Digitized by Google

veres, de Quarango ab arbore ſic dicto, ex cujus cortice fiunt, qui Quarangæ nominatur etiam, vel de Chinachina, vel china febris, vel gentiana Indica, vel pulvis Jeſuitarum & arbor dicitur Gannanaperide ſeu Peruvia, à quo extracti cortices, & deſiccati fiunt pulveres, quibus Indi utebantur, dum frigore aut gelu congelati ac compreſſi ſentiebantur, ipſos enim cum aqua, aut liquore calido ſumebant, & illicò calefiebant, & liberabantur à frigore; per analogiſmum noſtri eiſdem uſi ſunt pro remittendo frigore in tertianis, & quartanis, in pluribus reſpondebat effectus, in aliis deficiebat & morbus: ideò poſt varias experientias eorum uſus receptus fuit apud Medicos pro chronicis febribus curandis. Plures autem renuunt eorum uſum: quia (ut docet Hippocrates) curatio debet fieri citò, vel ita ut ſi non proſit, ſaltem non noceat; Sed ii pulveres, ut experientia docet, in aliquibus augent febrem, duplicant acceſſiones, intendunt accidentia, cauſant dyarrhæam & dyſenteriam, mortemq; accelerant. Ergo non ſunt febrifugi, nec à Medicis in uſum medicinę recipiendi. Chifflet & Plempius alias ſuperaddunt rationes, quas refrangit doctè Genuenſis Badus doctiſſimus.

§. II.

Qualiter hujuſmodi pulveres ſint admittendi, proponitur.

RESolvendum. Quod pulveres de Quarango ſunt febrifugi, & à Medicis in uſum medicinæ recipiendi, ſi eis utantur poſt univerſales evacuationes, & ſignis coctionis manifeſtis, præcipuè circa declinationem.

Probatur ex nuperrimorum doctrina, tum ex modo, quo virtus febrifuga horum pulverum cœpit cognoſci ex experientiis primis, ex quibus conſtitit humores movere ad extra, extinguereque frigidam temperiem; ex variis eventibus comprobantibus acceſſionum frigus devinci in quartana, & tertiana notha, eaſdem febres poſt manifeſtas coctiones ſimul vinci: irritari verò ſi pulveres exhibeantur ante evacuationes univerſales, & ante ſigna manifeſta coctionis intendi putredinem in iis, morbos plerunque lethales reddi, diarrhæas & dyſenterias moveri; & hoc quam maximè in morbis ortis ex nimis prædominante bile. Tum comprobant ex pulverum temperie, quæ colligitur juxta Galeni doctrinam, cum enim polleant gravi odore ac ingrato, licet aliqualiter aromatico, amaritudine, & ſenſibili caliditate, quia immutant linguam aliquali flavitie, quæ apparet in cortice ex quo fiunt. Convincitur, quòd ſint calidiſſimi, & quòd in ſecundis qualitatibus habeant vim attenuandi, detergendi, digerendi, incidendi, & commovendi humores: ex quibus apparet, quòd ſi exhibeantur paroxiſmo ineunte commoveant morbificam cauſam, reſolvant eam, quę movetur ad acceſſionem, & proximè diſpoſitam ad ſubſequentem: & ſi tota morbifica materia eſt cocta, totam commotam evacuant, & criſim natura perficit, quam ſine pulverum virtute & commotione nequiret aggredi nec conſequi: Si autem cruda permanet materia morbifica, nec ſeparata à commiſtione ſanguinis, conturbatur, agitatur, commovetur, augetur putredo, intenditur febris, duplicantur acceſſiones, & commota materia, quæ non potuit attenuari, ac reſolvi,

Digitized by Google

mota ad ventrem, diarrheam, aut dyſenteriam efficit, ex quibus ſi vires ſint debiles, eis reſolutis æger interimitur. Tum communis uſus pulverum, qui propinantur jam communiter ab omnibus in doſi dragmę unius in jure, aqua aliqua febrifuga calidis; vel præcipue in vino, cum quo major ſequitur operatio, ineunte paroxiſmo, qui obtunditur, ſi cocta fuerit materia, & præceſſerunt evacuationes univerſales: ſin minus requiritur ſecunda, aut tertia exhibitio ſimilis pulverum, cum quibus, ſi ante debitam coctionem exhibeantur, tandem licet deſinat febris, conſuevere fieri recidivæ; Sed tandem concocta jam materia ab iis pulveribus exagitata, & coadjuvata natura criſim aggreditur, & perficit: Ergo hujuſmodi pulveres admittendi ſunt à Medicis inter ſpecifica febrifugia ad febres chronicas, tertianam notham, aut quartanam, exterminandas: patent hęc ab eventu.

Probatur ſecundo: in febribus intermittentibus (ut tenet Galenus *lib. 2. de differ. febrium cap. ult.*) fit continua paroxiſmorum productio: quia humor mittitur à parte & recipitur in foco putredinis, ab illo que trahitur, qui ab expellente venarum truditur; vel (ut tenet Rodericus à Veiga, *lib. 2. de different. febr. cap. 11.*) quia concitatur per intervalla natura ut commoveat, & alteret humorem commotum in foco putredinis: vel (ut tenet Argenterius *lib. 3. de cauſis ſymptom. c. 7.*) quia paulatim in tempore intermiſſionis aggregatur materia morbifica in foco putredinis, ob pravam, quam habet contractam diſpoſitionem: ex quibus conſtat, ſemper foveri acceſſiones principaliter ob pravam diſpoſitionem, ac materiam contentam in foco putredinis, qua ablata aufertur præcipua paroxiſmorum cauſa, & permanentia; ſed à nulla alia cauſa illa diatheſis pravaque materia poteſt ita diſcuti, evacuari, reſolvi, attenuari, & exterminari, quam ab aliis pulveribus, qui ut diximus ex natura propria habent qualitates primas & ſecundas, per quas hæc omnia poſſunt perficere: Ergo pro iis febribus ſunt ſpecifica febrifugia.

Probatur tertiò: Supponendo naturam, & vim fermentationis, quæ ex Heurnio in methodo fit ebullitione quadam cum humore juxta Galeni & Platonis mentem, ex Mercuriali cum Platone in Timæo eſt partis terreæ motio, & in aërem converſio: Vel (ut tenet Coringius) eſt motus terræ vi ignis interni concitatæ, ut beneficio aquæ intermediæ areſcat, ac igneſcat, hæc apparet in natura molieute illam ob varios fines; verè plantæ turgent, turgent & animalia, quadam quaſi efferveſcentia huic fermentatio apparet; & in aliis rebus; inquit enim Galenus: *Comment. 2. in primum Priorit. Cum in terram acetum acre infuſum fuerit, protinus intumeſcens ſurſum quaſdam terræ partes attollit, fitq́, compoſitum quoddam ex terreſtri ſubſtantia, & aceti humiditate, & ex facto vaporoſo ſpiritu: Simile rei huic contingit, cum atrabilis in terram effuſa fuerit: nempe ex utroq́, ſpirituoſa quædam motio videtur fieri ei ſimilis, quæ in fervente muſto apparet: ſimile quoq́, & in panibus quotidie fieri videmus, cum enim remixta quæ tritici farina, mixto illis, & fermento mediocriter macerari permiſerint, fermentatio fieri videtur fuſa ſimul & intumeſcente quæ fermentatur ſubſtantia.* Simili modo poſſe fieri fermentationem in humoribus protulit Coringius dicens: *Nam qui neget*

Digitized by Google

gravium , lethaliumque morborum eſſe ex fermento vel originem, vel ſomitem , parum profecto in pathologia profecit , proinde ignorat, quidnam ſit illud turgere Hippocratis. Et ſuperaddens , quod humores cauſant febres & alios morbos diverſos ob fermentationem, inquit: *Quorum omnium ortum & incrementum, ſtatum & declinationem, motionem, criſim, critica molimina, tranſlationes, revolutiones , periodos , exacerbationes putavi ego potius ex fermento ebulire.* Ex quibus ſic ſubjungo: ſed pulveres de Quarango ob qualitates , quas diximus prævalere in illis , valent morbificam materiam fermentare : ergò ex hac illorum vi poterit cauſari criſis perfecta dum concocta eſt, quæ fermentatur materia, imperfecta, dum eſt incocta materia : & inde poſſunt provenire critica molimina, motiones, tranſlationes humorum ad ventrem : & duplicatæ exacerbationes. Ergo ii pulveres tanquam ſpecifica febrifugia debent admitti.

§. III.

Solvitur fundamentum vulgarium.

AD commune fundamentum vulgarium admittimus doctrinam Hippocratis, & dicimus: quod ſi debito tempore exhibeantur ii pulveres tutiſſimè morbos curant ; ſin minus idem contingit, quod in aliis remediis , quorum omnium (ut tenet Hippocrates) occaſio eſt anima . purgatio terminat morbos, materia exiſtente cocta, ipſos intendit, & ſæpè lethales reddit, dum adhuc cruda permanet , deficit in calidis aliis vis fermentandi : & ideo non ab aliis quibuſlibet calidis fit ſimilis curatio ; benè tamen ab aliquibus ut à theriaca, nuce juglandis, cujus arboris cortices forſan eſſent ſpeciale febrifugium apud noſtros : Et quæcumque fermentatione poſſunt abigere diatheſim viſcerum , à qua fovetur febris.

In pulverum de Quarango exhibitione hæc vidimus. Valliſoleti mulier juvenis in Cœnobio obſervantiæ ſanctę Brigidæ, ſimplici ſub autumno correpta fuit Quartana ; poſt menſem hos febrifrugos ſumpſit pulveres ſine præcedente alio auxilio, triplex facta fuit Quartana, & duravit per tres annos : Dum jam Mantuæ Carpentanorum medicinam agebamus , cognovimus juvenem bilioſum ſalſuginoſa ſeroſitate abundantem , qui incidit in tertianam notham, cui ſanguis pluries fuit miſſus , & medicamenta cathartica exhibita, omneque refrigerantium genus ; quibus non ſufficientibus pulveres ii febrifugi ſunt exhibiti, defecit prima acceſſio , die ſequente rediit poſt aliquos dies , ceſſavit febris , & ſimili modo rediens, poſtquam quater fuerunt exhibiti, liber evaſit.

Conſtans fuit de alio , qui laboravit per quinquaginta dies notha tertiana ; & nullis proficientibus remediis incidit in diarrhœam bilioſam, cum ſiti ingenti, & ſuſpicione internæ inflammationis, exhibitis iis pulveribus & ſimili modo repetitis in variis recidivis à febre, à ſiti, à linguæ ſcabricie, è flogoſi viſcerum evaſit immunis.

Excellentiſſimus Dominus Marchio de Guevara in longiſſima tertiana notha, nullis aliis proficientibus auxiliis, jam ferè hecticus, cum lingua arida, viſcerum inflammatione, & clamoſa ſiti, ſumpto hoc febrifugio, eadem die liberatus fuit à febre, à ſiti è viſcerum ardore : Recidivavit quater, & eodem auxilio quieſcebat febris per aliquos dies , & tandem ab illo devicta fuit.

Aa 2 Tan-

Digitized by Google

Tandemq; jam communis pulverum uſus paſſim oſtendit eorum ſecuram, utilemque medicinalem vim ſi debita exhibeantur occaſione.

RESOLVTIO V.

Vtrùm errent, qui ſudorifica in declinatione febrium chronicarum excludunt ab ordine febrifugiorum, & in aliis temporibus?

§. I.

Proponitur vulgarium opinio & fundamentum.

Febres longæ, quæ fiunt ex indebito uſu rerum nonnaturalium petunt curari ex ejus reductione. Quia (ut docet Galenus) ſine hac, nulla utcunq; egregia reliquorum medicamentorũ applicatio poterit eſſe ex uſu, quæ prolongantur ex obſtructionib., ipſis devictis devincitur, quæ provenit prolongatio ex diatheſi, pravaq; humorum diſpoſitione, potiùs petit tandem exterminari febrifugiis ſpecificis, inter quæ commoventes ad cutẽ pulveres de Quarango admittendos judicavimus, ſed cum ſint alia moventia ad cutem, & præcipuè ſudorifica, de iis eadem currit difficultas. Vulgareſque præcipuè ſudorifica remedia renuunt. Ratio fundamentalis eſt quia calida ſunt, & attenuando, ac reſolvendo debent movere materiam morbificam quæ actio contraria eſt indicationi quæ à febre ſumitur quæ eſt refrigerandi & attemperandi: ideò Galenus *in libr. Method.* exhibitio aquæ frigidæ ad ſatietatem inquit quod eſt ſummum febrium auxilium. Tum ſecundò; quia cum febrifuga auxilia maximè exhibeantur, in febribus longis, quartana, aut tertiana, non videtur ſudor ex uſu, nam reſolvit tenuè, erelinquit craſſum, & ideò magis incurabiles reddit febres, quia in craſſiori materia pendentes cauſa mortifica nequit concoqui, nec reſolvi, aut evacuari à natura. Tum tertiò; quia debemus imitari naturam, quæ febres pendentes ab humoribus tenuioribus, & quæ morbos peracutos cauſant, terminat per ſudores: febres verò longas, & pendentes ab humoribus craſſis, non niſi per coctionem, dyarrheas & alias evacuationes, per quas poſſunt evacuari craſſi humores, à quibus pendent: Ergo ſudorifica & quæ ad cutem movent non ſunt ſpecifica febrifugia pro febribus longis curandis. Tum quartò ex Hippocrate conſtat, plures ſudores laborioſos, & lethales fuiſſe Philiſco, & Eraſino, qui prima die cœperunt ſudare mortui ſunt. Pithion in Taſſo, qui ſecunda die cœpit ſudare, & adoleſcens, qui habitabat in foro mendacii etiam periere, ſicut Silenus, qui ſudavit ſexta die, decima ſexta: & qui in Dealcis horto ſudavit, quarta die non liberatus uſque ad quadrageſimum: & Hierophons, qui ſexta die ſudavit: & virgo in Albertis: & Pythodonis in periculoſas inciderunt poſt ſudores: Ergò ſudores nec motio humorum ad cutem ſunt ex uſu: nec febrifugia moventia illos. Tùm quintò, apparet figmentum medicamentorum moventium ad cutem ex triumpho Archæi, & mundi miraculo, univerſalique Medicina Aubrii, qui ex confecto quodam medicamento involuto ſub nomine Archæi, ne communicetur illius uſus per ejus diaphore-

Digitized by Google

ticam virtutem promittit tot miracula qualia ſufficiunt ad illius figmentum, & impoſturas, per ipſum enim promittit jam prægreſſas reſtituere ætates, & poteſtatem regrediendi ad præteritam quæ ultra infinitum progreditur, & incurabiles quoſcunque ſubitò devincere morbos, lapideſque, ulcera, & quaſcunque habituales intemperies per vaporem egerere. Sed hæc omnia ſunt anilia figmenta: Ergò fruſtra in febribus ex iis promiſſis febrifugiis expectandus eſt eventus.

§. II.

Pro acutis febribus conferunt moventia ad cutem, & ſudorifica.

Reſolvendum: Quòd ſudorifica, & ad cutem moventia proſunt in febribus acutis.

Probatur: Medicus eſt imitator naturæ in eis, quæ rectè operatur natura movendo ſudores curat plures: Ergò & Medicus offerendo illa quæ movent ad cutem, & ipſos provocando. Probatur minor ex ſudoribus à natura factis ab Hippocrate recenſitis, qui ægros liberarunt ab acutis febribus, *in acutis enim*, & 4. *Aphoriſm.* 38. & 2. *Aphoriſm.* Sudores ſalutares decernit, ſi inceperint 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. & 34. non quia finiantur in eiſdem, nam qui finiuntur ſæpè lethales, ut contingit in Paro, in Taſſo, in Carthade, in Hermoptolomæo, in Theodori uxore: Sed incipientes in iis diebus, in aliis finiti diebus ſecuriores ut in Methone muliere decumbente in littore Melodiæ, Cheroni, mulieri decumbenti in Taſſo, Nicolaï filio docet Hippocrates contigiſſe, qui liberi evaſerunt à febre.

Probatur ſecundò ex veterum communi aſſenſu: Licet enim in Medicinæ infantia deviarunt ab aliis remediis rationalibus, in hoc conveniebant, quod movere ad cutem humores eſſet utile febrium auxilium. Prodicus enim & Erodicus, ut refert Hippocrates circuitibus, curſibus, & frictionibus febres curabant: quaſi conantes ad cutem movere: Petronius, referente Celſo, veſtimentis operiebant febrientes, & concepto calore, aquam frigidam offerebant, ut moverent ſudorem. Herophilus, & Eraſiſtratus poſt ſuillam vinum offerebant: ex quibus & vomitus & ſudor ſolebat moveri. Aſclepiades, & Themiſon, ſudores etiam contendebant movere. Alii in corporum motione ſiſtebant, donec agitatum corpus, vel ſudaret, vel reſolveretur materia morbifica. Prætereà inter Dogmaticos Magiſter Galenus *in lib. Met.* potum aquæ frigidæ ad ſatitatem exhibet, ut inde roboratâ naturâ ſubſequatur ſudor: Ergo ſunt utilia medicamenta, quæ illum movent pro acutis febribus.

Probatur tertiò à *Sennerto*: Ex naturæ motibus, quæ ante acceſſiones aut poſt acceſſiones, in diebus judicatoriis, & criticis tentat ſudores, & ferè nullam perfectè febrem judicat ſine illis, & nos docuit frictionibus uti ad cutem arrarandam, & uti eis quæ movent ad cutem, ut Carduus benedictus, cujus aquâ aut pulveribus utimur, extracto aut ſale, vel fumaria bugloſa, ſcabioſa, tormentilla, centaurio minori, Zedoaria, abſynthii ſale, rob ſambuci, lapide Bezaar, Theriaca, mytridato, & aquæ frigidæ potu, cutemque arrarantibus cum Galeno, qui *libr.* 11. *Meth. cap.* 9. ſic conſulit docens, quando debeant exhiberi, quæ commovent ad cu-

item. *Sanè totum corpus priuſquam id evacuaveris rarefacere non expedit, ubi vacuatum eſt, utique licebit medicamento aliquo cui calor tepidus inſit, rarefacias, cujuſmodi eſt, quod ex chamemalo conficitur in hoc tempore*: Si vinum quoq; aquoſum bibatur, id omnes evacuationes promoverit. Idem facit & temperatum aquæ dulcis lavacrum: Cæterum ubi magnitudo febris obſtat, nec vino utendum eſt, nec lavacro; nec iis quæ habitum rarefaciunt inunctionibus: ſed aquæ frigidæ potus in iis eſt aptiſſimus: niſi tamen quid eorum, quæ in ſynocho ſine putredine dicta ſunt hanc quoque prohibent.

§. III.

In longis febribus tendentibus ad declinationem ſudorifica admittuntur.

RESolvendum ſecundo: Quod ſudorifica ſunt ſpecifica febrifugia ad quartanam & tertianam notham prolongatas, dum properant ad declinationem, & ſunt celebratæ univerſales evacuationes. *Sic* tenent Sennertus *lib. 2. cap.* 8. Horatius Augenius *in epiſt.* Francus à Reyes *q.* 70. & citati ab illo P. Pœna, & Mathiol. Lovel *in plant. hiſtor. cap. de ebano*, Weckerus *cap. de china.* Angel. Victorius *conſult.* 8. Sennertus *de morbo Gallico tit. de china.* Riberi, *cap. de quartana.* Zacutus *lib.* 3. *praxis mirabilis cap.* 30. *libr. prax. hiſtor. cap. de Semitertiana.*

Probatur primò à Sennerto, quia humores per ſudores expurgantur à coinquinamento, fomite, vel fermento, per quæ diſponuntur ad novam putredinem, quo ablato deſinunt acceſſiones. Riberius cum decocto Chinæ, & Salſæ parillæ exhibito per viginti dies, tenet febres curari chronicas poſt ſigna coctionis: quia ab eorum viribus diſcutientibus reliquias humorum exterminatur cauſa. Zacutus: quia quotidianam per duos annos permanentem curavit cum decocti Chinæ, & ebeni exhibito per 24. dies; & *lib.* 4. *praxis* uſus eſt Chinæ decocto, cum quo curavit ſemitertianam, quia hæc radix aquoſos humores exſiccat, viſcera roborat, flatus abſumit, deobſtruit, & lentum humorem liquat, & in halitum digerendo evaporat. Franciſcus Hernandez *in hiſtor. Indiar.* agens de China Mexicana, tenet quòd eſt frigida, & ſicca, & quod ejus decoctum præter alia habet abſumere, & evacuare per poros atræ bilis, & pituitæ portionem, quo pharmacorum vim refugit. Ex quo patet: quod ſit utile febrifugium in febribus Chronicis ex iis humoribus pendentibus.

Probatur ſecundò. Per nullam aliam regionem poteſt evacuari major copia materiæ morbificæ, quam per ſudorem: Ergò poſt peractam coctionem ad ipſam exterminandam in febribus chronicis ſudorifica tanquam febrifuga ſunt admittenda. Probatur antecedens à Sanctorio, *libr. de Statica medicina*: in quo per plures concluſiones hanc doctrinam confirmat longo uſu, curis, & experientiis confirmatam. Primò: *Perſpiratio inſenſibilis ſolet eſſe longè plenior quam omnes ſenſibiles ſimul unitæ, ut ſi cibus & potus unius diei ſit ponderis octo librarũ, tranſpiratio inſenſibilis aſcendere ſolet ad quinque libras circiter. Sect.* 3. *Aphoriſm.* 6. *Si ex ſtaticis deprehendatur impeditam eſſe perſpirationem diebus ſequentibus, vel ſuccedit plenior perſpiratio, vel aliqua evacuatio ſenſibilis plenior, vel cachechia veſtigium, vel febris. Sect.* 1. *Aphoriſ.* 11.

Perſpiratio

Perſpiratio quæ ſalubriter aufert ex corpore multum, idque inutile pondus, non eſt quæ cum ſudore fit, ſed ille halitus inſenſibilis, qualis hyeme uno die naturali ad quinquaginta uncias, & ultra exhalare poteſt. Sect. 1. Aphor. 22. Natura dum perſpirandi officio eſt impedita, incipit ſtatim in multis deficere. 1. Aphoriſmor. 40. Dum caput gravatur dolore ſtatim corpus incipit minus perſpirare. 1. Aphor. 41. Si perſpirabile, neque a natura neque à colore febrili reſolvatur corpus illicò ad malignam febrim præparatur. Section. 1. Aphoriſm. 46. Febricitantes in pejus æque incidunt, ſi à Medico imperito medicamentis importune exhibitis illorum perſpiratio divertatur. Sect. 1. Aphoriſm. 47. Magis occulta, & inſenſibilis tranſpiratio nos ſublevat, quam omnes ſenſibiles ſimul unitæ. A ſomno enim ante excretionem ſenſibilium excrementorum, quiſque ſentit ſe leviorem, quia revera factus eſt levis ſolito tribus libris circiter. Sect. 1. Aphoriſm. 58. ſpatio unius noctis ſexdecim unciæ lotii plus minuſque coctorum excrementorum per alvum quadraginta & ultra per occultam perſpirationem evacuari ut plurimum ſolent. Sect. 1. Aphoriſm. 59. Pluribus una die naturali per inſenſibilem tranſpirationem tantum evacuatur quantum per alvum quindecim dierum curſu. Sect. 1. Aphor. 60. Si aëri æſtivo frigus ſupervenerit, illa die ſuppoſita eadem bibendi libertate tertiam partem circiter perſpirationis exire prohibet, quæ niſi fiat, ſenſibilis facile ad putredinem vel ad cachechiam diſponit. Sect. 2. Aphor. 9. Ob aërem frigidum ſupervenientem calori, veſtibus denudatis minus duabus libris circiter die curſum perſpirare ſolet, nulla ab ipſis animadverſa moleſtia. 2. Aphoriſm. 11. Æſtate corpora temperata ſunt minoris ponderis quam hyeme tribus libris circiter. 2. Aphoriſ. 13. Ab æquinoctio autumnali ad ſolſtitium hyemale qualibet die minus libram circiter perſpiramus, inde uſque ad æquinoctium vernale incipimus liberius perſpirare. Sect. 2. Aphor. 41. Perſpirabile retentum, ut acre, febres, eryſibeleta ut copioſum apoſtemata, deſtillationes, vel cachechiam facit. 2. Aphoriſ. 23. Ex iis, & aliis ſtatica obſervatione repertis ſatis conſtat, quantum proferat perſpiratio in ſanis, ad cutemque quævis evaporatio, & quantum poterit juvare ſudorifica in febribus, dum morbifica materia eſt apta propelli per ſudorem.

Probatur tertio: febres prolongantur ex diatheſi, pravâque diſpoſitione viſcerum, & humorum, à qua humores, qui continuò generantur pravi fiunt: inquit enim Hippocrates: *impura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes.* Simul & coinquinatur focus putredinis, acquiritque fermentum, ob quæ continuò aggregat pravos humores redundantes, ex quibus prolongantur acceſſiones. Ergo ut exterminentur poſt non ſufficientes evacuationes univerſales, requiritur febrifugium ſudorificum, à quo pravitas partium humorum & foci putredinis expurgetur, & humoribus extenuatis, ac reſolutis, & per cutem expurgatis, à puritate contracta, conſequatur ſalus.

§. IV.

Solvuntur vulgaris opinionis fundamenta.

AD rationes oppoſitas reſpondetur. Tum pro primo. Quòd in febribus indicatio, quæ ſumitur à febre, eſt refrigerandi, & attemperandi calorem præternaturalem, in quo conſiſtit, quæ ſumitur à cauſa eſt diſponendi illam ad evacuationem.

Digitized by Google

euationem, & poſtquam jam eſt diſpoſita illam euacuare, quod variis modis tentat ars, ſicut & natura, quæ variis euacuationibus molitur illam expellere. Tùm pro ſecundo; quod in febribus Chronicis ſudoribus utimur, non in principiis dum poteſt interturbari, aut impediri coctio; ſed ipſa peracta, ut exterminemus fermentum, diatheſim, & prauam humorum redundantiam fouentia acceſsiones. Tùm pro tertio; quod, ut videre eſt apud Hippocratem *in libr. Epidem.* licet rarò tentat natura exterminare febres longas per ſudorem. Sed quia ob reſiſtentiam materiæ nequit aggredi hoc plerumque: ideò ars ſudorificis tentat illam juvare, ut poſſit conſequi juvamine artis, quod ſe ſola non poſſet. Tum pro quarto; quod ſudores fiunt laborioſi & lethales, ſi ſuperveniant ante coctionem: fiunt tamen critici dum fiunt materia concocta, & ideò poſt ejus elaborationem tantum ſunt ex uſu ſudorifica, quæ debent exhiberi pro curandis febribus chronicis. Tum pro quinto; Quod Aubrius & reliqui Spagyrici dicerunt à Paracelſo omnium utcunque incurabilium morborum curationem promittere, ſenectutem retrocedere ad juventutem, vitæ prolongationem ultra terminum à Deo vitæ præfixum, & promittunt alia quæcumque judicant ab hominibus exoptari, ipſiſque eorum promiſsionem utilem futuram. Quæ cum impoſſibilia impoſtorum ſint promiſſa, nec valeant naturaliter adimpleri, ne ante recepta impoſturæ munera hæc propalentur ſua remedia miraculoſa, quę nihil ſunt proferre oſtentant, & ea proponunt per verba ſimiliter nihil ſignificantia. Ex quo non ſequitur, quod eadem currat ratio de ſudorificis ſpecificis à natura in hunc finem productis, & ab omnibus expertis.

RESOLVTIO VI.

An errent, qui aliqua ſudorifica exhibent in morbillis & febribus malignis erumpentibus maculis.

§. I.

Pars affirmativa vulgariter recepta cenſetur.

Vulgus recepit: Quod erumpentibus morbillis aut variolis, & maculis in febribus malignis utendum eſt ſudorificis auxiliis, quibus naturæ motus ad cutem properetur: ideo vulgares Medici, & vulgares ſine Medico utuntur pro variolis decocto lentium cum aliis mouentibus ad cutem, pro exanthematibus movendis, lapide Bezoar cum aqua bugloſſæ. Favet pro lentibus exhibendis Avicenna ex quo uſitatum fuit decoctum quod fit ex lentibus, caricis, liquiritia, capillorum Veneris, hordeo & apii radice in aqua coctis. Tum ſecundo pro exanthematibus lapidis Bezoar uſus fovetur ex opinione communi, quæ tenet movere ad cutem, & contra omne venenum, & malignam qualitatem habere alexipharmacam virtutem: ergo iis utendum erumpentibus variolis, morbillis aut exanthematibus.

§. II.

Sylvatici præfertur opinio in vulgares.

Reſolvendum: Quod errant vulgares dum in omni excretione exanthematum conantur ſudorificis movere ad cutem.

Proba-

Probatur primò in variolis & morbillis: Tum quia in ſynocho ſalubris eſt criſis perfecta, per quam morbus terminatur: ex quo apparet, quod non indiget ſudorificis, nec aliis coadjuvantibus juxta præceptum Hippocratis docentis: *quæ judicantur aut judicata ſunt integrè, nec movere, nec novare, ſed ſinere oportet.* Tum quia ſi lethales ſunt morbilli, aut variolæ hoc maximè contigit ob nimiam uſtionem impedientem coctionem, & irritantem ad expulſionem ſymptomaticam, quæ irritatio & ſymptomatica evacuatio, ex quibus reſolvuntur vires & ſpiritus, ſimulque & benignior pars ſanguinis evacuatur cum maligniori etiam non petit juvari; ſed aliter humores debent evacuari, corrigi & attemperari. Tum quia lentes in quibus plures fidunt, in ſe ipſis ſunt pravi ſucci: inquit enim Actuarius *libr. de Spirit. animal. nutritione*: *Inter legumina peſſimum omnium edulium lens habetur, unde craſſus, terreſtris, & atrabilarius ſanguis gignitur.* Nec lentes per ſuas qualitates poſſunt conducere ad ſudorem; nam pars externa adſtringit, ob quod ſudorem impedit; pars interna alvum movet, ob quod, quod ferri deberet ad cutem, commovet ad ventrem, unde in finem propoſitum potius obſtat. Tum ad eruptionem videntur obſtare lentes: inquit enim Avicenna *libr. 4. fen. 1. tract. cap. 10. Cum ergo pertranſierit ægritudo diem ſecundam, & incipiunt variolæ apparere, tum fortaſſe erit infrigidatio cauſa erroris magni, ex eo quod retinet ſuperfluitatem interius.* At verò Galenus 5. *in 6. Epid. Comment.* 33. lentes eſſe frigidiſſimas teſtatur: unde apparet, quod ex ipſo Avicenna non debet offerri pro erumpentibus exanthematibus.

Probatur ſecundò. Quod nec ſudorifica proſint in febribus malignis: nam exanthematum eruptio non fit concocta materia; nec tanquam critica evacuatio ſicut in variolis; ſed eſt ſymptomatica, quæ erumpit ob malignitatem, & demonſtrant periculum febris: quia *decretoria, quæ non decernunt* ex Hippocrate, *aut ſunt lethalia, aut difficilis judicii ſignum.* Ergo non debent juvari ſudorificis, nec conturbari materia morbifica, quæ ut morbus ſit ſalubris debet coqui: & ex Galeni doctrina. *Coctio quietem deſiderat.* Tum quia ſi offeratur ſupra poſitum decoctum conſtat contrarius eventus in lentibus, in quibus vulgares magis confidunt, ſi offeratur lapis Bezoar occidentalis, ut ſupra diximus, movet ad ventrem, & non ita ad cutem. Si offeratur orientalis lapis, aut de illius dubitatur virtute, aut convincitur de illius falſificatione, & tandem ſi quæ vera ſit, & poſſet pugnare contra deleteriam qualitatem. Si ad cutem movet, interturbat coctionem, à qua cum vires debilitentur, impeditur etiam coctio, per quam morbus debet ſalubris fieri. Tum quia ſi verus lapis reperiatur, & quandoq; ſit utilis, maximè poſt concoctam materiam, ut deleterium moveatur ad cutem, & concocta jam materia, commoveatur ad illam, quo tempore ſi ſudor ſuperveniat, & criticus, & ſalutaris debet eſſe.

§. III.

Solvuntur fundamenta vulgarium.

AD fundamenta vulgarium reſpondetur. Tum pro primò: quod ex Avicenna utrumque colligitur, & quod debeat propinari decoctum, forſan quia ex

aliis corrigi judicaverit, & illis pro attemperandâ febre judicavit utiles, ſicut & hordeum: debent tamen caveri maximè ob dicta; & quia ut Sylvaticus animadvertit, lentes ob terream naturam, & quia atrum generant ſuccum, pavores cauſant, & horribiles imaginationes per ſomnum, ideò debent quam maximè formidari in pueris: qui ad ipſos, & ad epilepſias aptiſſimi ſunt ex Galeno 3. *Aphoriſm.* 24. Tum pro ſecundo; quod ſi quando vero lapide Bezoar utendum non eſt, dum poteſt interturbare; ſed dum cocta jam materia poteſt ſudorificum commovere aut juvare motum, quo critica evacuatione morbus terminetur.

RESOLVTIO VII.

An errent, qui munditiem negant ægrotis?

§. I.

Vulgaris proponitur aſſenſus & fundamenta.

NOn ſolum vulgus, ſed & vulgares Medici ſuperſtitioſâ timiditate, ut tenet Sylvaticus ducti, omnem munditiem denegant ægrotis tam in ſyndonibus, indufiis, aliiſque linteaminibus immutandis, quàm in radendis barba, aut capillis, pedibuſq; lavandis. Quibus favet tum pro non immutandis lineis pannis, Hippocrates 4. *Acut.* 39. qui febricitantium corpora docet debere quietem habere, & pannis contegere, ut arrarâta cute ad extra attrahantur fuligines, & in febribus malignis expellantur venenoſi vapores. Sed ex ſubuculis, & linteis, ſindonibus contrahuntur pori ac occluduntur, & impeditur expulſio fuliginum, & vaporum, quæ recurrentes ad internas partes febres augent, & ſpiritus diſſipant: ergò non debent mutari. Tum ſecundo, pro non auferendis barba & pilis ſtat Avicenna, qui inter cauſas recidivę ponit *barbam aut caput radere.* Ergo hæc mundities non eſt permittenda. Tum tertiò pro denegandâ pedum lotione ſtat quod docet experientia morbos ſupra ſeptum tranſverſum & fluxiones à capite exaſperari, ut apparet in pleuritide, tuſſi, dolore laterali, raucedine; & catharro à defluente humore in partes ſubjectas, ergo eſt abſtinendum ab hac munditie.

§. II.

Mundities non deneganda ægrotis in febribus acutis.

REſolvendum, quod mundities confert ſanitati ægrotantium, & lineamenta mutari in febribus præcipuè malignis, & exanthematibus terminatis, ſic tenent Hollerius *cap. de febre ardente.* Rondeletius *cap. de febre Synocho.* Petrus Lopez *lib.* 7. *cap.* 6. Primoroſius *lib.* 3. *de vulgi erroribus cap.* 11. Levinius Lemnius *lib.* 4. *de occultis naturæ miraculis cap.* 8. Sylvaticus *controv.* 8. Balduinus Ronſæus *epiſt.* 36. Valleſius *comment.* 1. *ad text.* 8. *lib.* 1. *de morb. acut.* Francus à Reyes *q.* 82.

Probatur ex Hippocrate *libr.* 6. *Epidem.* ubi docet ægris gratificandum & *libr. de decenti ornatu*, in ipſo Medico ornatum conſulit, & munditiem ut gratificetur ægro: inquit enim Valleſius *loco citato*, *Peccant vulgares Medici; nec lineam tunicam mutare, nec ſindonem; nec manus faciemve lavare, nec quidquam aliud, quod ad munditiem*

tiem ſpectet ſuis ægrotis permittentes, ne ſi longiſes quidem morbus ſit, quaſi magni referat volutari in ſuis ſordibus, aut quaſi non augeat hoc omnem putrefacientiam. Hippocrates certè conſulit, ut ægrotantibus gratia præſtentur præcipuè in conſuetis. De quibus Hippocrates *conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint inconſuetis minus moleſta eſſe ſolent*, & ipſa prohibitio noxia & moleſta eſt ægris.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimusq; negata.

Et Galenus 6. *Epidem.* 2. nonnulla indulgenda eſſe ægrotis conſulit, ne illi averſi inobedientes fiant.

Probatur ſecundò: ſindonum & ſubuculæ mutatio, nec ſolum in acutis aliis morbis, ſed & in malignoſis & cum exanthematibus eſt neceſſaria ad ipſos morbos curandos, ergo non debet prohiberi: Probatur antecedens: Tum quia à ſordibus ob fœtorem gravatur caput, inde & dolor & pervigilium & delirium poſſunt ſubſequi, ſupervenit pruritus & inquietudo, graveolentia inducit faſtidium. Tum quia tetri & venenoſi halitus impediuntur evacuari à ſordibus obturantibus poroſitates, qui retenti febrem augent in humoribus ab ipſis repurgatis, iterum malignitatē communicant, ſpiritus impuros reddunt, & retrocedentes ad cor impuritate puros alios generare impediunt, genitos corrumpunt, & conſpurcant; inde & in toto corpore coctiones impediuntur, quæ ſpirituum vivifico colore coadjuvantur, & perficiuntur: Ideo Galenus in eorū munditie cum ſpongiis incumbendum eſſe docuit; antiquiores in hunc finem balneis utebantur, nos frictionibus cum linteis abſtergentibus: alii uſi ſunt fomentis, Archigenes ſordidis panniculis. Tum quia ut probavimus, oportet ſudores movere, vel inſenſibilem evacuationem: quę cum impediantur per ſordes, maximè inſiſtendū in munditie procuranda, ne illæ evacuationes impediantur, in quibus maxima ſtat ſalutis ſpes. Tum quia linteamina à lino habent vim abſtergendi, reſolvendi & attrahendi, unde & per ſe juvant per cutem ad evacuationem cauſæ morbificæ & per accidens auferendo impedimenta, ut docet Dioſcorides.

Probatur tertiò: quod pilorum abraſio ſit permittenda præcipuè in aſſuetis, tranſacto morbi vigore, & dum non timetur recidiva. Tum quia præcipuè ſi præceſſerint ſudores capitis, pediculi maximè moleſtant, & cogunt ut ſcalpedine maxima fiat attractio in caput, & vidimus plures abſciſis pilis & ab hoc labore & febre ſimul liberari. Tum quia in quiete ab hoc labore ægri in continuo ſunt motu, & ab aëre conſtipati, impeditur evaporatio fuliginū, & ejus quod reſiduum eſt acceſſionum evaporatio, unde & febris prolongatur cum ægrorum moleſtia & anxietudine: & ideò Hippocrates *lib. 4. acutor.* quietem conſulit. Tum idem patet de pilis barbæ pro quibus deficit aſſidua conſuetudo, & niſi radantur, ſupervenit moleſtia & pruritus deficit aſſueta raritas, ob quam avocata excrementa per novaculę raſionem & caput, & vicinæ partes expurgabantur. Ergò hæc mundities utilis eſt ægrotantibus.

Probatur quartò, de munditie ex lavacro ſaltim pedum, & poſt morbi vigorem. Tùm ex Hippocrate, *libr. de victu in acut. ſect. 3. text.* 57. de aſſuetis ad balneum inquit. *Nempe tales magis appetunt, juvanturque cum loti fuerint adeò ut lædantur ſi non fuerint loti.* Unde ſaltim proderit in iis, &

in aliis etiam cum attrahat ex pedibus factum in partes inferiores. Tum quia in opinione admittente calculationem ſanguinis dum per illas refluit extremitates maximè refrigeratur, & attemperatur. Tum quia per febres pedes deſiccantur, & fit quædam ſcabricies impediens evaporationem excrementorum, quæ propellit natura ad extremitates in declinationibus morborum: ergo hæc mundities non eſt deneganda ægrotis ſaltim in declinatione.

§. III.

Solvuntur vulgarium fundamenta poſita in principio.

Ad rationes dubitandi reſpondetur, tum pro primo: quod Hippocrates pannis docet contegere febricitantes, ne conſtipata cute impediatur in acceſſione effluxus fuliginum per illam. At verò per ſindones præcipuè in declinationibus, non impediuntur egredi; immò ex munditie effluxus juvatur, quod ſorditie impediebatur. Tum pro ſecundo: quod convenit levis pilorum abraſio, quæ fit ob munditiem: Avicenna verò prohibet nimiam attractionem, factam ex abraſione capitis & barbæ, quæ ſuis erat frequentior. Tum pro tertio: quod pedum lotio proderit in aſſuetis & ob rationes ſuprà poſitas, & lavacrum calidum attrahit & revellit, ſi quod verò nocet, eſt illud quod frigidum eſt; à quo poſſunt juvari catharroſæ affectiones frigidæ.

* * * * *

RESOLVTIO VII.

An errent, qui prægnantiam evidentibus ſignis cognoſci tenent?

§. I.

Cagnoli, & vulgarium proponitur opinio & ratio.

Inter quæſtiones nec ſolum utiles, ſed omninò neceſſarias Medicis, & Juris Profeſſoribus hæc recenſetur, his ut in plurimis judicium conferant, illis ut debitè poſſint in morbis præſcribere remedia. Sed apud vulgares Divinatores, & Obſtetrices maxime in uſu habentur: mulieres enim vel prolis cupidæ, vel prægnantiæ timidæ ab iis ſcire contendunt, an in utero gerant, qui ut illis placeant, certò cognoſcere prægnantiam affirmant: & novi Obſtetricem, quæ intra octo dies prægnantiæ aſſirmabat, & rognoſcere prægnantiam, & fœtus magnitudinem; ſed relictis iis impoſtorum figmentis, recurramus ad provectos viros; inter quos Cagnolus *leg. ſi prægnans 42. D. de evict. num. 5.* cui adhæret Giurba *in Conſil. Meſſ. cap. 8. gloſſ. 2.* Et ex Medicis non videtur diſſentire Cagnatus *libr. de morbor. cauſ.* Cagnolus tamen à Carranza citatus, & à Zachias notatus, quia tamen peritus in obſtetricis arte conatur definire hanc opinionem contra Canones, Medicos, & Philoſophos ſanciens, quòd ſunt evidentia & infallibilia ſigna, ex quibus prægnantia evidenter cognoſcatur, quod comprobare nititur poſitis quibuſdam ſignis, quæ judicat eſſe accidentia quarto modo prægnantibus propria.

§. II.

§. II.

Communis ſancitur opinio authoritate & ratione demonſtranda.

RESolvendum: quod nulla ſunt ſigna quarto modo prægnantiæ propria, ex quibus hæc evidenter poſſit cognoſci, ſic tenendum tenet Carranza, *diſputat. de vera humani partus natura & legitimi deſigat. cap. 1. ſect. 1.* contra Cagnolum, qui ut ipſe tenet, animosè contendit captum ſuperare omnium Philoſophorum & Medicorum, tenet Zachia *libr. 1. tit. 4. quæſt. Medicolegal. quaſt. 1.* & citati ab illo Andreas Laurentius *lib. 8. Anat. cap. 4.* Valleſ. 4. *Epidem. text. 49.* Sanctor *in Method. vitand. error. lib. 1. cap. 28.* Fortun. Fidel. 3. de Rel. Medic. *cap. 4.* Codronchus *in Methodo teſtificandi cap 12.* Varand. *de morb. mulier. lib. 2. cap. 2.* & tenent Mercatus, Mercurialis, Rodericus à Caſtro agentes de morbis mulierum, & præcipuè ex Neothericis Ludovicus Bonaciolus *de fœtus formatione cap. 4.*

Probatur primò ex Hippocrate, *libr. de natura pueri*, ex Ariſtotele *lib. de hiſtoria animalium cap. 4.* qui fatentur quàm difficillimum ſit prægnantiam cognoſcere, & Hippocrates in ſorore Themenes; & de filia Tecomei Præfecti annonç, hæſitavit an prægnantes eſſent, & Avenzoar fatetur *libro 2. Theyſis. cap. 1. tract. 3.* in propria uxore non cognoviſſe prægnantiam, pluraque exercuiſſe remedia contraria illi, ſolutivumque propinaſſe medicamentum. Ratio fundamentalis hujus doctrinæ eſt, quia omnia ferè accidentia, quæ ſuperveniunt in prægnante, ex quibus cognoſcimus prægnantiam, ſubſequuntur ex retentis menſtruis, ſimiliaque ſunt, dum menſtrua retinentur ob prægnantiam, & dum retinentur à morbo, ergo non debent haberi tanquam ſigna quarto modo propria prægnantiæ, ſed tanquam ſigna propria retentorum menſtruorum, & conſequenter nec valent evidenter prægnantiã demonſtrare.

Probatur ſecundò, hæc ratio & tota propoſita doctrina contra Cagnolum, & illi ſubſcribentes impugnando rationes, quibus contendit ſuam fulcire opinionem quæque illis ſuperaddi poſſunt. Quia ſi aliquod ſignum demonſtraret prægnantiam, potiſſimum eſſet, ut Carranza ex eodem deducit, quod proponit Ariſtoteles, *lib. 7. de hiſtor. animal. cap. 3.* §. *Si in ſeptimum diem genitura permanſerit, manifeſtum eſt mulierem concepiſſe:* Idem confirmat Aëtius, & Scaliger inquit: *Igitur ſi ſeptem diebus contineatur, manifeſtum indicium eſt conceptionis:* Hocq; ſignum deductum videtur ab Hippocrate *lib. de genitura* dicente. *Si mulier aliquando partum experta fuerit, & advertit, quando genitura non exciderit, ſed intus remanſerit, tunc enim ſcit qua die conceperit,* in idem incidit Galenus *libr. 1. de ſemine, cap. 2.* §. *Dixerunt mihi mulieres, ubi ſemen conceperint, quandam ſe in vulva motionem ſentire, quæ quaſi convellat, ac paulatim in ſe illam contrahat.* Sed hoc ſignum reprobat Carranza, quia pendet ex mulierum aſſeveratione, in qua paſſim falli docet *l. 1. §. Si mulier. D. de liberis agnoſcendis. & l. 1. §. Per calumniam. D. ſi mulier ventris nomine:* & tenent Barthol. *in l. gallus. n. 14. D. de lib. & poſth.* & ibi For. Garcia *num. 117.* & alii relati à Giurba, reprobat Zachias *tom. 1. q. Medicolegal. tit. 2. q. 2.* & quia ſæpe refluunt aliæ humiditates, quas putant eſſe genituram, quæ poteſt illis excluſis relinqui,

linqui, & quia ob eaſdem ſæpè conceptionem non ſentiunt, quod comprobat ex Bo-ėr. *deciſion.* 120. ex Ioſepho Ladon, *in communi concluſ. tit. de nato in octavo menſe concluſ. unica.*

Probatur tertio; ex primo ſigno à Cagnolo propoſito; ſi venter paulatium intumeſcat ex quo *Geneſ. cap.* 38. *verſ.* 24. convincitur prægnantia Thamar: inquit enim *Fornicata eſt Thamar nurus tua, & videtur uterus illius intumeſcere*, & Ariſtoteles *li.* 7. *de hiſtor. animal. cap.* 3. Si venter in bona valetudine augetur, ſignum prægnantiæ judicat, & Plautus *in Trucul. act. u.* 1 *ſcena.* 2. non prægnantiam contendit convincere, quia deficit intumeſcentia ventris; & Ovidius *epiſt.* 11. idem ſignum prægnantiæ proponit. Idem confirmat communis experientia, quæ nobis in pręgnantibus commonſtrat ventris intumeſcentiam. Convincit ratio: quia cum ſuperaddatur in augmento fœtus nova cauſa ut venter augeatur, illius augmentum ſignum manifeſtum debet judicari fœtus, & prægnantiæ; Sed hoc ſignum nihil convincit neceſſariò: nam poteſt intumeſcentia ab alijs cauſis fieri: & ideò nec eſt ſignum, nec accidens quarto modo proveniens à prægnantia. Ponit Carranza fallatiæ exemplum in Maria Angliæ Regina, & Prudentis noſtri Philippi Quarti uxore, in qua ſimile ſignum fallax fietit, ut tenet Mencha, *lib.* 2. *de ſucceſſ. creat.* §. 20. Poteſt enim hæc intumeſcentia fieri ex retentis menſtruis, ex morbo, ex hydrope, ex flatibus, ideò illam reſpuit Maſcardus, *de probationibus concluſ.* 114. *num.* 16. Si experiuntur Medici in actu practico ſine eo quod omninò valeant diſtinguere, an prægnantia à morbo fiat paulatim, & per longum tempus, ab utraque enim cauſa ſimili modo ſupervenire poſſe docuit Hippocrates, *lib.* 2. *de morb. mulier.* & ut rectè Zachias tenet, licet Scriptores contendant inter has cauſas differentiam aſſignare, potius conſequuntur, quod ſubtili modo ſcribantur; non verò quod in actu practico ita ſubtiliter diſtinguantur.

Probatur quarto: Ex 2. ſigno adducto à Cagnolo admiſſo à Maſcardo *de probationibus concl.* 1208. & à Baldo ab eodem citato, ut adducit Zachias, quod ſcilicet mammæ intumeſcant, & lac generent; hoc enim ſignum apparet evidens, & naturale, ut docet Hippocrates, *lib.* 1. *de morb. mulierum, & lib. de natura pueri.* Quia cum mater ſit deſtinata ad creandum, & alendum infantem: dedit illi quod in prægnantia ad mammas recurrat ſanguis, ut lac generetur, & tempore perficiatur, ut poſt partum valeat ſtatim fœtum alere, nec ſine fine, & neceſſitate niſi in gravidis illud ante partum præſtaret natura, quæ non redundat in ſuperfluis; Sed hoc non eſſe ſignum, vel accidens quarto modo ſuperveniens prægnantiæ, præ aliis nuperrimus Francus à Reyes comprobát, *q.* 47. *ex Hippocrate* 5. *Aphoriſm.* 40. dicente: *Si mulier, quæ nec gravida eſt, nec peperit lac in mammis habet, huic menſtrua defecerunt.* Galenus *in comment.* inquit: *Fit etiam tale quandoque licet rarò cùm mulier gravida non eſt, quando ad ſimilem intumeſcentiā pervenerint vena, & repletionem ex menſtruorū retentione.* Ex quibus patet: quod licet naturali inſtituto lac fiat in prægnante, poteſt à præternaturali ordine everti ordo, & redundans ob alias cauſas ſanguis refluere in mammas, ex quo fiat lac: Unde Avicenna *Fen.* 12. *lib.* 3. *cap.* 3. inquit: *& quandoq; ag-*

gregatur lac in mamillis puellarum abſq; in prægnatione, & abſque eo quod genuerint, & hoc propriè, quando retinentur menſtrua. Coſtæus in Avicennam idem confirmat, aſſerens ſe vidiſſe lac in mammis virginis: ſicut Alexander Benedictus, *libr. 3. Anat. cap.* 4. Vega *in comment. aphoriſm. 39. ſect. 5.* Philippus Salmuth, *Centur. 1. obſervat. 92.* Laurentius, *lib. 9. quæſt.* 10. à Caſtro *lib.* 4. *de natur. mulier. cap.* 10. *libr.* 4. *de Medico Polit. cap.* 12. Foreſtus, *lib. 28. obſervat.* 77. Nieremberg, *libr. 9. hiſtor. natur. cap.* 68. Bodinus, *lib.* 3 *Thetr. natur. p.* 429. refert vetulam aviam mortua matre infantem creaviſſe lacte ſuperveniente ab ejus ſuctu, & Cardanus, *lib. 12. de ſubtilitate*, de infante refert, quod primo menſe lac ex papillis emiſit, quæ Schenckius congerit, exemplumque ex Joanne Camerario puellæ trimeſtris quæ effundit lac ex mamillis: ex quo Zachias, Francus, & Moronus illa ſimul deſumpſerunt, ſicut & alia plura. Ex quibus conſtat in viris etiam lac generari in mammis; obſervarunt Ariſtoteles, *libr. 3. de hiſtor. animal. cap. 2. lib. 3. de animalibus cap. ult.* Veſalius, *lib. 5. de fabrica corporis humani, cap.* 18. Alexander Benedictus, *lib. 5. Anatom. cap.* 4. Montanana, *lib. Anatom. cap.* 8. aſſerit aliquos homines proprios lactaſſe filios, Faria *in epitome rerum Portugallia p. 4. cap.* 17. Godoy *tract. de education. puer. cap.* 8. Fontecha *lum. 2. cap.* 7. Gemma, *lib. 6. Coſmograph. cap.* 7. Carpenſis, *de natura vaſor. ſpermat. comm.* 14. Cardanus, *lib. 12. de ſubtilit.* Hieronymus Eugub. *lib. de lacte*, Joannes Conrad. Schenckii filius, Auguſtinus Nimphus, *comm ad cap. 20. lib. 3. de animalib.* citati à Franco à Reyes nuperrimo hujus placiti aſſertore, qui ſuperaddit ex Laurentio, *lib. 9. quæſt.* 2. ex Cyſato *tract. de infant. Iaponis*, qui in Braſilia Cucumuiatam Provinciam eſſe affirmat, in qua mulieres parvis mammis gaudent, ſed viri lac in ſuis habent ſufficiens pro alendis filiis, quod & alii confirmant: ex quibus convincitur hoc ſignum non deſumi ex aliquo accidente proprio quarto modo prægnantiæ.

Probatur quintò, ex tertio ſigno à Cagnolo propoſito, tenet enim prægnantiam evidenter cognoſci ex menſtruis retentis, quod videtur cõprobari ex experientia ex communibus Authorum doctrinis, & ex ratione: ſuperfluit enim ex ordine naturæ ſanguis in fœminis, ut ex ſuperfluo in utero generetur, nutriatur, & augeatur fœtus, & poſt editum in lucem fœtum, fiat ex illo lac pro fœtus alimonia: ſin minus excernatur per uterum periodicis excretionibus à natura præfinitis. Unde ſi non excernitur, videtur à natura retineri, ſi non ob lac generandum in puerperis, colligi manifeſtè videtur, quod retineatur ad alendum fœtum in utero contentũ, & quod demonſtret prægnantiam. Sed quod nec ex ſupervenientibus menſtruis inferatur defectus prægnantiæ, nec ex illis deficientibus prægnantia patet. Primum fatetur Ariſtoteles *lib. 7. de hiſtoria animalium cap.* 2. Ubi rationem reddit, quare quædam concipiunt ſine menſtruis, & Hippocrates obſervavit *libr. 5. epidem.* in uxore Georgiæ, & Schenckius confirmat *lib. 4. tit. de concept.* citatus à Zachias. Secundum exemplis etiam demonſtratur à Schenckio, docet experientia in lactantibus menſtrua deficere ſine prægnantia, in obſtructis, in viraginibus, in extenuatis, & in aliis affectibus, in quibus vel ſanguis non ſuperfluit;

Digitized by Google

fluit, vel per alias morboſas euacuationes excluditur: hoc ſignum non eſt accidens prægnantibus quarto modo proprium.

Probatur ſexto ex quarto ſigno propoſito à Cagnolo, quod deſumit ex maculis in facie: quod licet contendat ex Serapione deſumi, recte Zachias comprobat potius poſſe comprobari ex Hippocrate *lib. de ſterilibus* §. *Quæ utero gerunt, in facie maculam habent, quam ephylim vocant.* Sed idem Hippocrates paulo ante aſſerens non reperiri dum fœtus eſt maſculus comprobat, non eſſe neceſſarium prægnantiæ ſignum, & quod in ſanis, & non redundantibus cacochymis ſuccis adhuc nec in fœmellis accidat, & quod ſuperveniat ex ſuccis cacochymis in obſtructis viris, & fœminis, & in valetudinarijs ſine prægnantia, & cum fiant à pravis humoribus maculæ, ſicut, & vitiligio & alij faciei mutati colores, dicendum non eſſe accidens quarto modo prægnantiæ proprium, ſed ob alias cauſas commune.

Probatur ſeptimò ex quinto ſigno à Cagnolo propoſito, quando mulier ſentit fœtum in utero moveri: Si enim fœtus eſt, qui ſentitur, recte concludit Cagnolus, ſed cum aliud poſſit moueri in utero, & non conſtet, an aliud quod movetur ſit fœtus, vel aliud quid aptum in utero, moveri ſemper ſub dubio manet prægnantia adhuc præcedente hoc ſigno: inquit enim Hippocrates *lib. 2. prædiction. At quæcunque ſe concepiſſe exiſtimant, neque conceperunt & multis menſibus decipiuntur, quod menſtrua non compareant & venter turgeſcere ac moveri videatur*, de mola, ex ſe, & aliis Zachias comprobat motum fœtus repræſentare de flatibus. Martinus *lib. de morbis hypochondriacis* comprobat, ſimiles poſſe motus efficere, de obſtructis manifeſtè patet, quam plurimas ob retenta menſtrua ſemper fere ventris intumeſcentiâ, flatibus, pulſationibus, & continuis ventris motibus vexari, de falſa gravidatione *in tomo Reſol. Medicar.* in fine ſub conſultationibus agentes de falſa gravidatione, diximus quo pacto ex flatu furente, & alijs gravidationibus ſolent ſuperuenire motus ventris veram geſtationem æmulantes: ergò hoc non eſt accidens prægnantiæ quarto modo proprium, quod neceſſario illam demonſtret.

§. III.

Ex quibus ſignis probabiliter oſtendatur prægnantia.

Reſolvendum, quòd licet nullum ſit evidens ſignum prægnantiæ poteſt ex pluribus coadunatis probabiliter inferri: Sic colligitur ex Hippocrate, & alijs ex authoribus, qui varia proponunt ſigna pro ipſa cognoſcenda.

Probatur hæc doctrina integrè à Ludovico Bonaciolo, qui ſic complet hanc probationem [Inchoati hominis indices & notæ, quamquam fallaciſſimæ, & quibus minus credendum eſt, quandoque complures, ac prope dixerim omnes citra graviditatem menſtruis ſuppreſsis evenire queunt.] Poſt hæc quibus probabilis fiat conjectura annumerat: nam prægnantiæ index eſt. Si à conceptu decimo ſole, aut ſerius ſuperueniant Capitis dolores, inquietudo, caliginoſa vertigo, oculorum tenebræ, aut hebetudo, pupillarum immutatio, ampliatio pupillæ, oculi cruore turgent, ocelli concavantur, palpebræ moliuntur, aſpectus fit ingratus, ſi pannus rufæque lenticulæ faciem deforment, appa-

appareant inter angulos oculorum, & narium venæ magis conſpicuæ, & ſi ſub lingua vena vireſcat, cervix calidior, tergus appareat algidius, colli arteriæ, & venæ turgeant, pectoris venæ nigricent, aut virides, glaucæque reddantur, ſi mammæ fiant duriores, & doleant, pupillæ rubræ, & ſtatim potũ frigidũ ſentiant, ſi ſupervenit faſtidium, pica, aut depravatus appetitus, ſi vomitus ſuperveniat, ructus acidus, aut perturbatus pulſus; ſi à triſtitia in lætitiam & è contra fiat ſubitò tranſitus, ſi laboret mulier torminibus, & renum, ac coxendicis dolore, illia appareant pleniora, inguina doloroſa, ſi in concubitu ſimul exciderit genitura, & in ſeptimum diem permanſerit in utero; ſi ſentiat vir ab utero colem ſugi, & fœminæ labia reſiceſcant, & fiant tenuiora, uterus occludatur, coïtum abhorreat, aut ardentius concupiſcat fœmina; ſi obſtetrix digito comperiat occluſum uterum, tenerum, & mollem; ſi poſt initium alvi & tergoris comprehendat fœmina dolorem pulſatilem; ſi ſubſiſtunt aſſueti menſium circuitus. Mulieri enim ex Hippocrate, ſi dextræ purgationes non prodeunt, nec horror aut febris ſupervenit, & faſtidia accidunt, gravidam eſſe arbitrare; ſi pulſus ab initio magnus, & fortis fiat parvus, & velox, lotium ſubalbidum clarum, nubiloſum rore ſupernatante, & præſeferente colorem lapidis ſtellati cum atomis in illo aſcendentibus, aut deſcendentibus; Si à primo menſe conceptus ſubſideant corpuſcula ſimilia craſſiori farinæ; Si occurrant ſimul ſigna ſupra relata, ſi experimenta ab Hippocrate annumerata reſpondeant licet illa probent Zachius, & Bonaciolus fateatur fruſtratum fuiſſe in iis experimentis, hæc tamen ſi majori ex parte occurrant præcipuè cum prægnantiæ aſſiduo uſu, & cum fœminæ obſervantia aliquorum quæ alias illi contingere ſolent, ſi menſtrua bene reſponderint, & ſine alia cauſa detinentur, probabilem præſtant conjecturam.

RESOLVTIO IX.

Qualiter errent vulgares, qui conſtanter defendunt dari certa ſigna, quæ evidenter demonſtrant virginitatem?

§. I.

Virginitatem poſſe aliquibus ſignis cognoſci proponitur.

Virgines dicuntur coitus inexpertes inter natos ad illum, cum vir, & fœmina concurrant ad illum. Alia eſt propria virginitas viro; alia fœminæ: quæ ad virum pertinet cognoſcere, parum intereſt, ideò & pauci de illa egerunt; unus inter nuperrimos Francus à Reyes illius proponit ſigna, eiuſque complet notitiam. De fœminæ Virginitate diſputant plures, illius enim cognitio non parum eſt neceſſaria pro pluribus dirimendis litibus: hæc (ut tenet Sebizius, de notis virginitatis) vocatur Zona, eugium, Virginitatis clauſtrum, integritatis argumentum, caſtitatis monumentum, flos virginæus, panniculus virginalis, germen floris, clauſtrum virginale, interſeptum virginale, cuſtodia, ſigillum, columna virginitatis, ſub latiori ſignificatione *tom.1.lib.4.q.1.* virginitatem dividit in mentalem, quæ ex contaminata mente amittitur; & in corporalem, & hæc eſt duplex: alia quæ ſe habet

ex parte miſſionis ſeminis ; alia ex parte integritatis vaſorum. Hæc etiam eſt duplex : alia pro formali, alia pro materiali. Virginitas fœminæ, quæ ſe habet ex parte integritatis vaſorum, eſt qualitas quædam ſeu diſpoſitio mulieris, reſultans naturaliter ex integritate vaſorum muliebrium; Virginitas fœminæ pro materiali eſt naturalis conſtitutio, & cohærentia vaſorum muliebrium. De hac inquirimus; an poſſit evidenter ex aliquibus ſignis cognoſci? Vulgaris opinio tenet dari evidentia ſigna ex quibus poteſt cognoſci; immò & obſtetrices communiter atteſtantur ſub iure iurando illam manere in aliquibus quæ jam pepererunt, illamque abeſſe in aliis, quas homines non cognoverunt; ſed nec huic opinioni utcumq; vulgari deficiunt valida fundamenta, præclarique tutelares.

Primò: plura contingunt in virginibus, quæ non accidunt fœminis: Ergò ex iis virgines poſſunt cognoſci. Probatur antecedens: Tum primò de gagate lapide referunt Plinius *lib.* 36. *cap.* 19. Anſelmus Boëtius, *libr.* 2. *de lapid. & gemmis cap.* 165. Weckerus, *lib.* 5. *de ſecretis*, Miraldus *cent.* 7. *memorabil. num.* 12. Bartholomæus Anglicus, *lib.* 16. *de propriet. rerum cap.* 49. & tenent Porta, & Decalecampo, quod ſi bibatur ejus pulvis in vino, aut fiat ſuffumigium valet virgo retinere lotium, non vero fœmina. Tùm ſecundò Mercurialis 5. *Aphoriſm.* 39. *lib.* 2. *de ratione victus in morbis acut. comment.* 44. Catullus *in nuptiis Pelei.* Severinus *in opuſcul. Phiſolog. & Anatom. cap* 5. & communiter recepit vulgus, quod ſi filum ab extremo naſi ad ſuturæ coronalis medium, & finem ſagittalis, per glabelam, & frontem mediam extenſum comprehendit collum Virginis, non vero fœminæ, vel ſi circumdetur collo ante coitum poſt illum, quæ erat virgo nequit circumdari, benè tamen fœmina. Tùm tertiò fertur Democritum, & Albertum Magnum cognoviſſe virgines factas fuiſſe fœminas, quia cognoverunt in illis vocem mutatam eſſe ab acuta in gravem. Tùm quartò Foreſtus, *lib.* 29. *obſervat.* 65. inquit, quod virgo ſi lapathi in carbonibus injecti fumum recipiat, ſtatim mingit, non vero fœmina, ſi ſuccini, aut electri bibat pulveres, & mingat, ſtatim fœmina judicatur; ſin minus virgo. Tùm quintò Codronchus Bonaciolus, Guillelmus Placentinus, Weckerus Virginem diſtinguunt à fœmina, ut tenet Francus: Quia virgo emittit lotium acutiori, & ſubtiliori ſtrepitu clariuſque. Scaliger ſuperaddit virgines ad parietem etiam ex alto jaculatu emittere lotium; corruptas nec retrò. Tùm 6. Michaël Scotus, & Joannes ab Indagine tenent, quod ſi cartilago quæ in apice naſi eſt à tactu digiti quaſi findi videatur mulier eſt fœmina; ſi accuminata permanet eſt virgo. Tùm ſeptimò ut ex aliis deducit Francus: virgines in pudendis pilos habent oblongos, lenes, & non tortuoſos: è contra accidit fœminis; Ergò plura accidunt virginibus, quæ non contingunt in fœminis, ex quibus poteſt cognoſci virginitas.

Secundò anguſtia pudendi ſeu ſinus pudoris reperitur in Virginibus, ita ut collum matricis ſeu vagina ita coarctetur, ut vix adhuc in grandioribus ovum columbæ admittat, ut Sevizius proponit ex obſtetricum aſſenſu ex quo deducitur, quod ſi amplitudo fuerit major eſt ſignum manifeſtum, quod talis mulier fœmina facta fuit. Hoc manifeſtè comprobatur: nam

Galenus

Digitized by Google

Galenus, *lib. 6. de locis cap.* 5. fœminarum quas Medicos vocant, approbat quam maximè judicium, & ut tenet Zachias, & Horatius Augenius, Sennertus, & Alſarius à Juriſperitis memoriæ traditum eſt, quod regulariter defloratio in virgine probatur per obſtetrices, niſi altior requiratur, probatioque devolvitur ad Medicos, ut latius videre eſt, per Pac. *de probat. lib. 2. cap. 2. num.* 32. *& ſequent.* & in hac coarctatione partium virginitatam conſtituunt, qui negant Hymen eſſe membranam: inquit enim Francus *q.* 49. utcumque igitur ſit cæterorum opiniones, omittimus, & clauſtrum virginale partium illarum reponendum cenſemus in coarctatione: ſic Ulmus Pineus, Sebizius, Zachias, Augenius, & alii; Ergò ex hac evidenter cognoſcitur Virginitas.

Tertiò: Aſperrimus dolor, & cruentatio pannorum in primo concubitu manifeſtum eſt ſignum virginitatis, ut conſtat *ex ſacra Pagina in Deutronomio cap.* 22. pro lege fuit ſancitum, quod ſi in primo congreſſu panni fuiſſent cruentati, per illos poſſet fœminæ Pater ſemper comprobare virginitatem filiæ: Ergò ex ſacra Pagina comprobatur hoc eſſe evidens ſignum, quod ſi deficeret, mulier ex eadem lege lapidibus obruebatur.

Quartò evidenter comprobatur Virginitas ex eugio, ſeu hymeneo, quod eſt quædam caruncula venulis conſperſa, quæ in primo coïtu dilaceratur, quam dari in omni Virgine tanquam quid neceſſarium ejus adimplens compoſitionē tenent plures Anatomici, & fuit admiſſa à Catullo, & Claudiano Poëta, ab Auſonio, à Nevio Comico, à Laverio, à Luciolo, à Nonio Marcello, à Servio, & (ut tenet Nancellus) ab omni antiquitate, quæ hymen dixerunt hanc membranam, à qua Hymenæus Deus nuptiarum dictus, qui ab ipſis colebatur, hymen, & plures Medici videntur admittere, licet non uno aſſenſu, inter quos Avicenna, *lib.* 3. *Fen.* 21. *tract.* 1. *cap.* 1. *lib.* 3. *Fen.* 21. *tract.* 3. *cap* 10, Rhaſis, *tract.* 1. *cap. ult*, Averroës, *lib.* 1. *Coll. cap. ult.* Nicolus Florent *ſerm.* 1. *tract.* 1. *cap.* 7. Cypræus *in ſponſabilibus cap.* 13. §. 41. Mercatus *q.* 97. Riolanus *lib.* 2. *antropog. cap.* 23. *lib.* 2. *enchir. annot.* 3. *cap.* 36. Scaliger *exercit.* 175. Uvierius *in obſervat. & lib.* 3. *de praſtig. cap.* 19. Schenkius *lib.* 4. *obſervat.* 49. & inter Anatomicos Veſalius, *lib.* 5. *de fabr. corp. hum. cap.* 15. Fallop. *in obſervat. Anatom.* Coytarus, *in tabula Anath.* Platerius, *lib. dr human. corp. ſtructura.* Spigelius *cap.* 18. *lib.* 8. *de human. corp. fabr.* Bartolinus, *in inſtitut. Anat.* Piccolominus, *lib.* 3 *Praelect. Anatom. lect.* 9, Vidius, *lib.* 5. *Anatom. cap.* 10. Alexander Benedictus, *libr.* 2. *Anatom. cap.* 24. citati à Nancelio, & Franco, quod videtur confirmari ex ſacris Canonibus, *in capit. Propoſuiſti. & in cap. cauſam matrimonii, de probationibus*, in quibus committitur obſtetricibus, ut inſpiciant partes in quibus hymen producitur à natura, ut ex præſentia, aut abſentia hyminis cognoſcant, an mulier virgo permaneat, an ſit jam mulier facta.

§. II.

Quid ſentiendum ſit de ſignis communioribus virginitatis?

Reſolvendum primò. Quod ſigna à naturalibus, & ſecretiſtis adducta non atteſtantur virginitatis cognitionem: ſic receptum fuit communiter apud Medicos, & Juriſprofeſſores, qui ideò ex clauſura

ſura, cruentatione, aut aliis ſignis conantur pro litibus dirimendis veritatem adinvenire.

Probatur: Si aliqua ſigna atteſtarentur virginitatẽ ex adductis ab Autoribus prædictis, maximè quæ à nobis ſunt propoſita ex illis, & in communi uſu recepta, ſed nullum ex illis manifeſtam præſtat cognitionem virginitatis; ergo ex illis nequit atteſtari. Probatur minor: Tum primò de gagate lapide, de quo & aliis experimentis ſimilibus, ut tenet Francus experientia demonſtrat figmentum eſſe, nec naturalium rerum Scrutatores hanc virtutem de gagate lapide ſubſcripſerunt, forſan, quia vanum figmentum eſſe experti ſunt qualiter & alia Plinii, ex quo illud deſumpſerunt alii. Tum ſecundo: nec fili menſurã probare virginitatem conſtat: nam colli grasſities in fœmina, ut contendit Mercurialis, deberet provenire ex agitatione in coitu & ſpirituum commotione, quæ ratio non convincit: nam ſimilis fieret mutatio in fœminis poſt primum coitum, ſi eſſet vehemens commotio, & etiam, quia in aliquibus, quæ dilatatas habent vias, vel in quibus via eſt dilatata, & membrum virile tenue, non eſſet neceſſaria agitatio vehemens, nec talis, qualis ſufficeret, ut commoti ſpiritus & ſanguis in collum delati augerent ejus magnitudinem aut latitudinem. Tum tertiò, nec vocis mutatio convincit deſſorationem, nam vox à tenui mutatur in gravem ex mutatione ætatum, vel agitatis humoribus & ſpiritibus commotiſque ad loquelæ inſtrumenta, quæ commotio ab aliis pluribus cauſis poteſt fieri, & in eis quas nuper diximus non neceſſario agitari vehementer in coitu, poteſt hæc vocis mutatio deficere, ſicut & poteſt deficere in uberibus colorum mutatio, ex qua alii contendunt comprobare virginitatem ob ſimiles cauſas, poſſuntque & colli grosſities, vocis mutatio, & mammarum coloris mutatio provenire ex retentis menſtruis ſurſum ſanguine converſo, ut tenet Hippocrates *lib. de morb. virgin.* Tum quartò, nec Foreſti ac aliorum ſimiles obſervationes atteſtantur virginitatem, ſed merum ſunt figmentum, alias enim Juris Profeſſores iis uterentur ſignis, relictis aliis indecentioribus, & incertis, nec ſacri Canones uterentur obſtetricum fallaci judicio cum fateantur ipſas ſæpisſimè falli. Tum quintò, nec modus mingendi diſtinguit virginem à fœmina, provenit enim ille diverſus modus à minori, aut majori adſtrictione partium, & viarũ, & ut infra patebit, ſæpe virgines laxas habent vias, & fœminæ nimis adſtrictas, & in his Virginum mingendi modus erit in fœminis, & deerit in Virginibus ſive adſtrictio, aut dilatatio in iis proveniat à naturali conformatione, vel ab aliis cauſis proponendis quas repetit Nancollius: Tum ſextò, nec atteſtatur Virginitatem, quòd cartilago in apice naſi ſit magis aut minus acuminata, nam diverſa narium conformatio à natura has narium partes amplas aut acuminatas diverſo modo reddit: & ideò Phyſonomici ex hac diverſitate varia proponunt quoad mores, & ex diverſis in nares fluxionibus poſſunt illæ partes dilatari aut comprimi, ab aliiſque cauſis exſiccantibus aut humectantibus. Tum ſeptimò, nec pili prolongati aliquid atteſtantur; ſicut enim in facie aut capite varii fiunt à nativa temperie lenes aut aſperi propter humiditatem aut ſiccitatem, & lenes in pueris fiunt aſperi poſt pueritiam acce-

dente ſiccitate, & in aliquibus omni tempore fiunt criſpi, in aliis longi & lenes: ſimili modo poteſt contingere in illis infernis partibus ſine coitu, ſimiliter ex ſupervenientibus aut retentis menſtruis; & occurſu humorum ad eas partes, & ætatum mutatione & aliis: ergo ex prædictis ſignis nullum atteſtatur virginitatis aut deflorationis veram cognitionem.

§. III.

Coarctationis ſignum non demonſtrat Virginitatem.

RESolvendum ſecundo: Quod coarctatio ſinus pudoris in muliere non eſt accidens quarto modo proprium virginitatis; Sic Sennertus, Augenius, Sebizi, Pinæus, Zachias & alii.

Probatur: Accidens quarto modo proprium accidit omni ſoli, & ſemper; ſed coarctatio ſinus pudendi mulieris non convenit omni ſoli & ſemper virgini, ergo non eſt accidens quarto modo virginitati proprium: Probatur minor: Tum primo: Quod non convenit omni: nam ſicut datur uteri clauſura morboſa præter communem virginum adſtrictionem, datur dilatatio in virgine ab errore conformatricis, & etiam ut tenet Sennertus in provectiore ætate coarctatio virginitatis dilatatur à natura, vel ob venereum appetitum; vel ut tenent Pinæus, & Zachias à menſtrua purgatione per aliquos dies laxantur viæ, ita ut virgo appareat fæmina facta; Vel ſi intemperie gaudeat humidiori, & vel ex ſuperveniente pituoſa purgatione uteri, ut in menſtruis albis, vel ſi humidis balneis humectetur; vel ſi laboret ex utero, vel aliis modis ſine coitu clauſtrum aperiat, poterit virgo laxas habere illas partes. Tum ſecundo patet: Quod coarctatio non convenit ſoli virgini. Accidit enim fæminis ſimilis coarctatio à medicamentis adſtringentibus, de quibus aliqui Medici egerunt ad curandam laxitatem poſt partum relictam; & mulierculæ ad amiſſam comparandam adſtrictionem, ac obſtetrices eiſdem utuntur medicamentis, ut comprobat Nancellus, & Sennertus confirmat ex Philippi Nechſteri obſervatione, qui vidit corruptam; quæ ſe munire voluit ad futurum ſponſum per balneum rerum ſiccarum & ita adſtricta fuit, ut virum ultra cognoſcere non potuerit. Zachias & Sanchez idem comprobant, & Severinus Pinæus *libr. de Virginitat.* comprobat ex morbis poſſe in fæminis coarctari illas partes, ita ut nequeant ulterius congredi cum maritis; vidimus poſt ulcera gallica callo inducto hoc fæminæ contigiſſe, & ab ipſa natura ſolet hæc coarctatio ſupervenire; ſi poſt cruentationem recenter dilaceratæ partes cum ſanguine uniantur, & intermiſſo Veneris uſu coarctantur. Tum tertiò patet: quod nec colli uteri coarctatio ſemper conveniat virgini ex dictis; nam eadem quæ coarctata fuit à natura ex propria formatione poteſt à morboſa gonorrhæa, & externis humectantibus, vel ab ætate, confricatione, aut aliis cauſis dilatari, etſi virgo permaneat: ergo coarctatio ſinus pudoris non eſt accidens quarto modo propriũ virginitati.

§. IV.

Quid de cruentatione, & dolore aſpero in primo concubitu ſentiendum?

RESolvendum tertio: Quod pannorum cruentatio in primo concubitu aſperrimuſque dolor non ſunt accidens quarto modo

modo virginitati proprium: tenent communiter medicinæ Profeſſores.

Probatur tum primò; quod non accidant omni virgini ex Marcello Donato *de hiſt. mirab. lib. 2. c. 15. de defloratione ſine ſanguine;* Ubi narrat ſe vidiſſe duas virgines, quæ in primo concubitu ſanguinem non effuderunt & conſequenter defecit doloris acerrimi cauſa, redditque ex Valleſio rationem, *lib. 5. cap. 15. de humani corporis fabrica.* Quia aliquæ ob petulantem attritionem digitis aut alio inſtrumento partes dilacerarunt antecedenter, vel ab obſtetricibus ob incuriam obſervat in infantulis partes illas dilatari digitis. Prærerea §. antecedente adduximus cauſas ob quas uteri colli partes poſſunt ante concubitum eſſe dilatatæ, in quibus ob eaſdem cauſas nec erit dolor nec cruentatio in primo concubitu. Præterea Zachias quatuor adducit cauſas ob quas in virginis defloratione deficiat dolor & cruentatio; vel quia licet vir nequeat rumpere coarctationem, tamẽ emittat ſemen, & mulier fiat prægnans, vel quia membrum breve eſt, nimis tenue, & non nimis coarctata via, & ſine violentia, ideo intromittitur, vel ſi coeat cum virgine, quæ paulò ante menſtrua habuit, ut tenet Pinæus. Tum ſecundò, quod nec cruentatio & dolor aſper ſoli accidat, patet, nam ut refert Fidel, *lib. 3. de relat. cap. 3.* quod poſt plures concubitus contingit aliquibus ſanginem fundere, vel quia vaſa habent nimis adſtricta, vel quia habent ulcera in illis, & alios morbos ex quibus poteſt ſubſequi cruentatio, vel ob reſerationem venularum, ut tenet Francus. & deducit ex Nicolò, quod poſt coitum ſolent ab aliquibus partes illæ coarctari medicamentis adſtingentib9, ita ut iterum dilatari nequeant ſine dolore, & cruentatione. Præterea à mulierculis, ut tenent Nancellius, & Pinæus ſolent confingi in fœminis cruentationes, à quibus hac arte una fœmina pro virgine pluries venditur: Inquit enim Sebizius ex Horatio Augenio, *libr. 1. tom. 2.* tantum poſſe fraudes meretricum: ut viderit ſex probatæ fidei obſtetrices mulierem declaraſſe eſſe intactam, quæ tamen ſeptem ante menſibus puerum pepererat; Idem tenet Paræus *libr. 23. de hominis generat. c. 42.* & Zachias *lib. 4. tit. 2. q. 1.* cognovit fæminam, quæ poſt mariti abſentiam iterum concumbens cum illo ſanguinem emiſit, & viduam poſt biennium, quę cum ſecundo marito ob novum concubitum ſanguinem emiſit. Ex quibus apparet: Sanguinis fluorem in coitu non ſoli virgini accidere. Tum tertiò patet: quod cruentatio non ſemper virgini accidat ex dictis. Nec id convincitur ex Levitico, vel quia ut tenet Augenius ex Rabbi Salamone verba illa. *Expande veſtimenta coram ſenioribus civitatis,* metaphoricè intelligenda ſunt: id eſt fiant probationes, quę apud Seniores manifeſtent caſtitatem mulieris, ut ex eis expandatur veritas, quam interpretationem Francus comprobat ex Lyra dicente: *Valde turpe videtur, quod talis pannus expanderetur coram Iudicibus; nec eſt veriſimile, quod ejus vir auderet uxorem falsò accuſare cujus ſciret parentes teſtimonium nempe linteum ſanguinolentum tanquam virginitatis ſignũ ſervare.* Ex quo infert: quod illa locutio fuit parabolica. Sebizius tenet, quod virgines Iſraëliticorum nubebant citius: & ideò in illis erat neceſſaria cruentatio; ſed rationes propoſitæ de illis etiam probant, nec lex deberet coarctare, ut aliquæ non nuberent juniores; ergo nec aſperrimus dolor

dolor, nec cruentatio in coitu ſunt ſigna quarto modo virginitati propria.

§. V.

Eugium ſive caruncula, quæ hymen vocatur, quid comprobet?

Reſolvendum quartò: quod caruncula hymen dicta non eſt accidens quarto modo proprium virginitatis.

Probatur tum primò: quia non convenit omni Virgini, quod comprobant anatomatici, quia in anatomaticis diſſectionibus raro in virginibus reperitur, & ſi reperiatur, tenent plerique, quod eſt quid præternaturaliter conformatum, ac morboſum, ſic tenent Marcellus Donatus, *lib.* 2. *cap.* 15. Aëtius *tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *cap* 96. Paulus *lib.* 6. *cap.* 72. Oribaſius *lib.* 24. *collect. cap.* 32. Baſſæus Catholonenſis *in tab. anatom.* Valleſ. *lib. de ſacra Philoſoph. c.* 25. Paræus *lib.* 23. *c.* 42. & inter Juniores Francus à Reyes *q.* 39. Ulmus *ſect.* 1. *de utero muliebri c.* 7. Augenius *lib.* 1. *epiſt. Medicar.* à *cap.* 3. Sennertus *tom.* 3. *lib.* 4. *tit.* 2. *q.* 1. Pinæus *in Phiſiolog.* Sebizius *de notis virginitat.* Alſarius *cent.* 4. *queſt.* 01. Carolus Stephanus *lib.* 3. *cap.* 7. Laurentius *lib.* 7. *Anatom. q.* 13. . Sequutus (ut inquit Francus) Fernelium & Carolum Stephanum tenent etiam Ranchinus, *tract. de morb. Virg. ſect.* 1. *cap.* 4. Reald. Columbus *lib.* 15. *Anat.* Foreſtus *præfatione ad lib.* 28. Carreirus *in diſp. de loc. affect.* & alii, ex quibus conſtat, raro adinveniſſe hymen in Anatomicis diſſectionibus in iis, de quibus non poſſet dubitari eſſe virgines. Alii tenent, quod nunquam: Alii, quod ſi quando id crediderunt fuit ex aliorum mente. Præterea demonſtrat hymenis incertitudinem in virginibus, inconſtantia eorum, qui dari affirmant: nam Veſalius Piccolominus, Fallopius, Aquapendens, Viverius, Berengarius, Coſterius, Spiequelius tenent hymen in omni virgine ſemper reperiri: Laurentius, Paræus, Columbus tenent aperiri tantum in aliquibus: nec admittentes hymen conveniunt in determinando quid ſit. Veſalius dicit, quod eſt membrana carnoſa. Avicenna, quod eſt ligamentoſa. Piccolominus, quod eſt tenuiſſima ſimilis telis aranearum. Fallopius, quod non eſt carnea, ſed nervoſa ſubſtantia. Berengarius, quod eſt retiformis contexta eſt ligamentis ſubtilibus. Columbus, quod ex valde craſſa. Spigelius, quod in junioribus eſt tenuis in adultis craſſa. Nec conveniunt in ejus ſitu: Berengarius dicit reperiri in medio cervicis urinæ. Fallopius in principio. Piccolominus in collo uteri. Goireriūs ſub alis. Veſalius in uteri cervice. Ex quibus apparet, vel nō dari, vel non in omni virgine. Tū ſecundò: quod non ſoli accidat virgini hymen comprobatur ex Aëtio, & aliis Anatomicis, qui aſſerunt, quod ſi adſit, eſt quid morboſum: Ex quo conſtat, quod ſimilis morbus poſt conformationem poteſt ab aliis cauſis fæminis accidere tanquam excreſcentia carnis, aut caruncula ab aliquibus morbis orta. Tum pro tertio conſtat, quod non accidat ſemper virginibus ex omnibus authoribus negantibus illam ex rationibus comprobantibus, non ſemper eſſe neceſſariam coarctationem ſinus uteri & ex Galeno *lib. de diſſect. uteri*, qui illius non meminit, quia in diſſectione non invenit, & ex Oribaſio *lib.* 2. *collect. cap.* 23. non ſemper reperiri probat, alias ſpecillo in omni diſſectione appareret, quod non contingit, nec contingit in omni deflora-

tione

tione dolor, qui eſſet neceſſarius ſi illa adeſſet: & etiam dum menſtrua ſuperueniunt. Augenius probat: nam ſi hymen eſſet neceſſario in virgine ſemper vel tanquam pars componens eſſentialiter, quod eſt falſum cum non ſit materia, nec forma, vel tanquam modus unionis, & ſic non poſſet virgo ſine illa eſſe, cuius contrarium apparet in anatome; nec tanquam pars organica adintegrans, & hoc non, alias quæ illa carent, non eſſent debitè conformatæ nec eſſet ſine aliquo uſu producta naturaliter à natura, & hic non apparet qualis ſit: Ergo hymen non eſt accidens proprium virginitati quarto modo, nec de illius eſſentia.

§. VI.

Quantum fidendum depoſitionibus obſtetricum pro Virginitate atteſtanda?

RESolvendum quinto: Quòd ex depoſitionibus obſtetricum Virginitas non demonſtratur evidenter.

Probatur ex Pac. *de probation. lib. 2. c. 2. num.* 32. & ſequentibus, quod comprobat, quod obſtetricum oculus, & manus ſæpè falluntur, *ex cap. cauſam matrimonii de probationibus*, ex quo permittitur illarum ſecunda inſpectio, quæ non eſſet neceſſaria, ſi prima eſſet evidens, immò reddit illius rationem, quia ſæpè obſtetricum manus & oculus falluntur: idem comprobat text. *in cap. Nec aliqua 27. q. 1. §. Sæpè falluntur oculus, & manus obſtetricum*, & tenet Abbas, *in cap. ult. de frigid. & maleficiat.* Ubi poſt alias inſpectiones jubet imponere ſeptimam manum, tanta eſt diffidentia in depoſitione obſtetricum, & Abbas Panormitanus inquit eſſe neceſſarium juramentum propinquorum, quia Virginitatis probatio argumentum eſt falſum. Tùm quia ut tenet illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus Aſturicenſis, Juriſprudentiæ illuſtris Inſtaurator, & Coryphæus Dominus Nicolaus Fermoſinus ad *caput. 4. Propoſuiſti de probat. quæſt. 1.* teſtimonium obſtetricum ſæpè fallibile eſt, & ſequenti *quæſtion.* 2. paucas relinquit, quibus fidendum ſit: inquit enim: eſt ergò dicendum, quòd Matronæ debent eſſe artis peritæ, honeſtæ ac bonæ famæ, non leves, aut viles, ne modico pretio ſubornatæ falſo deponant, *ex cap. penult. de probat. §. honeſtas matronas providas ac prudentes deputare curatis*: idem *patet ex cap. fraternitatis de frigid. & ex cap. final. eod. tit.* Tùm quia licet tales experiantur, quales Sacri Canones exigunt, repugnat inveniri aliquod evidens ſignum per quod poſſint evidenter atteſtare Virginitatem adeſſe, vel abeſſe alicui mulieri. Ex quo apparet, quòd ſemper poſſunt per prædicta ſigna falli, qualiter ſupra diximus contigiſſe quinque obſtetricibus cum jurejurando atteſtantibus fœminam eſſe Virginem, de qua conſtitit; quod filium pepererat abhinc ſeptem menſibus. Tùm quia licet antiquioribus obſtetricibus fides eſſet tribuenda, non noſtris: iſtæ enim ſolum ſciunt fœtum ab utero recipere, umbilicum abſcindere, & faſcijs puerum involuere, quia ſic viderunt, & ut in plurimum ſunt rudes, ex plebe abjecta ruſticæ: antiquiores verò medicæ fuerunt, & ſcientificæ, quæ non ſolum inſiſtebant in obſtetricatu; ſed omnes mulierum curabant morbos, Philoſophiam, & medicinam diſcebant, & libros intelligendi, & componendi compotes evaſerunt ut apud Augenium

Digitized by Google

genium & Tiraquellum patet, qui inter has referunt Hyggiam, & Panaceam Æſculapij filias, de quibus Hippocrates, *in jurejurando*, Ocyroëm Chytonis filiam, de qua Ovidius, *lib.2. Metamorph.* Aſpaliam Platonis Magiſtram, Phaneroſeon Socratis Matrem, de qua Laërtius in *vita* Socratis Dianam Deam, de qua Apuleius, Celſus, Iſidem Ægyptiorum Reginam Medicam fuiſſe conſtat, de qua Ovidius *in Metamorph.* Circen, de qua Siculus *lib.5.* Polidanam, de qua Homerus 4. *Iliad.* Minervam de qua Plinius *lib.24.* & aliæ fuerunt plurimæ Scientificæ Medicæ, quarum meminêre Galenus, Scribonius; Largus, Paulus Ægineta, Aëtius, Priſcianus, &apud Vlpianum fit earum mentio, quæ conſervatur in jure Civili.

§. VII.

Qualis cognitio Virginitatis in mulieribus poſſit haberi?

RESolvendum: Quod tantum probabilis cognitio Virginitatis ſuſpectæ in mulieribus haberi poteſt. Hæc doctrina patet ex dictis & ut tenet Augenius: quia artes ferè omnes ſemper id contemplantur, quod majori ex parte accidit, & cum majori ex parte ſigna adducta ſoleant accidere virginibus, licet non accidant inevitabiliter, conducunt ad atteſtationem probabilem, nunquam tamẽ ad evidentem: quia ut inquit Cujacius, *lib.17. obſerv. c.20.* eſt difficile ac pene impoſſibile virginitatem explorare adeo obſtetricibus non fuiſſe hujuſmodi rei arbitrium datum. Sebizius inquit: credimus nec nulla prorſus, nec tamen etiam neceſſaria, certa, indubitata, infallibilia, propria ac inſeparabilia virginitatis eſſe indicia appellata, ſed probabilia, ut tenent Augenius & Capivacius.

De hymene, ſi in qua reperiatur, an ſit manifeſtum ſignum virginitatis nondum conſtat. Sebizius deviat à Laurentio, Valleſio, Fernelio, Columbo, Paræo, Vaſeo, Augenio, & Capivacio, qui ſi quando reperiatur, affirmant, quod ſit vitium naturæ, adhæretque Veſalio, Fallopio, Platerio Andernaco, Viverio, Cocterio, Varolio, Berengario, Carpenſi, Aquæpendenti, & Scaligero, qui licet non omni virgini afferant hymen accidere, in pleriſque tamen reperiri, & quid naturale eſſe in illis. Sed licet hoc admittatur, non poteſt eſſe evidens virginitatis ſignum, cum poſſit ab internis, aut externis dilacerari cauſis, ut patet ex ſuprapoſitis, & poteſt fœmina utero gerere ſine illius dilaceratione, ſi ſemen ipſo manente per eius orificiũ ab utero trahatur; cujus rei obſervationem adduximus & docet Avicenna, *Fen.21. lib.3. tract.4. cap.1. §. Et quandoque accidit, ut clauſa retineat conceptum, & fiat pregnans, & hoc quidem non eſt poſſibile, niſi aliquo horum modorũ, ut ſi ſit illud, quod opponitur ori matricis, de clauſura rara contextura, aut ſit habens foramina pluria, ita ut poſſibile ſit matricem attrahere de ſpermate aliquid, licet enim parum ſit, tamen ex illo parvo fit conceptio,* idem colligitur ex Ariſtot. *lib.2. de gener. animal. c.4.* Galenus *lib.1. de ſemine c.4.* idem tenet & Mercurialis *libr. 4. de morb. mulier. c.14.* Peramatus *in append. lib.1. de concept.* Aquapendens *1. p. Chirug. c.81.* Hildanus *cent. 3. obſerv. 60.* adducit caſum fœminæ, quæ prægnans erat, & hymen habebat, quod nondum fuerat dilacerum.

RESOLVTIO X.

An errent Vroſcopi qui ex lotio omnes morbos, & prægnantiam, ac interiora profitentur cognoſcere?

§. I.

Uroſcoporum opinio apud vulgares recepta recenſetur.

LOtii inſpectiones tanquam ſigna diſpoſitionum, & alterationum jecoris, & humorum qui generantur in illo, invaluerunt à primis Medicinæ incunabulis; tanquam ſignum enim recipitur lotiũ partium à quibus decidit, & humorum, à quibus ſeparatur. Ideò Hippocrates *in lib. Epidem* hoc ſigno quam maximè utitur, & Medici, qui ſubſequuntur poſt illum; Sed Uroſcopi, vulgareſque medici, immò impoſtores vulgarium, adeò abutuntur hoc ſigno, ut ex illo confabulentur cognoſcere omnes morbos mulierum, prægnantiã, fœtus diverſitatem, ſexum, ac hominum cogitationes (ſed has jam ſibi manifeſtatas ac relatas,) & ſine hoc ſigno credidère vulgares, quod nullus medicus aptus eſt morbos quoſcunque cognoſcere, ac curare: quibus, ut placeant medici nebulones, & artis ignari, in hoc ſigno maximè inſiſtunt; divinare, quæcunque ſcire optant mulierculæ ex lotio ſimulant, & quaſi ex oraculo ex lotii inſpectione reſpondent; quem abuſum conati ſunt refellere Primoroſius, Sennertus, Heuomus, & alii; præcipuè Fuſchius medicos urinæ inſpectores, ſeu Uroſcopos vocat aſinos, & impoſtores, judicatque indignos, ut boni viri tixentur cum illis, quia pluris quæſitum urinarum, quam varietatem faciunt, ut Primoroſius tenet.

Pro vulgaribus igitur ſtat primò (ad probandum, quòd lotium conferat pro omnibus morbis cognoſcendis) antiquiſſimu illius uſus ordinatus in hunc finem. Ariſtophanes vetuſtiſſimus, Poëta ſua utens aſſueta ſcurrilitate opponit Medicis notam, quod pro ſigno lotio utantur (ut *ſupra* diximus) Hippocrates, nullam fere hiſtoriam refert in Epidemiis, in qua lotii differentias non referat; Ariſtoteles non parva de lotio adducit, Galenus, *libr. 4. de tuenda valetudine cap. 4 lib. 1. de criſibus c. 7.* lotium præſtantius ſignum affirmat eſſe quam pulſus. Tùm ſecundò, per lotium cognoſcimus diſpoſitiones præternaturam humorum, ſi illas patiuntur intra venas, à quibus lotium deſcendit, ſin minus cognoſcimus, ab humorum alteratione morbos non pendere: Ex quo infertur, quod omnes morbi per illud cognoſcuntur: præcipuè hepatis paſſiones, humorum qualitates, ac alterationes. Tùm tertiò, quia Theophilus docet, quod lotium eſt ſignum non fallax: ex quo apparet illius uſum maximè cunctis neceſſarium pro omnibus morbis cognoſcendis: inquit enim: *lib. de urinis. Nam urinarum aperta inſpectio manifeſta facta non apparentes, & patientes locos cognoſcit & quomodo diſpoſiti ſint, & ſecundum unamquamq; temperaturã, unumquodque eorum ſe habeat, aut ſecundum naturam diſpoſiti ſint, aut præter naturam conſtituti ſint aut diſpoſiti extra naturam; ejus enim quæ ſanguinem operatur, virtutis, quomodolibet ſecundum opus propriũ impeditæ nuntius non fallax urinarum diligens inſpectio nota eſt.*

Probatur ſecundò, quod ex lotio prægnantia cognoſcatur evidenter ab iis Uroſcopis,

ſcopis, ſeu uromantiis, quia ſic videntur fateri præclari authores, inter quos annumerantur ex noſtris Mercatus, *libr. de aſſect. mulier cap.*6. & Fontecha, *Privilegio* 1. *prægnant.* qui hoc ſigno nunquam ſe fuiſſe deceptum, nugatur, Savanarola, *in rubrica* 21. *de ægrit. membr. tract. de urinis.* Guaynerius, *de ægrit. matric.* Gordonius, *c.* 15. *de ægrit. prægnant.* Fernelius, 6. *Patholog. cap.* 17. Falcon. *de affect. mulier. c.* 18. Tum manifeſte idem docet Avicenna, *lib.* 1. *Fen.* 2. *ſumm.* 2. *doctr.* 3. *& lib.* 3. *Fen.* 21. *tract.* 2. *c.* 11. in quibus varia proponit ſigna in lotio ad cognoſcendam prægnantiam. Rhaſis *in* 31. *Continentis tract.* 1. qui omnes ex Rhaſi, & Avicenna varias aſſignāt lotii differentias, ex quibus cognoſcatur prægnantia, & plerique contendunt, quod ſimul cognoſcatur fœtus differentia.

Probatur tertiò, ſi lotium tenue fiat, & decolor ſine coctione prænuntiat in febribus delirium: Ergò per illud poſſunt cognoſci læſæ actiones intellectus, & cognoſcitivarum internarum facultatum.

Probatur quartò: Hippocrates omnes morborum eventus docet per lotium cognoſcere, ergò eſt ſignum univerſaliſſimum, quo Medicus debet uti pro morbis, & eorum eventibus cognoſcendis. Probatur antecedens, ex rubro enim lotio *lib.* 2. *Prognoſt. & in Epid. in hiſtoria uxoris Epicratis* longiorem, & tutiorem morbum prænunciat, ſi incendium rubri lotii ſit majus, prænuntiat mortem, ut contigiſſe refert Hermocrati & Polyſanto *lib.* 2. *Prognoſt.* 32. *&* 4. *Aphoriſm.* 74. lotium album & perſpicuum malum judicat eſſe præcipue in delirantibus, & in Epidemiis apparet in Pario, in Taſſo, & in peride, in Abderis. Damnat etiam nigrum lotium 2. *Prognoſt.* 22. cum quo deceſſit Philiſcus: Silenus, & Eraſinus Erophon, adoleſcentulus, qui habitabat in foro mendacium, mulier decumbens in Taſſo, Phythion, & mulier in Cyclco, Herophilus in Abderis: lethale etiam judicat lotium cinericium cum quo obiit Theodori uxor & Menon, damnat lotium, 2. *Prognoſt.* 35. telis araneorum ſimile, oleoſum, ex quo mox delirium, poſtea mors ſubſequuta in Dromeadæ uxore, in Pario, in Phytione, in adoleſcente in Melibea: ex lotio craſſo prænuntiat dolorem capitis *l.* 4. *Aph.* 70. quod etiam prænunciat concluſiones, vel interitum, ut apparet in Evalcidæ famula in Phileno Epicratis uxore: lotium album multum & craſſum prænunciat abſceſſus 4. *Aphor.* 74. ad articulos, ut apparuit in Archigenis familiari, lotium aquoſum, & nimis tenue lethale eſſe inquit 2. *Prognoſticor.* 32. firmat eventus in Philino Epicratis uxore, in eo, qui decumbebat in Dealcis horto Philiſte in filia Eurianactis adoleſcente apud Partimedem, Erophito, Nicodemo, paucum lotium judicatur malum, cum quo obiit virgo in Laryſſa Appolonius in Abderis, adoleſcens in Melibea, & tenet 2. *Prognoſt. lib.* 1. *Prorit. & in Coacis.* Plura etiam prædixit ex contentis in lotio, ſi ſubſiſtentia eſt denſa lethalis, ut apparet in Polipanto, 7. *Epidem.* Si innatantia non ſubſidet, malum, apparuit in Philiſco, & Hermocrate, & muliere propè ædes Pylade, & tenet Hippocrates, *libr.* 1. *Prorit.* damnatur innatantia divulſa, ut apparuit in Philiſco, vel Clazomeno: laminoſum damnat contentum, 2. *Prognoſt.* 18. & farinaceum, 7. *Aphor.* 32. Sedimentum album leve, & æquale ſalutem prænunciare tenet. 2. *Progn.* 29. aliiſque in locis

 ex lotio

ex lotio plura profert ad diagnoſim, & prognoſim conducentia: Ergò eſt ſignum omnibus morbis, & eorum eventibus commune.

Probatur quintò ex Theophilo dicente: *Nam urinarum aperta inſpectio manifeſta facta non apparentes, & patientes locos cognoſcere, & quomodo diſpoſiti ſint, ſecundum unamquamque temperaturam, unumquodque eorum ſe habet, aut ſecundum naturam diſpoſiti ſint, aut præter naturam conſtituti ſint, aut diſpoſiti extra naturam, ejus enim, quæ ſanguinem operatur, virtutis, quomodolibet ſecundum opus proprium impedita nuntius non fallax urinarum diligens inſpectio nata eſt eſſe.* Ergò ex Theophilo omnes morbi ex lotio cognoſcuntur.

§. II.

Uroſcoporum inſcitia pateſit, & fallacia.

RESolvendum: Quod eſt repellenda vulgaris fallacia uroſcoporum, qui ſe oſtentant aſſerentes, nullum in homine reperiri affectum, aut diſpoſitionem, quæ ab ipſis non cognoſcatur ex lotio.

Probatur: Tum quia licet omnia ſint cognoſcibilia ex lotio ipſi non poſſent cognoſcere, quia hæc promittentes vel ſunt Agyrtæ, & impoſtores nullis medicinæ fundamentis inſtructi; vel Medici ignorantes, & parabolani, qui tentant vulgares fallere mulieres vanas & credulitati aptas ſeducere; vel ſunt medici perſonam agentes qui abſque artis præceptis ſeduli medicorum imitantur actiones, & ultra promittunt, quæ nequeunt adimpleri, & ideò à veris medicis non permittuntur; Ergò ii omnes inepti ſunt ad cognoſcendum ea quæ promittunt, illa licet eſſent apta cognoſci ex lotii inſpectione. Tùm quia Gordonius lotii maximus inſpectator tenet, quod non ſufficit ad cognitionem morborum per illud vaga ejus cognitio, qualis ab indoctis haberi poteſt. Tùm quia per vias per quas deſcendit varias ſumit differentias impedientes prognoſim diſpoſitionum partium, & humorum, à quibus ſeparatur; ideò Avicenna dicit: *Cave, decipiant te vitia renum & veſicæ.* Tùm quia ſæpè in febribus intermittentibus per plures dies non variat à naturali ſtatu nec in modo ſubſtantiæ, nec in ſedimento. Tùm quia ſuccus crudus in plerisque fallax ſedimenti præſtat indicium, & in ſumma cruditate apparet lotium coctum. Tùm in febribus Caſtrenſibus malignis, & peſtilentibus lotium apparet naturale, & æger perit: & ideò Gordonius inquit quòd ſi lotium in gravi morbo ſit ſanorum urinæ ſimile maximum eſt periculum. Tùm idem lotium tenue apparet in ſanis ob obſtructiones, aut ventriculi cruditates, & in morbis acutis prope ſummum periculum ex Hippocrate 4. *Aphoriſm.* 70. Tùm in hydrope, & aliis morbis ſubitò ſupervenientibus ægri pereunt cum lotio à naturali non diſcedente. Tùm plures morbi nequeunt ex lotio manifeſtari, ut paralyſis, podagra, arhritis, & alii plurimi ad cutem prorumpentes nec Gallicus morbus. Tum lotium unum ut rubrum præſtat ardoris indicium in aliis & prædominium ſanguinis; in aliis fit à morbis frigidis, inquit enim Avicenna: rubri enim ſunt ſantali, & frigidi, & ſine febre, aut cauſa frigida, fit rubrum vitio renum; ſæpè ſine iis cauſis ob dolorem plerumque ex obſtructionibus, à quibus alias fit aqueum. Tum quia ut tenet Hippocrates

erates *in Progn.* cum ſignis ſalutaribus ſæpè ægri pereunt, & Avicenna cum lotio bono æger tendit ad mortem, & idem *via ſignificationis diſpoſitionum urinæ non oportet credere, niſi poſtquam certæ quædam conditiones obſervatæ fuerint.* Tum quia Galenus, *lib. 1. de Criſibus cap. 7.* Capitis affectiones, uteri, pectoris & reliquarum partium docet cognoſcere per illarum excrementa, & *lib. de locis affect.* renum, & jecoris affectiones per lotium, quod demonſtrat non eſſe omnium affectionum ſignum, & Gabriel de Taregua, *Signum* inquit, *ſumptum ab urina eſt fallax, & ideò Doctores ab ipſa ſola haudquaquam temerarie indicant: nam circa illam multi errores contingunt, eo quod facilè ex quantitate, aut qualitate cibi, vel rei alterius tingentis ipſius judicium permutetur:* deducit ex Rhaſi dicente: *Ne quis judicio urinarum adhæreat, niſi prius reliqua magis neceſſaria apud ægrotum obſervet.* Arculanus, ut deducit Primoroſius, inquit: *Non credo per urinam ſolam poſſe comprehendi convenientiam magnam cum phlegmatica in urina, & maximè in principio, cujus opinionis quã maximè fuit Gilbertus Anglicus, 1. Pract. cap. de quartana, reprehendens quoſdã inſcios loquaces qui ſe profitebantur cognoſcere omnes ægritudines per urinam, ſicut multi medici Lombardi hoc tempore hominum illuſores, qui ut ajunt omnes ægritudines cognoſcunt per urinam etiam putridam, qui tamen cum ſunt præſentes, & omnia ſigna conſiderant, pauca cognoſcunt: nam ut inquit Magiſter Richardus omnium Doctorum doctiſſimus, & expertiſſimus aſpiciens garrulos, & in judiciis urinarum glorioſos, in multiloquio facundos, in ratione exiles, & mutos, eos ſic reprehendit. Quidam garruli, & arrogantes ultra metam debitam excedunt, variamque doctrinam cum regulis propria autoritate inveniunt.* Tum non omnes morbi ſunt in viis, à quibus diſcedit lotium, cum plures ſint in ambitu corporis, & ſunt plures morbi pendentes ab eodem humore, quem licet lotium præmonſtret non conſtabit de ſpecie morbi, quæ poteſt ab eo humore cauſari. Tum quia varia eſt urina in eodem homine in diverſis ætatibus, in diverſis anni temporibus, in diverſis horis diei, in diverſis morbis, in eodem morbo, in diverſis illius temporibus, in eodem tempore morbi, juxta diverſas temperies ægrotantium, & juxta diverſum morbi morem, quæ adhuc fallunt peritiſſimos, & in arte verſatos: fruſtra ergò judicium circulatores poſſunt proferre. Tum mutant lotium: nec ſolum potus & cibus, ſed exercitium aëris mutata temperies, animi paſſiones, & plura, quæ nequit medicus comprehendere. Ex quo patet quod nequit ex ipſo certum præſtare judicium.

§. III.

Prægnantiæ ſignum certum nequit eſſe lotium.

Reſolvendum ſecundò; quod nullum eſt lotium, quod manifeſtè demonſtret prægnantiam, & quicunque jactantur ex illo illã cognoſcere, ſunt uromantici impoſtores. Sic tenent contra Avicennam, & Rhaſim præclariſſimi Claſſicorum, quos noviſſimè recenſuit Francus à Reyes *q. 49.* inter quos recenſet Valleſium *libr. 3. Controv. cap. ult.* Foreſtum *lib. 2. de incremento urinarum cap. 3.* Lemoſium, *lib. 2. de prædicend. rat. cap. 5.* Botalum, *libr. de Medici. & ægri munere,* Luperium, *in animadverſionibus.* Sennertum, *lib. 4. Praxis, p. 2.*

ex lotio plura profert ad diagnoſim, & prognoſim conducentia: Ergò eſt ſignum omnibus morbis, & eorum eventibus commune.

Probatur quintò ex Theophilo dicente: *Nam urinarum aperta inſpectio manifeſta facta non apparentes, & patientes locos cognoſcere, & quomodo diſpoſiti ſint, ſecundum unamquamque temperaturam, unumquodque eorum ſe habet, aut ſecundum naturam diſpoſiti ſint. aut præter naturam conſtituti ſint, aut diſpoſiti extra naturam, ejus enim, quæ ſanguinem operatur, virtutis, quomodolibet ſecundum opus proprium impedita nuntius non fallax urinarum diligens inſpectio nata eſt eſſe.* Ergò ex Theophilo omnes morbi ex lotio cognoſcuntur.

§. II.

Uroſcoporum inſcitia patefit, & fallacia.

RESolvendum: Quod eſt repellenda vulgaris fallacia uroſcoporum, qui ſe oſtentant aſſerentes, nullum in homine reperiri affectum, aut diſpoſitionem, quæ ab ipſis non cognoſcatur ex lotio.

Probatur: Tum quia licet omnia ſint cognoſcibilia ex lotio ipſi non poſſent cognoſcere, quia hæc promittentes vel ſunt Agyrtæ, & impoſtores nullis medicinæ fundamentis inſtructi; vel Medici ignorantes, & parabolani, qui tentant vulgares fallere mulieres vanas & credulitati aptas ſeducere; vel ſunt medici perſonam agentes qui abſque artis præceptis ſeduli medicorum imitantur actiones, & ultra promittunt, quæ nequeunt adimpleri, & ideò à veris medicis non permittuntur: Ergò ii omnes inepti ſunt ad cognoſcendum ea quæ promittunt, illa licet eſſent apta cognoſci ex lotii inſpectione. Tùm quia Gordonius lotii maximus inſpectator tenet, quod non ſufficit ad cognitionem morborum per illud vaga ejus cognitio, qualis ab indoctis haberi poteſt. Tùm quia per vias per quas deſcendit varias ſumit differentias impedientes prognoſim diſpoſitionum partium, & humorum, à quibus ſeparatur; ideò Avicenna dicit: *Cave, decipiant te vitia renum & veſicæ.* Tùm quia ſæpè in febribus intermittentibus per plures dies non variat à naturali ſtatu nec in modo ſubſtantiæ, nec in ſedimento. Tùm quia ſuccus crudus in pleriſque fallax ſedimenti præſtat indicium, & in ſumma cruditate apparet lotium coctum. Tùm in febribus Caſtrenſibus malignis, & peſtilentibus lotium apparet naturale, & æger perit: & ideò Gordonius inquit quòd ſi lotium in gravi morbo ſit ſanorum urinæ ſimile maximum eſt periculum. Tùm idem lotium tenue apparet in ſanis ob obſtructiones, aut ventriculi cruditates, & in morbis acutis prope ſummum periculum ex Hippocrate 4. *Aphoriſm.* 70. Tùm in hydrope, & aliis morbis ſubitò ſupervenientibus ægri pereunt cum lotio à naturali non diſcedente. Tùm plures morbi nequeunt ex lotio manifeſtari, ut paralyſis, podagra, arthritis, & alii plurimi ad cutem prorumpentes; nec Gallicus morbus. Tum lotium unum ut rubrum præſtat ardoris indicium in aliis & prædominium ſanguinis; in aliis fit à morbis frigidis, inquit enim Avicenna: rubri enim ſunt ſantali, & frigidi, & ſine febre. aut cauſa frigida, fit rubrum vitio renum; ſæpè ſine iis cauſis ob dolorem plerumque ex obſtructionibus, à quibus alias fit aqueum. Tum quia ut tenet Hippo-

etates *in Progn.* cum ſignis ſalutaribus ſæpe ægri pereunt, & Avicenna cum lotio bono æger tendit ad mortem, & idem *via ſignificationis diſpoſitionum urinæ non oportet credere, niſi poſtquam certæ quædam conditiones obſervatæ fuerint.* Tum quia Galenus, *lib.* 1. *de Criſibus cap.* 7. Capitis affectiones, uteri, pectoris & reliquarum partium docet cognoſcere per illarum excrementa, & *lib. de locis affect.* renum, & jecoris affectiones per lotium, quod demonſtrat non eſſe omnium affectionum ſignum, & Gabriel de Taregua, *Signum inquit, ſumptum ab urina eſt fallax, & ideò Doctores ab ipſa ſola haudquaquam temerarie indicant: nam circa illam multi errores contingunt, eo quod facilè ex quantitate, aut qualitate cibi, vel rei alterius tingentis ipſius judicium permutetur*: deducit ex Rhaſi dicente: *Ne quis judicio urinarum adhæreat, niſi prius reliqua magis neceſſaria apud ægrotum obſerves.* Arculanus, ut deducit Primoroſius, inquit: *Non credo per urinam ſolam poſſe comprehendi convenientiam magnam cum phlegmatica in urina, & maximè in principio; cujus opinionis quã maximè fuit Gilbertus Anglicus*, 1. *Pract. cap. de quartana, reprehendens quoſdã inſcios loquaces qui ſe profitebantur cognoſcere omnes ægritudines per urinam, ſicut multi medici Lombardi hoc tempore hominum illuſores, qui ut ajunt omnes ægritudines cognoſcunt per urinam etiam putridam, qui tamen cum ſunt præſentes, & omnia ſigna conſiderant, pauca cognoſcunt: nam ut inquit Magiſter Richardus omnium Doctorum doctiſſimus, & experti ſſimus aſpiciens garrulos, & in judiciis urinarum glorioſos, in multiloquio facundos, in ratione exiles, & mutos, eos ſic reprehendit. Quidam garruli, & arrogantes ultra metam debitam excedunt, variamque doctrinam cum regulis propria autoritate inveniunt.* Tum non omnes morbi ſunt in viis, à quibus diſcedit lotium, cum plures ſint in ambitu corporis, & ſunt plures morbi pendentes ab eodem humore, quem licet lotium præmonſtret non conſtabit de ſpecie morbi, quæ poteſt ab eo humore cauſari. Tum quia varia eſt urina in eodem homine in diverſis ætatibus, in diverſis anni temporibus, in diverſis horis diei, in diverſis morbis, in eodem morbo, in diverſis illius temporibus, in eodem tempore morbi, juxta diverſas temperies ægrotantium, & juxta diverſum morbi morem, quæ adhuc fallunt peritiſſimos, & in arte verſatos: fruſtra ergò judicium circulatores poſſunt proferre. Tum mutant lotium: nec ſolum potus & cibus, ſed exercitium aëris mutata temperies, animi paſſiones, & plura, quæ nequit medicus comprehendere. Ex quo patet quod nequit ex ipſo certum præſtare judicium.

§. III.

Prægnantiæ ſignum certum nequit eſſe lotium.

RESolvendum ſecundò, quod nullum eſt lotium, quod manifeſtè demonſtret prægnantiam, & quicunque jactantur ex illo illã cognoſcere, ſunt uromantici impoſtores. Sic tenent contra Avicennam, & Rhaſim præclariſſimi Claſſicorum, quos noviſſimè recenſuit Francus à Reyes *q.* 49. inter quos recenſet Valleſium *libr.* 3. *Controv. cap. ult.* Foreſtum *lib.* 2. *de incremento urinarum cap.* 3. Lemoſium, *lib.* 2. *de prædicend. rat. cap.* 5. Botalum, *libr. de Medici, & ægri munere*, Luperium, *in animadverſionibus.* Sennertum, *lib.* 4. *Praxis, p.* 2.

ſect. 5. *cap.* 1. *libr. de Chymicor. conſenſ. cap.* 17. *lib.* 3. *inſtit. ſect.* 3. *cap.* 1. Zacheam, *libr.* 1. *quæſt. Medicoleg. tit.* 3. *q.* 2. Joubertum, *lib.* 3. *error. popul. cap.* 3. Salvianum *libr.* 2. *de urinis cap.* 8. Fortunum Fidel. *de relat. Medic. cap.* 4. Thonerum, *lib.* 4. *epiſtol.* 21. Campolongum, *de affect. uteri. capt* 2. *de uteri hydrope*, Gordonium, *tract. de urinis, cap.* 3. Platerum, *Centur. Poſth. quæſt. Medic.* 69. Mercurialis, *libr. de Comate cap.* 10. Minderium, *adverſus Avicennam*. Primoroſium, *lib.* 2. *de vulg. errorib. cap.* 2. Sanctorium, *lib.* 2. *de vitand. errorib. cap.* 28. Lobon, *tract. de puerperarum Theraphia.* Alexandrum Benedictum, *lib.* 25. *cap.* 20. Langium, *tom.* 1. *epiſtol.* 39. Gilbertum Anglium *cap. de quartana.* Zacutum, *lib.* 3. *de Princip. Medic. hiſtoria queſtion.* 28. *lib.* 2, *prax. admir. obſerv.* 139. & 147. Synibaldum, *lib.* 10. *Geneantr. tr.* 3. *c.* 1. Diomedem Cornarium, *in hiſtor de impoſtore.*

Probatur tota doctrina propoſita in hac Reſolutione à Franco ex Leonardo Fuchſio *lib.* 4. *inſtit. Medic. Sect.* 3. *cap.* 1. Sic illam proferente. (Reprehenſionem meretur magna noſtri ſæculi Medicorum pars, qui nullum non morborum genus ex urina cognoſci poſſe cenſent. Niſi enim perverſam hanc, & riſu dignam opinionem induiſſent, non ex urina tanquam olim ex tripode de ſingulis corporis malis reſpondere in animum induxiſſent, valde autem inepti ſunt, qui omnia ex urinæ inſpectione prædicere conantur, ut ſcilicet inſcitiam ſuam, aut verius ſtultitiam, hac ratione planam omnibus faciant: proinde qui pertinaciter hodie etiam ſibi perſuadent, nihil non ex lotii inſpectione cognoſci poſſe, ideò imperitæ multitudini hac ratione ſpe lucri parum certè liberalis imponere in deliciis habent; ii certè digni ſunt, ut novo etiam elogio ornentur & non ut olim ab Ariſtophane, avaros, & indoctos olim medicos dignatus eſt appellare, ſed ſtophagon, & rectiſſimè etiam in hoc torquetur vulgo vitatum convitium.)

Stercus, & urina Medicorum fercula prima.

(Quare eos, qui veritatis amantes ſunt, artemque ſine ignominia exercere volunt, hortamur, ut legitimæ inſpiciendæ urinæ uſum iterum introducere admittantur, nec aliorum more ad ſordidum quæſtum uroſcopiâ utantur, quod faciens, ſi ex illa tanquam ex tripode deinceps vaticinari deſinant, & pro nota dumtaxat unica & non quidem omnium, ſed eorum, quæ in jecore, vaſis renibus, veſica ſunt, malorum corporis utantur. Reliquos impoſtores, & ſtupidos aſinos, qui pluris ſordidum quæſtum, quem quotidie ex lotii inſpectione, & divinatione cum ſumma ignominia faciunt; quam veritatem ipſam æſtimant, nihil moramur, utpote quos ne Muſæ quidem ipſæ, ut alicubi Galenus dixit, ſanare poſſunt.)

§. IV.

Solvuntur quæ proponuntur in principio.

AD primum reſpondetur tum pro primo. Quod antiquiſſimus fuit uſus inſpiciendi excrementa partium, ex quibus alterationes humorum in illis pateſiant, & lotium ut jecoris, & viarum lotii, & humorum, à quibus ſeparatur, cognoſcantur diſpoſitiones, ſed uroſcoporum fallacia ſuperaddit ſuadere vulgaribus, quod ex lotio cognoſcant omnes morbos, omnem diſpoſitionem partium, & omnia quæcunq; videtur ex illis exoptari ab illis, Tum

Tum pro ſecundo; quòd docti Medici has duas diſpoſitiones quæ ex lotio poſſunt cognoſci, prænuntiant, indocti, & nebulones ſimulant cognoſcere plura alia, quæ nequeunt ex lotio cognoſci. Tum pro tertio; quòd Herophilus, Hippocrates Actuarius, Galenus, & omnes claſſici authores utuntur lotio tanquam ſigno, eorum, quæ ex ipſo poſſunt percipi, ut diximus, & illud, ſicut & reliqua in hunc finem commendant, non tamen promittunt, ut uroſcopici pro omnibus & quibuslibet cognoſcendis eſſe ſignum.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd aliqui ex Avicenna ſeducti contendunt lotium eſſe ſignum ex quo poteſt cognoſci prægnantia. Sed præclariores Medici non invenerunt rationem, & experientia comprobarunt contrarium, & ideò contra illos, & uroſcopos comprobant fallaciam hujus ſigni.

Ad tertium reſpondetur: quòd aliqua conjectura poteſt delirium ex tenuitate lotij, cognoſci non tamen inde infertur, quòd fallaciæ impoſtorum, & promiſſa poſſint adimpleri ex lotij inſpectione.

Ad quartum; reſpondetur quod Hippocrates plura prædixit, & cognovit ex illis, quæ poſſunt prædici ex lotio in morbis pendentibus ex humorum alteratione à quibus lotium ſeparatur; ſed in reliquis quæ ex illis non dependent, nec ex lotio poteſt haberi indicium aut conjectura, nihil fruſtrà prædixit, nec veridicus author; qui à Deo fuit deſtinatus tanquam Medicinæ Dogmaticæ inſtaurator poſſet eſſe author fallaciæ, per quam uroſcopi merdivori fiūt, quæſtus causâ & cū infames ſint Medicinæ ignari, vulgarium deceptores, mulierum impoſtores, infamiæ ob lucrum ſimulatores, qui ob quæſtum ſordidum ſordida media quærunt: eſt enim inhoneſtum, & ſordidum in putridis verſari ſolius quæſtus gratia, & homines fallendo; non autem circa eadem verſari ob hominum animas, aut Reipublicæ, ac hominum ſalutem conſervandam: ideò non indecoroſum eſt Theologis de pluribus pertractare obſcænis, nec Magiſtratibus agere de pluribus ſordidis; nec tandem Medicis; quia non propriæ utilitatis cauſa, & fallendo de illis agunt: ſed ob honeſtum finem, conſervandi ſalutem animarum Reipublicæ, & hominum, deperditi enim ij homines ijs fallaciis & adulatores facti Medicorum Doctiſſimorum apud vulgares confundunt ſua fraude opera, & opinionem. Quia ut inquit Galenus, *libr* 12. *meth. cap.* 1. *Qui cubantis delitiis ſubſcribit, & ejus voluptatem non ſanitatem pro meta gerendorum habet adulatoris officium facit*, & ut notavit Botalus, & cum illo Francus. *Non rarò accidit, ut cum officioſiſſimi ſe eſſe oſtentant, & maximè ſint noxii.*

RESOLVTIO XI.

An errent, qui ex ſignis ſalubribus omnes morbos judicant eſſe ſalubres.

§. I.

Ex ſalubribus ſignis ſemper apparere ſecuritatem ſuadetur.

Vulgares ſi ſigna appareant ſalubria, vel morbum parvum denotantia aſſeveranter affirmant poſſe ſecuritatem prædici: quod videtur conteſtari. Tùm primò ex Hippocrate, qui *lib.* 1. *Epidem.* ſenes coctiones ſignificare celeritatem judicii,

judicii, & morbi ſecuritatem. Tum ſecundò, Quia Hippocrates & Galenus docuerunt artem prædicendi in medicina de eventibus morborum, quæ ſalubres demonſtrat per ſigna ſalubria. Tum tertiò: Galenus *libr. de conſtitutione artis medicæ cap.* 20. demonſtrat conducere ad curationem morborum, dignoſcere eorum eventus per ſigna demonſtrantia eſſe ſalubres vel lethales. Tum quarto quia docet Galenus *libr.* 3. *de ſanit. tuend. cap.* 13. *libr. art. medicin.cap.* 83. Si Medicus neſcit cognoſcere morbos, & eorum eventus, neſcit curare rectè illos, cujus ratio eſt, quia remedia debent illis proportionari, & ex Hippocrate *extremis morbis extrema & exquiſita remedia ſunt adhibenda.* Tum quintò quia prædicere eventus morborum, pertinet ad artem prædicendi ſub medicina: Artes verò ſunt quæ rarò deviant à fine, & ideò Galenus tenet, quod expertus Medicus rarò fallitur in prædicendis eventibus morborum.

§. II.

Fallacia prædicendi ſalubres eventus morborum aperitur.

RESolvendum. Quod errant vulgares qui in prædicendis ſalubribus eventibus ex ſignis ſalubritatem promittentibus omnem ſecuritatem promittunt.

Probatur ex Hippocrate, qui *libr.* 2. *Aphoriſm.* 1. protulit: *Acutorum morborum non omninò ſunt certa prænuntiationes ſalutis aut mortis.* Et Celſus, *lib.* 2. *cap.* 6, inquit: *neque tamen ignorare oportet in acutis morbis fallaces magis notas eſſe ſalutis, & mortis.* Plinius, *lib.* 7. *cap.* 51. tenet, innumerabilia eſſe mortis ſigna, ſecuritatis, & ſalutis nullum, & Galenus *in Commentario*, & *lib. de conſtit. art. medic.* reddit rationem, ob quam fallitur Medicus in prædicenda ſalute adhuc cum ſignis ſalubribus: quia poteſt morbifica materia mutari ab ignobili in partem nobilem, vel ob ſubitam humorum mutationem, & inopinatam in Criſibus. Tùm quia ſanitas prædici nequit nec præcognoſci, niſi ut tenet Galenus, *lib.* 1. *Prognoſt.* per exceſſum naturæ ſupra cauſam morbificam, qui exceſſus plerumque eſt parvus, & incognoſcibilis, & ſi ſit ob mutationem aſtrorum, ob non debitè applicata auxilia ob ægri inobedientiam, aut incuriam miniſtrorum, aut novã putredinẽ, aut malignitatem ſupervenientem immutantur ſigna, & æger à ſalubri in lethalem morbum mutatur. Ex quo conſtat, quam inconſtans fuerit primum judicium morbi. Tùm in falſis alleviationibus idem conteſtatur Hippocrates, *libr.* 7. *Epidem. Lehondiæ*, inquit: *filia natura concitata averſa eſt, averſa in iram incidit, cum excanduiſſet reconciliata eſt Medicus non intellexit, puella mortua eſt* De Appollonio in Abderis tenet Hippocrates, quòd melius ſe habuit, & mortuus eſt, Valleſius inquit, *Vix unquam ullus moritur quin aliquando antequam decedat, videatur ſibi è vulgaribus, qui adſint habere melius.* Galenus in hiſtoria Hermocratis inquit. *Quare quando calor naturalis omninò à coquendo abſtinet per imbecillitatem, nec laborant, nec febricitant niſi parum.* Avicenna *Fen.* 4. *tract.* 1. *c.* 4. *Et multoties accidit apud mortem diſpoſitio quæ eſt, ſicut declinatio, & eſt quaſi æger evaſerit.* Jacotius *in Coacis* inquit. *Tum ergò omnia leviora videntur, ut cum ſphaceliſmo dolor & febris remittantur calore naturali ablato, extincto, aut corrupto,* & accidenũ alleviatio in lethalibus morbis

contin-

contingit, vel quia natura ceſſat præ imbecillitate, vel bonorum ſignorum repræſentatio dum illa ultimos apponit conatus, ex quo virtutes apparent potentiores. Tùm quia plura apparent accidentia præter rationem remiſſa, ex quibus ſalutis non eſt ſecura prædictio; quia (ut inquit Hippocrates (*eis quæ præter rationem eveniunt non eſt fidendum.* Reddit Jacotius rationem. *Nã effectus non tollitur niſi ablata cauſa, aut edomita, id autem fit coctione, aut excretione, aut abſceſſu aut medici artificio.* Sine iis igitur ſigna ſalutem prænuntiantia fallacia ſunt; quod apparuit in Adoleſcente, qui laborioſa febre laborabat cũ nigris urinis, à quarto levatus cum apparentibus ſalutis ſignis obiit ſeptima die: & Galenus de Hepatico cui remiſerat febris, dum ſecurus ab aliis judicaretur, ex tenuitate lotii mortem prædixit, quæ in ſeptima ſubſequuta. Unde levantia ſigna non promittunt ſecuritatem circà criſim, neque ſtatim apparentia; nec dum natura ultimos apponit conatus, nec dum timetur, quod præ impotentia deſiſtit ab actionibus, ut in delirantibus qui propè mortem, præ imbecillitate facultatis deſiſtunt à depravatione. Tum apparet in levibus, & parvis vulneribus, ex quibus dum expectatur ſalus ſupervenit lethalis eventus. Tùm ſubſequitur, pleriſque mors; Hippocrates, *lib. de capit. vulneribus.* nullum capitis vulnus utcumque parvum docet contemnendum eſſe, *& lib.* 5. *Epid. à muliercula* inquit, *amica ludente lata manu percuſſa eſt ſecundùm ſynciput, & tunc vertigine tenebricoſa correpta eſt*, ſtatim febris eam tenuit. Ubi apparet, quod virgo pulchra Nerei ex hac levi percuſſione obiit, & ex eodem filius Philis ex levi nudatione in fronte obiit, & ex 7. *Epid.* Filius Theodori ex nudatione circa os nullius momenti vigeſimo tertio obiit, & ſexta obiit die magnæ navis gubernator confracto digito ab anchora, & filius Haypali tertia die mortuus ex luxatione infra magni digiti, & Trinon, filius Damonis ex ulcere levi circa tibiæ malleolum obiit, & qui ſoleas ſuobat veteramentarias, qui ſe pupugerat circa genu tertia die mortuus eſt. Valleriola obſervat ex levi capitis ictu cum virga ægrum obiiſſe. Horatius: quod Ludovicus Vives obiit ex contemptibili vulnere in vola manus. Cæſar: quod ex ſimili vulnere in cubito obiit Marcus Antonius Bononienſis, & Marcum Sobrinacium obiiſſe ex plaga in calcaneo exigua, & Baptiſtam Argentinum ex vulnere minimi digiti, quæ ſicut contingunt non vi morbi, ſed ex mala humorum temperie. Similiter poteſt levis quivis alius apparens morbus lethalis fieri ex eadem cauſa, licet in principio appareant ſigna ſalubria: quia ut docet Galenus, *libr. de cibis boni & mali ſucci.* Clàm & latenter in humoribus ex pravis alimentis factis pravus inducitur ſubſtantiæ modus, ex quo ſubito poſtea vehementia ſubſequuntur lethalia ſigna, & accidentia demonſtrantia ſalutem aut mortem, ſunt præcipua pulſus, & urina, hæc autem ſunt fallacia. Ex quo apparet, non poſſe prædici ſanitatem certò, & evidenter, inquit enim Avicenna: *p.* 4. *tract.* 4. *cap.* 2. Et *quandoq; eſt de febribus peſtilentibus, in qua non percipit æger nec tangens propinquus multum caloris, & non alteratur pulſus magna alteratione, & cum hoc ipſa interficiens velociter, & haſitant Medici in eſſe ejus.* Unde communiter deducitur; quod cum pulſu bono, & urina bona, æger tendit ad mortem ex Avicenna, &

na, & Galeno, *lib. 3. de præſag. ex pulſib. cap 3. & cap. 4.* & idem Galenus, *lib de criſib.* inquit, *debiles enim febres quandoque valde malignæ.* ex quibus deducit Mercatus, in iis febribus pulſum, & urinam fallere peritiſſimos Medicos, & bona ſpes quæ meliorē pollicetur eventum ſubito in inopinatam mortem degenerat. Præterea variæ ſortes venenorum generantur in corpore, à quibus clam exiſtentibus cum bonis ſignis ſubitò ſupervenit mors, ut ex Galeno patet pluribus in locis, & *libr. 2. Prorit. 17.* ponente caſum cujuſdam ex hoc veneno mortui ſine ſignis putredinis, aut mortis, fuit enim per tres dies ſine febre, & in 7. obiit; & *lib. de locis affect.* idem refert contingere ex hyſterica affectione demonſtrat venenoſam elevari auram, ex qua ſine præcedentibus ſignis lethalibus ſupervenit mors ſubitò, & *libr. 3. de locis cap. 7.* refert hiſtoriam adoleſcentis ſubitò in epilepſiam incurrentis ex venenoſa aura à tibia elevata vim venenoſam deferente; & *lib. 3. de præſag. ex pulſibus cap. 4.* docet dari peſtilentes febres hecticas, quæ breviter interficiunt ſine immutatione ſenſibili in urina aut pulſu. Solet etiam venenum in corpore diu latere ſine manifeſtis ſignis, *lib. 6. de loc. affect. cap. 5.* de veneno canis rabidi, *ut ab exiguo initio ſputi rabidi canis aucta quadam in corpore diſpoſitio. quando ad magnitudinem notatu dignam pervenerit diſcerni poteſt, idque poſt ſex menſes, cum nonnunquam ante id tempus nulla nota deprehendatur; ſic eodem modo vitioſo humore in animalis corpore genito paulatim tractu temporis partium aliqua conſentit, qua deinde univerſum corpus celerrimè alteratur.* Ex quo apparet, quod adhuc cum ſignis ſalutis minetur clàm exiſtens diſpoſitio morrem ex prava humorum diſpoſitione, humoribus commotis, ſubito ſine ſignis præcedentibus lethalia ſuperveniunt ſymptomata. Et prævidit Hippocrates docens: *Quod multa nocent mota, quæ ſi non moverentur, non nocerent.* Et obſervat Sennertus multa purgatione plerumq; lethalia commoveri accidentia humoribus agitatis, concitarique malignam febrem in eis qui ſani apparebant. Martianus refert in facta ſcabie ſubitò mortem eveniſſe à ſanguinis miſſione humoribus adintus commotis: Sæpè etiam latitans in corpore maligna qualitas poſt longum tempus adaucta movet varia ſymptomata. Sic Mercatus dicit per ſex. octo, & novem menſes contagium Gallicum poſſe latere in corpore, & poſteà vi adaucta varia ſuſcitare ſymptomata. Fallopius docet poſſe poſt perfectam curationem Gallicam luem latere: & ſine novo contagio poſt vigeſimum annum apparere ejus ſymptomata. Fernelius tenet, Gallicum morbum reviviſcere poſt annum trigeſimum, *libr. 2. de abditis rerum cauſis*. Saxonia, *lib. de lue venerea*, anno vigeſimo-quinto ab accepta labe tenet in quodam ſuperveniſſe tophos & alia ſymptomata à Gallico morbo. Ex quibus convincitur ſanitatis relucentia ſigna non conteſtari evidenter perfectam hominum ſanitatem. Tùm de urina ex *ſuprà* poſitis conſtat fallax eſſe ſignum ſalutis. Et 1. *Epid. comm. 2.* patet exemplo ancillæ Pictoris, & Craſionactæ.

§. III.

Quæ primò proponuntur ſolvuntur rationes.

AD communes rationes dicimus. Tùm pro prima: Quod licet vera coctionis ſigna prænuntient ſalutem ſunt ſucci crudi in lo-

Digitized by Google

in lotio apparentes veram coctionē æmulantes, qui ob ſimilitudinem fallunt, & ipſa coctionis ſigna in lotio in febribus malignis plerumque fallunt Medicos. Tum pro ſecunda; quod Hippocrates & Galenus tradiderunt artem prædicendi; ſed per ſigna quæ ex ſimilibus plerumque ſunt fallacia, vel eventus mutantur à cauſis variis denuò ſupervenientibus poſt præcedentia hæc ſigna. Tum pro tertia; quod conducit ad curationem morbos cognoſcere & eorum eventus; *Sed* ſimilitudo cauſarum & accidentium ſæpe fallit, & Galenus in ſeipſo idem ſibi contigiſſe fatetur nephriticũ pro colico dolore judicans. Tum pro quarta: Quòd neſciens cognoſcere, neſciet rectè curare; ſed in arte conjecturali hoc poteſt evenire, & cognito morbo poteſt mutari eventus à variis cauſis, & fit prædictio incerta. Tum pro quinta: Quod plura concurrunt in artibus aliquibus, ob quæ non conſequantur fines, licet pro arte operentur, ob objectorum, circa quæ verſantur, mutabilitatem. Nauta in ſereno cælo, mari placido, & aëre quieto promittit tranquillitatē, & ſubitò immutatis iis cauſis ſupervenit naufragium. Agricultura ex conſtantibus temporibus debito tempore elaborati agris, natura luxuriante in illis ſubitò turbine, aëris procellis, pluviiſve exuberātibus pereunt fructus, & fruſtratur ſpes. Militia omnibus ad victoriam diſpoſitis ex levi accidenti incertus fit belli eventus. Sic licet Medicinæ ars ex rebus benè diſpoſitis, & ſalubribus ſignis adſtantibus mutato aëre ſupervenięte malignitate, exceſſu ægri, adſtantium incuria, vel occulto humorum latente vitio ſubitò omnia in pejus ruunt & æger perit; Vel quia tandem:

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger.

RESOLVTIO XII.

An errent, qui judicant, Medicis licere aborſum procurare?

§. I.

Vulgaris aſſenſus qualis, & à quibus fovetur?

VUlgaris opinio aſſerens, licere Medicis fœtum perdere, variis modis fulcitur ab aliquibus. Noſtri recentiores, ſi ſit Gallici morbi ſuſpicio, & ſæpè ſine illa, in morbis ſanguinem ex pede mittunt, contemnentes aborſum, ex illa communiter ſubſequutum, quaſi ex quovis matris commodo debeat aſperni fœtus. Antiquiores ob varias cauſas illum procurabant. Hippocrates, *lib. de natura pueri*, in Saltatrice aborſum feciſſe videtur, ad conformationem fœtus dignoſcendam in primis ſeptē diebus, quem contendunt juniores à Calumnia liberare. *Sylvaticus* contendit quod liber de natura pueri eſt Polibii, & non Hippocratis. Moxius ex Galeno, & Macrobio comprobat genuinum eſſe opus Hippocratis, & liberare illum contendit cum Mercuriali: quia exiſtimavit jus fuiſſe effuſionē concitare, licet non liceat facere aborſum, ut ipſe fatetur, *in jurejurando*. Ipſe tamen Moxius ulterius contendit: quòd Hippocrates nec effuſionē docuerit: nam licet illam cōſuluit in Saltatrice, poſtea pœnitentia ductus in jure-jurando omnē aborſum deteſtatur: ipſe tamen Moxius ſub alio prætextu contendit poſſe Medicum tētare aborſum dum timetur mors ante partũ ipſius fœtus jam grandioris: Tùm exhibet medicamenta, quæ vivum illũ excludant

Digitized by Google

ut ſpirituali fruatur vita per Baptiſmum; Sed Ethnici in omni tempore fœtus vitam contemnebant pro matris ſalute, & vita conſervandis, & impediendo generationẽ, & poſt illam fœtũ excludendo & aborſum procurando. Aëtius, *tetrab. & ſerm.* 4. *c.* 16. cum his inquit probè agi, quæ ſive ob uteri parvitatem, ſive ob colli ejus anguſtiã, aut tuberculum in partu periclitantur, ſi à conceptu omninò caverint, aut ſi conceperint, fœtum corruperint. Avicenna, *lib.* 3. *Fen.* 12. *cap.* 12. ait. Si prægnans fuerit puella parva, vel ſi fœtus moriturus ſit, eidem cõſentit, ſicut Rhaſis, *lib.* 9. *continentis.* Hali Abbas, *lib.* 8. *Practica cap.* 28. Theodorus Priſcianus, *lib.* 3. *cap.* 6. tenet: quod ſicut ramorum amputatio ſi areſcant, eſt ſalutaris arbori, ſic aborſus matri dum timetur damnum. Ariſtoteles, *lib.* 7. *Politica*, licitum tenet aborſum facere ad minuendum filiorum numerũ, ſed in gravisſimo morbo ad liberandam matrem, aborſum facere tenent ex Catholicis Cajetanus, *in* 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. *ad* 1. ut refert Moxius. Torreblanca, *de monoman. lib.* 2. *cent.* 43. Menochius, *de arbitris Judic. lib.* 2. *cap.* 4. citati à Zachia, ex Catholicis alii in fœtu inanimato ob matris periculum vitandum, honoremve conſervandũ non verentur fœtum perdere ſi animatus non ſit, tenent Navarrus, *in manuali cap.* 25. *num.* 26. Azor *inſtit. Moral. lib.* 2. *cap.* 4. *p.* 3. Lesſius *de juſtitia & jure lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 10. Sanchez, *de matrimonio lib.* 9. *diſput.* 20. Layman, *lib.* 2. *Theolog. moral. tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 49. Et ex Medicis Epiphanius, Ferdinandus, *l.* 3. *Theorem.* 11. quæ opinio à Moxio Lesſio & Torreblanca tribuitur D. Antonio, qui ex Franco tenet illam, *p.* 3. *tit.* 7. *cap.* 2. §. 2. & Sylveſter, *in ſumma verbo Medicus.* Covarruv. *in Clem. ſum. furioſus de homicid p.* 2. §. 3. *& Can. in decreto in cap. ſicut ex litt. de homicid.* Ubi Monachus cujus opera mulier abegerat partum non habetur irregularis, & *text. in cap. aliquando* §. *Sed iis* 32. *quaſt.* 2. tenet, quod non eſt homicida qui aborſum procurat antequam anima ſit corpori infuſa, & Tertullian. *lib. de anima c.* 35. videtur aſſentire dicens: *Trucidatur neceſſario crudelitate, infans matricida ne moriturus.*

§. II.

Quantum ſit ſcelus abigere partum determinatur.

RESolvendum primò: Quod directè partum abigens, nefarium committit ſcelus, impiumque homicidium omni jure prohibitum. Sic tenent ex noſtris nuperrimi Francus à Reyes, *q.* 51. Sylvaticus *Controv.* 82. Corteſius, *in Miſcellaneis decada* 12. Zachias, *lib.* 6. *tit.* 1. *quaſt.* 7. & reliqui Catholici, Tertullianus, *in Apolog. cap.* 3. D. Auguſtinus, ut conſtat ex *cap. aliquando* 32. *qu.* 2. D. Thomas *in* 4. *diſt.* 31. Cajetanus, 2. 2. *quaſt.* 254. *art.* 1. Covarruvias, 2. *p. de homicid.* §. 3. Aipizcueta *cap.* 16. *num.* 33. Sanchez, *tom.* 3. *de matrim. libr.* 9. *diſput.* 20. Tenent plures alii citati à Moxio & Zachia Torreblanca, *de monoman. lib.* 2. *cap* 43. Menochius & omnes Catholici, Navarrus, *in manuali cap.* 25. *num.* 63. omnem aborſum judicant eſſe homicidium, & ut tale prohibitum lege naturali, Divina, & omniumGentium, in Conciliis Oecumenicis 6. Conſtantino 2. Toletano, Ancyrano, Lerdenſi, Tribur. Vermiacenſi, ex Pontificio jure, *in cap. Quod verò vi aliis* 32. *quaſt.* 2. *& in cap. Sicut de homicidio, inſtit.* 32. *quaſt.* 2. *lib.* 4. *tit. de homicidio* §. *penult.*

nult. ex l. Cicero. §. Sed ſi quam ff. de pœnis. Ex quibus concludit Plovius, *de irregularit. num.* 21. haberi homicidam eum, qui aborſum procurat. Ideò Sixtus Quintus, Anno 1583. ſancivit, quod ille qui per ſe, vel per interpoſitas perſonas aborſum fœtus immaturi, aut animati ejectionem procuraverit: ſi aborſus ſequatur, punitur ea pœna, qua puniuntur voluntarii homicidæ, quibus etiam vult puniri eos, qui pocula offerunt, ad impediendam conceptionem. Quas pœnas confirmant plures leges Juris Civilis, amplectunturque plures harum Legum Commentatores: quibus potius ſtandum, quàm Patri Theophilo, qui *cap. 9. num.* 11. & ſequentibus tenet, licere matri aſſumere, & medicis, & aliis quibuſcunque præſcribere medicamenta, aliaque auxilia ad ſalvandam vitam ipſius matris, quæ directè fœtum perimere certo poſſunt, ut tenet Zachias, *tom. 2. lib. 9. tit. 2. quæſt. unic.* qui illius deteſtatur opinionem tanquam evidenter oppugnatam à Franciſco Ranchino, *in Hippocrat. jusjur. 5. in ea quæſt. verſ. Tertia opinio* & parum Chriſtianæ pietati conſonam.

§. III.

Indirectè ſubſequutus aborſus non inducit crimen Medico.

RESolvendum ſecundò: Quod Medicus poteſt uti auxiliis indicatis à morbo in prægnantibus gravi morbo affectis, licet per accidens aborſus, & indirectè aliquando contingat ex illis ſine intentione operantis, tenet Francus ex Moxio, & citati ab illis Layman, *lib. 3. ſect. 5. tr. 3. p. 3. c. 4.* Comitolus, *4. reſponſion. quæſt.* 13. Naldus, *verbo aborſus nu.* 3. Diana, *p. 3. tract. 5. Reſolut.* 11. Azor, *tom. 3. lib. 2. cap. 3. qu.* 22. Moure, *p. 4. cap.* 12. Sanchez, *de matrimon. lib. 9. diſput.* 20. Et ab ipſo citati Corduba, Petrus Navarra, Rodericus, Lopez, Vega, Bannez, Henriquez, Benſonius, Sa, Aragonius. Patet: Tùm quia Medicus adhibens indicata remedia, adimplet ſuum munus, & per ſe & directè tendit in finem artis. Tùm quia adhibet remedia per ſe ordinata ad vitam matris conſervandam, ſimul & vitam fœtus, qui nequit ſine matre conſervari. Tum quia Medicus per hæc auxilia non intendit facere malum, ut eveniat bonum, ſed per ſe intendit conſervare vitam matris, & ut ſubſequatur conſervatio vitæ fœtus. Tùm quia per auxilia, quibus mater curatur, non neceſſariò ſemper ſequitur aborſus, & plerumque utriuſque conſequitur ſalus; Tùm quia per accidens adhibitis auxiliis matri ſupervenit aborſus, quod potius evenit vi morbi, quam auxiliorum. Tùm quia medicus culpa vacat, quia attendit eis, quæ pertinent ad proprium ſui ipſius munus.

§. IV.

An aliquod tempus prægnantiæ abſolvat Medicum ab impietate, aut cuiq; licitum fœtum ſaltem inanimatum deperdere?

RESolvendum tertio: Quod nullum tempus imprægnationis abſolvit impietatem Medici, aut alterius conantis fœtum perdere, etſi inanimatus ſit. Sic tenent ex noſtris nuperrimè Sylvaticus, Ranchinus, Sennertus, Zachias, Lopez, Moxius, Mercatus; Et communior hæc eſt doctrina apud Theologos, & Juris-Profeſſores.

Probatur primò: Adhuc ſi in ſeminis virtute exiſtat fœtus, & nondum animatus

Digitized by Google

ſit, committitur execrandum facinus extinguens jamjam properantem hominem ad vitam, & ideo omni ætate prohibitum hoc facinus, & ab omni lege. Quia ut inquit D. Ambroſius, *in Lucam cap* 1. *impeditur generis propagatio, mulieris fœcunditas; parentes privantur liberis, fœtus vita, matres Conjugii præmiis, terra, quia ab eis coletur, mundus, quia ab eiſdem cognoſceretur, Eccleſia, quia devotæ plebis numero augetur, Deus, à quibus in terra veneratur.* Ideò hoc facinus punivit morte, *Geneſ.* 38. in Ona primogenito Iudæ, quia ſemen extinguendo impediebat hominis generationem, ideò hoc vetuit naturæ formator, ſtatuens homini præceptum multiplicandi humanum genus, & divinâ lege, *in Exod. cap.* 21. ubi aborſum facientis punitio ſtatuitur, etiamſi non extinguatur fœtus, & in jure Civili, *l. ſi quis aliquid* §. *qui abortionis, ff. de pœnis* ſancitur. *Qui abortionis poculum, aut amatorium dant, etſi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res eſt, humiliores in metallum damnentur, honeſtiores in Inſulam amiſſa parte bonorum relegentur. Quod ſi ex eo mulier, aut homo perierit, ſummo ſupplicio afficiantur.* Ubi (ut tenet Francus) homo pro fœtu intelligitur, & *l. Cicero l. ſi mulierem l. ſi quis necandi, C. ad l. Cornel. de ſiccariis:* Quæ variant in pœnis determinandis in aborſum tentantes conciliantur, quia aliæ pro cauſante aborſum animati: aliæ pro aborſu inanimati, ſed nullus ſine crimine & pœna operatur.

Probatur ſecundò: Ex Concilio Wormacienſi relato, *in cap. Si aliquis de homicidio* dicente: *Si aliquis explendæ libidinis cauſa, vel odii, medicatione homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non poſſit generare, vel naſci ſoboles, ut homicida teneatur.* Et Sixtus Quintus ſancivit anno 1588. Quod aborſum faciens fœtus maturi, aut immaturi ejectionem procuraverit, ſi aborſus ſequatur, punitur ea pœna, qua puniuntur voluntarii homicidæ: Sicut & pocula adhibentes ad impediendam conceptionem. Tertullianus *cap.* 9. *Apolog.* hanc doctrinam docet apud Chriſtianos ſancitam, dicens: *Nobis verò homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem dilabatur, diſſolvere non licet: Homicidii feſtinatio eſt prohibere non naſci; nec refert, natam quis eripiat animam, aut naſcentem diſturbet, homo eſt, & qui eſt futurus, & fructus omnis jam in ſemine eſt.* Ex quibus patet, non licere cuiquam inanimatum adhuc perdere fœtum; etiamſi hoc præſciri poſſet, quòd adhuc inanimatus ſit.

Probatur tertiò: Nequit fieri aborſus fœtus inanimati; Ergò omnis aborſus eſt excluſio animati fœtus. Probatur antecedens. Quia vel fœtus animatur, intra ſeptimum diem, ut tenet Mercurialis *libr.* 1. *de morb. mulierum cap.* 2. vel tertio à conceptus die anima infunditur, ut probat Fienus, *lib. de fœtus formatione, quæſt.* 11. *concluſ.* 11. *& adverſus ſancta Crux in Apologia,* in quorum opinione nondum eſt tempus, ferè in quo fiat aborſus fœtus non animati; vel ut probabilius judico cum Zacchia *tom.* 2. *libr.* 9. *tit.* 1. *q. ult.* fœtus humanus nulla anima ullo tempore dotatur niſi rationali, quæ à Deo infunditur, in ipſo primo conceptionis momento, in principioque commixtionis ſeminis, quod manifeſtat. Tùm quia nullæ ſunt ſucceſſivæ animæ in homine. Sed omnes actiones ejus à ſola rationali fiunt: quia (ut tenet D.

net D. Thomas, 1. *p. q.* 76. *art.* 6. *ad* 1. *una & eadem forma eſt per eſſentiam, per quam homo eſt ens actu, & per quam eſt corpus, & per quam eſt vivum, per quam eſt animal, & per quam eſt homo:* non enim plures poſſunt eſſe animæ ſimul homini; nihil enim eſt ſimpliciter unum, niſi per formam unam ſimpliciter talem ex eodem; nec poſſet idem homo ſucceſſivè plures habere formas: nam entia naturalia non poſſunt tranſire de una forma ſubſtantiali in aliam, niſi mutando naturale eſſe, quod per unamquamque conſtituitur tale, & diſtinctum, ſicut formæ ſunt eſſe & ſpecie diſtinctæ, & ideò ſi in materia corrumpatur forma vegetativa non eſt idem ens quod ſubſequitur per formam embrionis, nec quod per rationalem fit homo, ſed hic eſt talis ſemper per formam, quæ dat eſſe hominis quæ rationalis eſt à prima conformatione. Quidquid enim ſine anima rationali conformatur, homo non eſt. Tùm quia ſi homo non haberet in prima conformatione animam rationalem maximè, quia priùs viveret vita plantæ, & poſtea vita ſenſitivi prima corrupta, ſed corrupta vegetativa anima, nullum reſtat agens, valens ſenſitivam producere: nec ad extra poſſet advenire ſicut rationalis, & tantum reſtat, quod rationalis fuerit prius producta, à qua fiant vegetativæ, & ſenſitivæ actiones. Tùm quia non poſſet retardari rationalis anima à prima conceptione, niſi quia pararetur illi, aptum receptaculum adeſſe, vel ad operandum; ſed poſt trigeſimum, & quadrageſimum diem fœtus ineptum eſt receptaculum ad eſſe & operari, donec poſteà illum perficit anima rationalis. Ex quo apparet: quod recepta à prima generatione ipſa eſt potens illud præparare, & perficere ab ipſo Conceptionis momento. Tùm quia legũ diſtinctio fœtus animati & inanimati juxta vulgarem opinionem loquens inanimatum vocat fœtum, primis diebus non quoad eſſe eſſentiale, quod habet per animam rationalẽ ſemper, ſed quoad accidentale, quia donec perficiat organa, operationes ſolas vegetativas & ſui eſſe naturales ac perfectivas elicit, non ſenſitivas, & perfectiores, quarum defectu primis menſibus cum vita non percipiatur, nec de Baptiſmate agitur, nec tãta eſt dignitas hominis in imperfectis actionibus, ſicut dum perfectiores edit, ideò à iure diverſæ imponuntur pœnæ, ſicut in nece ejuſdem hominis ſi ſit homo particularis, aut fiat rex, variantur pœnæ à jure ſub eodem homine penes diverſos ſtatus.

Probatur quartò ex Archidiac. *l. Baptizandis* 1. *queſt.* 1. *numer.* 1. & 2. §. *Illicitum eſt propter honeſtatem, aut bonam famam mulieris, aut pro occultando peccato, aut vitando ſcandalo, aut propter aliud quodcunque bonum fortunæ, aut corporis aut pro vitandis magnis cædibus, aut infortuniis partũ abigere, ſive animatum, ſive inanimatum, & quovis modo genituram:* ergò quomodolibet liceat nominare fœtum, vel quovis prætextu illicitum eſt aborſum facere.

§. V.

Solvuntur dubitandi rationes primò adductæ.

AD primum reſpondetur: Quod re melius inſpecta Hippocrates in jure jurando juramento adſtringit Profeſſores Medicinæ, ut nullum aborſum faciant. Moxius, dum pietate ducitur, incidit in impietatem: quia ex Divo Paulo; *non ſunt facien-*

Digitized by Google

facienda mala, *ut eveniant bona.* Nec ex properato aborſu ſecura manet vita matris: nec ſecurus manet Baptiſmatis eventus, cùm ex violentia poſſit fœtus interfici in utero. Aëtius, Avicenna, Hali Abbas, Priſcianus, Ethnici cum fuiſſent, pietatem Catholicam, non ſunt ſectati, ſicut nec Catholici illis inhærentes eandem inſectamur; Poteſt enim Deus dubium partum facilem reddere, ſine certa illius morte; vel ſi hæc futura, nemo cogitur ad homicidium fœtus, ut exinde alterius ſequatur bonum, nec eſt ſecuritas quod non pereat mater ex aborſus violentia, nec debet fœminis tribui occaſio peccandi: dum ſciant aborſum faciendum ab aliis, ob earum honorem, ad quem non attendunt, dum ſe committunt periculo concipiendi: nec leges permittunt hoc facinus minuendo pœnas, quia vel loquuntur juxta vulgarem opinionem, vel juxta diverſos vitæ ſtatus facinus minuendum judicarunt: nec pietas authorum in matrem valet minuere facinus homicidii in fœtum, quod Sixtus Quintus Pius Pontifex damnavit & excluſit à Catholicorum cætu, vel non pia recepta ab aliquibus doctrina.

Patet ex dictis: quam parum pia opinio ſit, quæ aſſerit, quod ſanguis debet mitti ex pede prægnanti Gallica lue infectæ: contemnit enim vitam æternam, & temporalem fœtus, ob levem Gallici morbi infectionem, quæ etſi ex ſanguine miſſo ex brachio gravior fieret: poteſt tamen poſt partum curari auxiliis Gallicis aptis, & ſine vitæ matris diſcrimine, alias enim inſidiatur fætus vitæ, cùm ut plurimum aborſus ſequatur, vel ſaltem miſſo ſanguine ex talo prægnantis, ut vulgus novit: & novit Hippocrates *lib de morbis mulier*, docens impeditum partum facilitare ſanguine miſſo ex talo.

DOCT.

Digitized by Google

DOCT. MED.
D. GASPARI
BRAVO DE SOBRE-
MONTE RAMIREZ

CONSVLTATIONES MEDICÆ.

Ff

Digitized by Google

AD LECTOREM.

ADverte, Lector benevole, decem has quæ ſequuntur Eruditiſſimi D. GASPARI BRAVO, Doctoris Medici, Conſultationes, quaſque nuſquam hactenus editas, Typis mandamus, eſſe alteram Partem Conſultationum, quæ in alio ejuſdem Auctoris Volumine, jam aliàs in lucem prodière; ac proinde iis neceſſariò annectendam.

Digitized by Google

DOCT. MED. D. GASPARI BRAVO DE SOBRE-MONTE RAMIREZ CONSULTATIONUM MEDICARUM PARS ALTERA.

CONSULTATIO I.

De Maleficiato & ejus curandi ratione.

CONTINET

§. I.

Proponitur Hiſtorica Enarratio.

§. II.

Proponitur morborum natura, & illorum naturales cauſæ.

§. III.

Prædicti morbi licet fiant à cauſis intra naturam, poſſunt foveri à cauſis ultra naturam.

§. IV.

Imagines fabricatæ in lamina præſtant manifeſtum indicium, quod ægra amatorio ſaltim maleficio fuerit maleficiata.

§. V.

Per accidens morbi ægrotantis poſſunt ſubſequi ex veneficio amatorio.

§. VI.

Morbi hujus ægrotãtis præſuppoſito maleficio indigent ratione illius curatione Eccleſiæ.

§. VII.

Morbi malefici indigent auxiliis naturalibus à Medicis cognitis plerumque.

§. VIII.

Qualiter liceat ſigna maleficii deſtruere ad illud auferendum.

Digitized by Google

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I.

Proponitur Hiſtorica Enarratio.

QUæ habitabat propè murum ex Optematibus præclara matrona, ineunte ætate tabida evaſit, & cum ſtupore extremitatum ut parſit fama, quod inventa fuit lamina variis figuris inſculpta, cum orificio, in quo erat figura cordis ex cera fabricata, circa quam in poſteriori parte laminę inſcribebatur hujus ęgrotantis nomen: recepit vulgus; quod conſtabat hoc fuiſſe ſignum maleficii amatorii Exquirere conabantur domeſtici: an morbi, quibus infeſtabatur, eſſent naturalibus cauſis procreati; an poſſint malefici eſſe ex vi ſigni pacti, vel ſaltem ex maleficio amatorio ſubſequi, & ſi venefici, an aliqua eis poſſit adaptari curatio?

§. II.

Proponitur morborum natura, & illorum naturales cauſæ.

TAbes, & ſtupor, morbi ſunt communiſſimi, ab omnibus antiquioribus & junioribus Practicis poſiti inter morbos ortos ſine cauſis ultra naturam operantibus. Tabes enim, phthyſis, macies, macilentia, gracilitas, & tenuitas, *eſt privatio pinguedinis, & carnis præter naturam in toto corpore actiones lædens, primò, & per ſe*, ut late proſequitur Mercurialis. Hujus cauſas tradiderunt Avicenna, *Fen.* 7. 4. *tr.* 4. Galenus, *libro de Maraſmo, lib.* 2. *Aphoriſm.* 28. *libr. de different Symptom.* 4. *lib.* 5. *de ſanit. tuenda* 24. & alii Practici: Tabis cauſas dividunt in externas, & internas; externæ ſunt aër, ſiccus & calidus, ſiccus & frigidus, ex Galeno 2. *Aphoriſm. Comment.* 28. Vigiliæ, curæ, cogitationes, motus immoderatus, Venus immoderata, balnea naturalia, & quæ offeruntur exſiccantia, acetum, acida, ſemen rutæ, ciminum: Internæ cauſæ ſunt aliæ immediatæ, aliæ mediatæ: immediatæ ſunt duæ, abſumptio accommodati alimenti, vel calor conſumens, & reſolvens carnes: deficit alimentum accommodatum, vel quia nihil apponitur, vel quia parum, vel quia vitioſum, vel quia quod apponitur alimentum, non unitur. Non apponitur, dum ventriculo nullum offertur, vel oblatum nequit concoquere, vel concoctum nequit ad jecur permeare, vel transfertur in alias partes; ut in lienteria; vel dum fugitur à lumbricis; vel licet communicetur eſt vitioſum, & naturæ ingratum; ut ſanguis nimis conſpurcatus; cacochymia redundante melancholiæ, bilis, pituitæ, ſeroſitatis ut apparet in hydrope: vel ſi feratur alimentum in partes, contingit non apponi ob ariditatem, quia nequeunt humiditates penetrare, & apponi occluſis poroſitatibus. His accedunt nimius labor, qui colliquans, vel reſolvens appoſitam ſubſtantiam maciem efficit; Vel calor ut in hecticis febribus, bilioſis, malignis, & peſtilentibus: inter has cauſas annumerari poteſt calor, qui nos vivificat, qui ex Hippocrate tandem nos occidit, (& ſi loco ejus quod reſolvit nova reponatur ſubſtantia per nutritionem,) quæ ſi deficeret, brevi nos in tabem deduceret, ſicut in Senectute nos pervenire facit in tabem ex ſenio impotens renutrire in partibus quod deperditur.

Genericà hac præſuppoſità cauſarum tabis enumeratione, peculiares cauſæ tabis, varias

Digitized by Google

varias ejus præſcribunt differentias, eſt quædam tabes pueris communior, cujus meminit Jonſtonius, quæ provenit à vermibus dorſi, ſeu crinonibus, & cognoſcuntur, quia infantes comedunt, ſed non nutriuntur, contabeſcunt, & habent pruritum moleſtiſſimum, & lancinationem, quibus inquieti ſunt; & quòd in balneum illatis, & fortiter fricatis, capilli cineritii, aut nigricantes è cute apparent.

Galenus *lib.* 5. *Method.* proponit tabem ſupervenientem, ex humoribus ſalſuginoſis, & aliis nutritioni ineptis, *libr. de maraſmo.* tabem ponit ortam ex inflammatione manifeſtâ aut occultâ, aliam ex defectu alimenti ſive ob ciborum penuriam, ſive quia non concoquitur alimentum, ſive quia non tranſmittitur ad jecur.

Hippocrates plures adducit tabis ſpecies, *lib.* 6. *Epid. ſect.* 8. *text.* 47. proponit tamen ex gonorrhœa, *in hiſtoria ſatyri*, *in Thaſſo lib.* 2 *de morbis*, proponit tabem dorſalem ortam ex nimio Veneris uſu abſumente corporis habitum, & *lib.* 2. *de internis affectionibus*, *text.* 13. adducit tabem ortam ex copiâ humoris irruentis, in ſpinalem medullam, à quo facultates obruuntur. Ibidem adducit aliam tabem ortam ex reſiccatione ſpinalis medullæ, ſive fiat reſiccatio ex venarum obſtructione, ſive ex bile à capite fluente in ſpinalem medullam, de quibus Hippocrates *libro de locis in homine*, & *lib. de glandulis num.* 10. Communiſſima cauſa tabis eſt habitualis febris, ſive hectica hæc ſit, & habitualis contracta in partibus ſolidis ſive in phthyſi oriatur ſeu ex pulmonis ulcere, quæ plurimas habet cauſas remotas, licet proximè fiat, & foveatur ab ulcere, quod fit in pulmone, vel à pituitâ acri, aut ſalsâ fluente à cerebro, ſive fluente ab eodem ſine acrimoniâ, quam retenta, & putreſcens adquirit, ſive fiat à pure à vicinis partibus recepto, vel in ipſo pulmone genito, ob pravos ad ejus ſubſtantiam fluentes humores, ſive ob pravam ejus diſpoſitionem. In ægra tabes viſa eſt duxiſſe originem ab humoribus ineptis nutritioni, quia non erant grati naturæ ob commixtam ſanguini pituitam multam, & ſalſam.

Stupor & torpor ad paralyſim accedunt, ſunt enim diminuta paralyſis: paralyſis verò ſive reſolutio, *eſt privatio ſenſus, & motus alicujus determinatæ corporis partis, ſine noxâ facultatum principum animalium, ut plurimum procedens à prohibito tranſitu facultatis animalis ad organa ſenſuum, & motus inſtrumenta.* Stupor, eſt ſenſus imminutus, *ex Galeno libr.* 1. *de cauſis ſymptomatum cap.* 1. Torpor eſt motus imminutus, *ex Galeno lib. art. medicinal. cap.* 82. Avicenna *lib.* 3. *Fen.* 2. *cap.* 13. *Stupor* (inquit) *eſt morbus officialis faciens evenire in ſenſu tactuali nocumentum ſcilicet: aut deſtructionem, aut diminutionem, cum tremore ſi eſt debilis, aut mollificationem ſi eſt confirmatus.* Et proponit cauſas dicens: *Cauſa enim ſtuporis eſt aut ex parte virtutis, quoniam debilitatur, ſicut in febribus fortibus, & acutis ducentibus ad ſtuporem, & ſicut in illo qui paſſus eſt ſyncopen, & apud propinquitatem mortis, aut ex parte inſtrumenti, quoniam corrumpitur ejus complexio propter frigus vehemens ex potu medicinæ; aut ex punctura animalis ſicut ſcorpionis aquatici, & tactu piſcis, qui nominatur* (berille) *aut potu medicinæ, ſicut opium, & facit contingere illud groſſitudinem in ſpiritu, qui eſt inſtrumentum virtutis, aut corrumpit virtutem propter calorem vehementem,*

hementem ſicut quem momordit ſerpens, aut manſit in balneo vehementis caloris, aut propter groſſitiem nervorum. Ex his cauſis videtur, quòd humida intemperies fuerit cauſa ſtuporis, & torporis in ægrâ, quatenus pituita defluens à capite irrigando neruos humectaverit, & groſſitie adquiſitâ humectatione, liber deſcenſus ſpirituum ſit impeditus, ex quorum diminutione diminutæ ſunt in partibus actiones, quæ pendent ex illorum influxu, quæ omnes cauſæ horum affectuum ſunt communes, & non ultra communes cauſas ponendæ.

§. III.

Prædicti morbi licet fiant à cauſis intra naturam, poſſunt foveri à cauſis ultra naturam.

Diſperſit fama; hos morbos maleficos eſſe; vel quia hujuſmodi prolongati morbi à vulgaribus tribuuntur veneficiis, vel quia eadem tulit, quòd fuerit reperta lamina cum characteribus ex variis ſignis confectis, & aliis indiciis conteſtantibus maleficium ſaltim amatorium; & hoc maleficium venefici maleficii morbos foventis augebat ſuſpicionem. Morborum enim alii ſunt communes, qui à cauſis fiunt non excedentibus modum operandi rerum naturalium; quales ſunt morbi quorum cauſas retulimus. Alii ſunt morbi ultra naturam dicti à Fernelio, qui à cauſis fiunt, quæ exuperant modum operandi cauſarum naturalium; ii autem alii fiunt à Deo; alii à Dæmone; qui fiunt à Deo alii immediate fiunt ab ipſo ut patet ex Deuteronomio *cap.* 18. *Percutiet te Dominus egeſtate, aut febre, & cap.* 22. *Congregabo aduerſus eos mala.* Alii fiunt à Deo, Angelorum miniſterio *lib.* 2. *Reg.* 4. *cap.* 24. dicitur, peſte crudeliſſima fuiſſe ab Angelo occiſa plurima millia Hebræorum; & Iſaias *cap.* 37. dicit; Centum & octoginta quinque millia Aſſyriorum fuiſſe ac Angelo occiſa. Morbi denique qui fiunt à Dæmone, alii fiunt immediate ab ipſo (Deo volente) quales fuerunt morbi quos intulit in Iob. Alii fiunt, vel foventur, vel coſervantur à Dæmone (Deo permittente) ob pactum cum ſagis, aut Maleficis; ſeu veneficis hominibus; & ii dicuntur, vel morbi venefici, & fiunt dupliciter; uno modo à Dæmone, pacto præcedente immediate; alio modo mediis cauſis ipſorum morborum à Dæmone applicatis, vel commotis humoribus ab ipſo; cum conſtet, in ægrâ morbos quibus infeſtatur provenire ex humoribus: manet ulterius examinandum; An à Dæmone ſint humores commoti, à quibus pendent morbi prædicti, & adhuc ab ipſo foveantur; ſitque aliquod ſignum, quod id atteſtetur; posſibileque ſit eiuſmodi morbos à Dæmone cauſari poſſe vene ficoſque fieri?

Ioannes Viverius *lib. de venenis cap.* 5. *lib. de lamiis cap.* 7. *lib. de profligat. Dæmon. cap.* 27. & Ioannes Bodinus *de Magorum Dæmonologia cap.* 7. videntur aſſerere, quod venefici morbi non ſunt admittendi, nam qui tales dicuntur, debent referri ad phantaſiam, melancholiam, aut illuſionem. *Sed* iis relictis tenent communiter omnes, dari morbos veneficos, pactoque inductos à Dæmone, vel ob pactum cum ſagis, aut maleficis hominibus; ut cognovit Hippocrates, licet renuat Torreblanca, *lib.* enim 1. *Prog. text.* 6. inquit: *ſi quid divinum in morbis ineſt illius providentiam perdiſcere*: ubi per *divinum in morbis* intel-

intelligit cauſam ultra naturam ; ſed dari morbos veneficos demonſtrant ex noſtris Codronchus , *lib. de morb. venefic. lib.*1. *per totum.* Ex omnigenæ literaturæ authoribus. Fernelius *lib.* 2. *de abditis rerum cauſis cap.* 16. Zacutus *lib.* 3. *de Praxi mirabili obſerv.* 134. Sennertus *lib.*6. *cap.*9. Andræas Cæſar Alpinus *in dæmonum inveſtigat.* Alexander Benedictus *lib. de Homeri Medica, tract.* Carolus Valleſius *lib.* 1. *Prognoſt.* Et quia hæc doctrina vagatur ultra medicinæ ſcholam , comprobant illam Codronchus & Torreblanca ; Ex Patribus Orthodoxis Divus Auguſtinus *lib.*2 *doct.Chriſt.c.* 19. *lib.* 8 *Civit. Dei. cap.* 19. D. Iſidorus *lib.* 8. *etymolog.c.*9. D.Chryſoſt.*lib.*8. *de fato.* Comprobatur etiam ex communi aſſenſu Theologorum , Juriſprofeſſorum , Medicorum. Hanc veritatem receperunt & comprobarunt Concilia ; demonſtrarunt eventus. Henricus Gallorum Rex (ut tenet Bernardus *in Chron.*) contabuit venefico morbo à Dæmone inducto, quod demonſtrarunt duę cereæ imagines tùm Regis, tùm Patrui Caroli Vallezii, quibus igni admotis utrique tabes erat inferenda ; ob quod facinus ſupplicium fuiſſe ſumptum, refert ex noſtris Carolus Valleſius de Joanne Pavierto, & Claudia veneficis. Hector Boëtius *libr.* 1. *Hiſtor. Scotor.* narrat veneficium intuliſſe Duffo Regi ſagam: quæ Regum ſimulacrum affixum veru ante ignem movebat, ut liqueſcente cera macie ille conficeretur ; Pontifex Joannes XXII. in literis , quibus jubet punire aggreſſores ; conqueritur , quia venefici imagines cereas fecerunt ſub noſtro , & ipſorum fratrum nominibus confectas , ut magicis artibus , incantationibus vetitis, ac dæmonum invocationibus reprobandis adhibitis vitam labefactarent inſontium per punctionem imaginum prædictarum ; ex quibus manet comprobatum, dari morbos veneficos.

Sed licet conſtet dari morbos veneficos, non comprobatur ægrę morbos veneficos eſſe , niſi ex ſignis aliquibus conteſtetur. Codronchus *lib.*3. *de morb. venefic. cap.*13. plura horum morborum ſigna proponit ; ſed confundit ea , quæ morbos veneficos demonſtrant cum illis quæ ſunt communia corporibus à Dæmone poſſeſſis , quæque Sacerdotale Romanum tradit. Sennertus *tom.* 3. *lib.* 6. *p.* 9. *cap.* 6. Venefici morbi ſigna eſſe, inquit , quòd morbus non habeat cauſas manifeſtas , quòd non cedat auxiliis, quòd non currat ſua tempora ſucceſſivè , ſicut alii morbi : ſed ſubitò , & repentè ſine manifeſtis cauſis ſit in ſummo vigore , quòd inuſitata ſymptomata ſuperveniant , vagus dolor, emaciatio , contuſiones variæ ; vel quod vomitu rejiciantur plura , quæ nequeunt in corpore generari. Nec tamen ex iis ſignis in ægra dari morbos veneficos convincitur.

Sed neque ex illorum defectu ſuſpicio aufertur ; nam ut tenet Sennertus *tom.* 3. *lib.* 6. *p.* 9. *cap.* 6. valde difficillimum eſt morbos cognoſcere , ut veneficos, quia non ſemper ſe ſolo operatur dæmon , ſed plerumque naturalibus cauſis ſe immiſcet , illiſque utitur pro cauſandis morbis, & ideò ſolum relucent ſigna , quæ iis morbis communia ſunt , ut ab iis humoribus ſolent provenire ſine interventu Dæmonis , quod Fernelius expertus fuit *lib.* 2. *de abditis rerum cauſis cap.* 16. in juvene quodam Equeſtris familiæ , qui corporis concuſſione, & convulſivis motibus

ex

ex temporum intervallis provenientibus vexabatur, pro cuius ſalute varia remedia non profuerunt, cuius reddit rationem Fernelius dicens. *Quoniam omnes longè aberramus à cognitione veri, nam menſe tertio primum deprehenſus dæmon quidam totius mali author, voce, inſuetiſque verbis ac ſententiis tùm Latinis, tùm Græcis (quamquam ignarus linguæ Græcæ laborans eſſet) ſe prodens, is multa aſſidentium maximeque medicorum ſecreta detegebat, ridens, quòd eos magno periculo circumveniſſet, quodque irritis pharmacis corpus hoc ingulaſſent.* Hoc idem contigit nobis *in ſcholaſt.* 17. *obſervat. p.* 6. *Reſ. Med.* ubi plura ſunt à nobis tradita cõprobantia, dari morbos veneficos, ſimul & ad illos cognoſcendos, quæ ſigna cum in hac ægrotante ſicut in illo defecerunt; nec habemus per quid demonſtretur hos morbos eſſe veneficos; nec poſſumus convincere, quod illis deficientibus non potuerint induci à Demone humores commovente.

§. IV.

Imagines fabricatæ in lamina præſtant manifeſtum indicium, quod ægra amatorio ſaltim maleficio fuerit maleficiata.

Reperta eſt lamina ut diximus variis figuris inſculpta cum orificio, in quo figura cordis ex cera fabricata intromittebatur; circa quam in poſteriori parte laminæ inſcribebatur nomen hujus ægræ, ut ferebat vulgaris opinio, ex qua conteſtabatur; quòd erat figura hæc ordinata, ut cogeretur hujus mulieris voluntas in benevolentiam eius, pro cujus nixu fabricata fuit Lamina. Ex quo cònvincitur, quòd ſaltem amatorio maleficio fuit illa maleficiata.

De maleficio venefico dubitatur, quod fit Dæmonis opere, & pacto per faſcinium, incantationes, phyltra, per varias præſtigiationis ſortes, per pocula exhibita, per verba prolata, per appenſas orationes, geſtatos characteres, figuras, annulos, carmina prolata, per ſonos, cantus, numeros, potiones, ſuffitus, odores, & conjurationes, per aliaſque cæremonias; ut tenent Francus à Reyes q. 97. Langius, *lib.* 1. *epiſt.* 38. *tom.* 2. *epiſt.* 34. Gemma, *lib.* 2. *de Divinat. charact. cap.* 4. Hucherus, *lib.* 4. *de Malefic.* Cardanus, 2. *contradict. tr.* 2. *contradict.* 7. Rodericus à Caſtro, *lib.* 4 *de medico Politico c.* 2. Bodinus, *lib.* 3. *Dæmonolog.* Remigius *in ſuâ Dæmolog.* Del-Rius, *in Diſquiſ. Magic.* Zegcogna, *lib.* 4. *omnifariæ Magiæ.* Sennertus, *tom.* 3. *lib.* 6. Nec tamen (licet Dæmon his utatur ceremoniis) in illis ineſt aliqua vis, aut agendi virtus, ſed ut in plurimum ſunt ſigna pacti maleficii cõtracti inter maleficum & Dæmonem; & conſequenter ſunt ſigna maleficii in ægrotantibus. Maleficium autem duplex poteſt eſſe; nempè maleficium amatorium, quod ope dęmonum ordinatur ad amorem conciliandum, vel ad attrahendam voluntatem; aliud eſt veneficium, quod ordinatur, ut ope dæmonum morbos inducat.

Figuræ in laminis, aut aliâ materiâ conformatæ, utriuſque maleficii poſſunt præſtare indicium. Quòd autem ſint ſignum venefici maleficii tenet Hucherus *lib.* 4. ubi agens de morbis veneficis, inquit: quòd cognoſcuntur per ſigna interna, aut externa; ut ſi evomantur acus, cultri, lapides, clavi: Per externa: ut ſi appareant cereæ imagines, characteres, nodi, aut carmina. Idem tenent Salicet. & Angel. *in l. Multi, C. de Maleficiat.* Et Mathemat.

Spin-

Spingher, *in malleo p. 2. quaſtion. 1 cap. 12.* Caſtro, *de juſta Hæreticor. punit. lib. 1. c. 15.* Codronchius, *lib. 3. de morb. venefic. cap. 2.* Toletus, *in ſumma, lib. 4. cap. 16.* Grillandus, *lib. 2. de Sortileg. q. 1. num. 11.* dicens: *Imagines fabricabant, quas ſpinis, acubus, clavis, & aliis rebus acutis, in gutture, renibus, pectore, fœmore, coſtis, vel ventre, vel aliis locis perforabant deprecantes, ut verum corpus maleficiandi patiatur puncturas, & pœnas, ac ſi in ejus corpore verè perforare contigerit.* Idem comprobant hiſtoriæ ſupra adductæ Regis Galliæ Henrici, Duffi Regis Scotorum, & Pontificis Joannis 22. quorum venefici morbi per ſimiles imagines ſint cogniti. Et confirmat Torreblanca, dicens: *Imagines fiebant ex cera, pice, argilla, plumbo, ceſſite, lana, vel lino, eaſque baptizabant in memoriam Præſidentis Dæmonis, vel ipſius maleficiati, quas ad ignem liquabant, dæmon ipſe tabem vel mortem inferebat.* Ex quibus patet, has imagines eſſe ſignum maleficii venefici.

Demonſtrant etiam ſimiles imagines veneficium amatorium, quod eſt duplex: aliud venereum, aliud (ut inquit Torreblanca, *lib. 12. de jure ſpirituali, cap. 12.*) eſt, quo utuntur Aulici, ut Reges male affectos concilient, voluntatemque eorum attrahant. De quo meminerunt Nicetas in vitâ Phocii, dicens: *Lantabaremus Præſtigiator, veterator, iis artibus pollens, phyltris, & veneficiis Regem excantans, odium, quo Phocium proſequebatur in amorem mutavit.* Grillandus de hoc dicit, *lib. 2. de Sortilegiis,* quod fit, vel tribuendo aliquid, quod ſumatur intra corpus, vel per aliquod extra corpus, ut per imagines fabricatas ex plumbo, cera vel argilla, quas ad ignem applicant, & ſic illos, quibus defingebant judicabant trahere in ſui amorem: ſic tenent Joannes Saliſbergenſis, *libr. 1. de nugis Curialibus cap. 11.* Et Rex Alphonſus prohibet illas fabricare: ex quibus patet, laminas fabricatas eſſe ſignum etiam veneficii amatorii; manifeſteque convincitur ex lamina variis characteribus conſcripta; & imagine in cerâ fabricatâ, & in foramen laminæ intromiſſa hanc ægram fuiſſe maleficiatam, quod demonſtrat etiam illius nomen conſcriptum in poſteriori parte laminæ circà orificium, in quod erat intromiſſum cor cereum: quia ut diximus ex Grillando, baptizabant laminas cum nomine dæmonis Præſidentis, vel cum nomine maleficiati: paterque, quod hoc fuerit ſignum malefici amatorii ad conciliandam voluntatem ægrotantis pro eo, cujus nomine baptizabatur, quia credebatur illius ſollicitaſſe favores, vel alias utilitates.

Convincitur etiam manifeſtè, quod vi hujus pacti per ſe & directe non fuerint à dæmone inducti morbi hujus ægrotantis cùm per ſe illi ſubſequantur ex veneficio malefico, non verò ex amatorio.

§. V.

Per accidens morbi ægrotantis poſſunt ſubſequi ex veneficio amatorio.

Maleficium quod ex lamina comprobatur, cùm per ſe (ut diximus) ſit amatorium, per ſe morbos ægrotantis nequivit comproducere; ſed an per accidens, & ex conſequnto ii morbi ratione illius poſſint dici venefici incidit in dubium? Hæſitationis autem ratio eſt: quia dæmon per pactum amatorii maleficii promittit conciliare amorem movendo voluntatem & liberum arbitrium, quod nequit dæmon efficere,

Digitized by Google

efficere, ut tenent Spingherius, *in Malleo Maleſic. 1.p. quæſt. 7.* Medina, *lib. 2. de recta in Deum fide.* Caſtro, *lib. 1. de recta Hæreticor. punit.* Suarez. *lib. 2. de Religione.* Raphael de la Torre, *libr. 2. de vitiis oppoſit.* Grillandus, *de Sortilegiis.* Nider, *in formic.* & alii citati a Martino del-Rio, *lib. 3. Magiæ, p. 1. qu. 2.* Et tenent ex noſtris Caſtro, *lib. 4. de Medico politico*, Franc us à Reyes, *quæſt. 39.* & Nos, *lib. Reſolut. Medicar. p. 6. conſult. 17.* ex D. Thoma demonſtravimus, *2. 2. quæſt. 9. art. 3.* Et docet ſacra Pagina, *Geneſ. 4. ſub te erit appetitus tuus. & tu dominaberis illi*: Ita, ut aſſerere contrarium judicet Baſinus, hæreticum eſſe, *de artib. magic. concl. 6.* Unde ſolum reſtat, quod dæmon per accidens tantum contendat voluntatem movere, allicere, & amorem conciliare, quatenus philtris utitur, quæ voluntatem per ſe non concitãt, nec amorem conciliant, niſi quatenus habent vim conturbandi, elevandi flatus, commovendi calorem, & pruritum inducendi, ut tenent Rohellius, *libr. de Philtris.* Scaliger, *lib. de magia amorum.* Del-Rius, *lib. 3. magia, p. 1. q. 3. ſect. 2.* Codroncnus, *lib. 3. de morb. venefic. cap. 3.* A Reyes, *q. 29.* Et per hæc philtra plerumque ſolet dæmon, dum contendit amorem conciliare, varios inducere morbos, morteṁq; cauſare, ut cognovit Ovidius, *libr. 1. de remedio amoris,* ubi ſic habet:

—Nec tuta fuerunt
—Pallantia philtra puellis.
Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Ideò *l. ſi quis aliquod ff. de pœnis*, *l. nemo aruſpex de Maleſ.* Philtra prohibent. Et Quercetanus *in Diæteticon*, mortem Caligulæ refert ex Suetonio cauſatam ab uxore exhibito philtro. Panormitanus idem refert contigiſſe Duci Auſtriæ; & Matthæus Villanus de Carolo IV. idem tenet, & Schenckius obſervat aliquo morbos philtris inductos fuiſſe. Philtra igitur, deſerviunt ad implendum pactum maleficii amatorii ſaltim per accidens, quæ per ſe non ſufficiunt movere voluntatem, nec amorem conciliare; Unde probabile eſt, quod in hac ægrotante contenderit per accidens id efficere, in mutando ſcilicet temperiem, commovendo humores, per illoſque morbos cauſando, ut ſic ægrotans illis oppreſſa, ac pituitoſa reddita mores mutaret, & fidem de ſollicitudine ad ſua negotia intendentis maleficium illud reciperet magis grata ad illa obeunda; inquit enim Aulicus inculpatus, quod gaudens hac intemperie, frigore veluti ſtipatus cor gerit, & ſibi potius quam aliis deſidit, modum gerendi ſe in negotiis neſciens, in Conſiliis dubius, paviduſque in exequendo maneat; ex qua temperie valuit dæmon hanc morboſam reducere ad acquirendam voluntatem ægrotantis ob mutatam temperiem, & commotos morbos, ob quos poſita debilitate, & impotentia in patiente, quærat petentem pactum, ut ſuo favore ingentes, quas poſſidebat, foveat opes; quibus pactum petens frui conabatur voluntate in ſui amorem, modo quo poſſet coacta, unde licet amatorium maleficium per ſe non ordinetur ad cauſandos morbos, dæmon tamen per accidens illos contendit fovere, ut pactum initum modo quo poteſt adimpleat.

***

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Morbi hujus ægrotantis præſuppoſito maleficio indigent ratione illius, curatione Eccleſiæ.

CONſtat ex dictis ægrotantem fœminam maleficiatam eſſe amatorio maleficio ſaltem. Et probabiliter morboſo, ſiquidem ratione illius poſſint provenire, aut foveri morbi, quos patitur à Dæmone, indèque conſtat, quòd eorum curatio indeget ope Eccleſiæ ad Dæmonem fugandum: ope Medicinæ ad humores noxios expellendos: & ope Supremi Senatus ad infringendum, & deſtruendum inſtrumentum maleficii. Quòd verò Eccleſia ſuis precibus, Orationibus, Sacrificiis, & exorciſmis valeat Dæmonem fugare, vel à Deo conſequi, ut Dæmonem fuget; vel ut non concurrat permiſſivè ad pactum, ſine quo maleficium nequit fieri, ipſa docet Eccleſia; quamvis impius Lutherus negaverit ei hanc poteſtatem, & ex Medicis Sennertus, *tom. 3. lib. 6. p.9. cap. 8.* Lutheri adhæret impietati, dicens: *Nulla eſt poteſtas in terra, quæ diabolum cogere poſſit.* ideò tanquam impius refutatur à Carolo Valleſio, *lib. 1. Progn.* Sicut & Wickleffus in eodem errore damnatus, negansq; Eccleſiæ poteſtatem, convincitur à Thoma Waldenſi, *tom. 3. tit. 24.* Recurrendum ergo ad pias preces, & auxilia ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, contra ipſum dæmonem; quia ut docet Rex Joſaph. *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus in te Domine.* Ad Deum autem non ſolum recurrere debemus per oblata Sacrificia Sacerdotum, ac cæterorum miniſtrorum ejus, verùm etiam per preces omnium fidelium, præcipuè verò ægri cognatorum, & amicorum in quibus pie fidit. hoc enim eſt ſingulare Eccleſiæ inſtitutum, ut fideles ejus ſe mutuò juvent orationibus, quod nullum latet Catholicum, ac ſanæ doctrinæ ſtudioſum, & hoc quotidiana Chriſtianæ pietatis exercitia cuique clariſſimè probantur. Excludat ergò Sennertus tantam vim Religionis Chriſtianæ, qui tamen quam impiè hoc faciat ipſe ſibi ſatis erit in pœnam. Nos verò Catholicæ pietatis Cultores, qui ſatis commendatam, probatiſſimamque habemus noſtræ Dilectiſſimæ Matris Eccleſiæ ſupremam authoritatem, ejuſque potentiſſimum brachium, invictamque vim, omninò confugere debemus ad ejus ſuffragia, preces miniſtrorum ejus, quibus apud Deum pro more ac ſacro Eccleſiæ inſtituto cauſas fidelium omnium præcipuè verò infirmorum maximè tamen eorum, qui vim à Dæmone patiuntur, fideliter agunt, eamque expugnant, ita hac in re Divino numine ſuffragante, quod quotidiana experientia plenè probatum eſt apud Chriſtianos fidiſſimos. Jure igitur meritò potius, vel etiam potiſſimum fidendum nobis eſt precibus Servorum Dei, eorumque qui vicem Chriſti Domini agunt, quam noſtris propriis aut cognatorum, vel amicorum deprecationibus; hæc enim præcipua ſunt remedia jam ſatis commendata ad tollenda maleficia; ea enim reliquit Dominus pro exigentibus noſtris neceſſitatibus, ex Iſaïa *cap. 53.* & ſe exercuit magnopere in ejiciendis dæmonibus, & in curandis morbis ac ipſis inductis, ut tenet D.Lucas, *c. 4. & cap. 8. & cap.9. & cap.10. & cap 13.* Matthæus, *cap. 8. cap. 9. 12. & 17.* qui ſimilem poteſtatem transtulit in Apoſtolos, & in ſuam Eccleſiam

Digitized by Google

ſiam, in qua præter communes preces, ſunt exorciſmi, variaque alia remedia contra omnia maleficia, ut viva ac vera fides Chriſtiana tenet. Unde Dominus, Marci *cap. ult.* inquit: *Signa autem eos qui crediderint in nomine meo dæmonia ejicient.* & D. Joan. *cap.* 14. *Qui credit in me opera quæ ego facio & ipſe faciet.* Favet Eccleſia non Baptizatis per Baptiſmum ad Dæmonem fugandum. D. Marc. *c. ult. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit.* Ubi Doctores intelligunt etiam de corporali ſalute. *In hiſt. Eccleſ.* traditur, Tyridatem per Baptiſmum liberatum fuiſſe à maleficio; & Boetius idem refert de Caſano rege Tartarorum: idem docet Del-Rius *lib. 6 mag. q. 3. ſect. 3. c. 2.* Confirmatio in idem valet, ut tenent Del-Rius & Moura, & D. Clemens. Sacramentum pœnitentiæ non minus valet, ut tenent Hector Boëtius *hiſt. Scotorum, lib. 8.* Metaphraſtus, Joannes Diaconus, Cæſarius, & alii. Nec minus utile Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, ut tenet D. Bernardus *lib. 2. vita cap. 3.* D. Auguſtinus *lib. 22. de Civit. Dei. cap. 8.* Metaphraſtus in vita Theodori, Gaufridus & alii; quod confirmat, quod omnes Hiſtorici Indiarum affirmant, quod Dæmones ab illis effugerunt ſtatim, ac Chriſtiani ad illos adducti ſunt Sacerdotes, qui Pœnitentiæ inſtituerunt Sacramentum. Præcipuè hac in re juvat admirabile Euchariſtiæ Sacramentum, *ex Concilio Tridentino. ſeſſion.* 25. ex Antonio Senenſi *in Ord. Prædicat.* ex Metaphraſto, *in vita S. Augent.* ex Moura *ſect. 2. c. 13.* Conferunt Miniſtri Eccleſiaſtici: quia ex D. Matth. *c.* 10. *Dedit illis poteſtatem Spirituum immundorum: ut ejicerent eos & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.* & ex D. Marco, *c.* 3. *Dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi Dæmonia,* & ex D. Luca *c.* 9. *Dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent.* Ex quibus conſtat contra Sennertum, quantum valeat Eccleſia cum ſuis miniſtris ad curandos morbos à Dæmone inductos, valet etiam ad ipſum fugandum aqua benedicta, ut tenent Surius *in vitis Sanctorum*, Del-Rius *lib. 6. magic. q. 3. ſect. 3.* Francus Lopez in hiſt. Mexicana: Juvat invocatio ſanctiſſimi nominis JESU, ex D. Marco: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Invocatio ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis, *ex Gen. c. 3. Ipſa conteret caput tuum:* & crucis ſignaculum ex D. Athanaſio, *lib. de Verbo incarnato.* D. Cypriano, *ſer. de Paſſione Chriſti.* D. Gregorio Nazianzeno *in Julianum.* D. Auguſt. *lib. de ſymbolo.* Sunt & alia media, quibus utitur Eccleſia, quæ quàm utilia ac proficua ſint ad dæmones fugandos, ad morboſq; ab ipſis inductos profligandos, deductum eſt à diuturnis experientiæ documentis.

§. VII.

Morbi malefici indigent auxiliis naturalibus à Medicis cognitis plerumque.

DÆmon, ut diximus, morbos inducit vel ſola ſua poteſtate, vel ſimul cum concurſu cauſarum naturalium, ejus poteſtatem nulla auxilia naturalia ſuperant, nec ad aliquid agendum poſſunt cogere, ut tenent DD. *in cap. firmiter, de ſumma Trinit.* D. Thomas *p. 1. q. 110. art. 3. lib. 3. contra Gentes c.* 10. Abulenſis *in Num.* 21. *q.* 20. & *Reg. 1. cap.* 16. Thyræus, *de Dæmoniacis, cap.* 45. Martinus del-Rio, *libr. Magicar. quæſt.* 30. *ſect.* 1. & *lib. 6. cap. 2. quæſt. 3. ſect. 2.* Suarez, *tom. 3. p. 3. diſput.* 15. Majolus,

lus, *tom. 2. canicul. colloq. 3.* Raphaël de la Torre; *tom. 2. de vitiis oppoſit.* Si verò dæmones morbos inferant, utendo cauſis naturalibus, nihil addentes ex ſua malitia, poſſunt prodeſſe medicamenta per ſuas naturales virtutes ad illos curandos, ut Torreblanca demonſtrat, *in epitome de Magia lib. 2. cap. 52. & lib. 12. de jure ſpirituali, cap. 26.* Comprobat ex Joanne Euſebio, *p. 2. Curioſæ Philoſophiæ lib. 1. cap. 47. & ſequentibus*, ex Andrea Cæſalpino, *libr. de inveſtig. Dæmon. cap. fin.* ex Sprenger, *in malleo maleficor.* ex Megno, *tractat. in malign. ſpirit. c. 3.* & tenet Codronchus, *lib. 4. de morb. veneſ. cap. 2. §. Dæmones ad inferenda mala perſæpe rebus naturalibus utuntur, varias obſtructiones, vel intemperies modo mitiores modo validiores procurando, continuum ſolvendo noxios humores concitando, vel utiles putrefaciendo ac deleteria, pravaq; qualitate coinquinando, ac ad principalia, vel ignobilia traducendo, poterit & medicus obſtructiones tollere, intemperiem corrigere, unitatem reſtituere, humores compeſcere, quod putridum eſt educere, & pravam, ac venenoſam qualitatem debellare.*

Similiter Carolus Valleſius, *lib. 2. Prognoſtic. comm. 6.* inquit: *Concitantur aliàs à dæmone morbi ex agitatis humoribus, qui ſi à prudenti medico expurgentur Pharmaco, ſtatim deſinunt.* Martinus Rulandus, *Cent. 3. obſervat.* 100. obſervavit, quod fœmina à dæmone obſeſſa laborabat Melancholia, à qua melancholico humore expurgato liberata eſt. Nec de iis morbis loquitur Pontifex, *in cap. ex litteris de frigid. & maleſ. cap. nec mirum 26. qu. 5.* nec Grillandus, *de Sortileg. q. 2.* dum contendunt maleficia non poſſe devinci ope medicorum: loquuntur enim de morbis à dæmone inductis ſe ſolo ſine concurſu rerum naturalium, aut humorum.

Nec tamen admittimus hujuſmodi morbos poſſe curari balneis, vomitoriis, ſuffumigiis, aut aliis remediis indifferenter ſumptis, qualiter exorciſtæ utuntur, quia ut bene Codronchus notavit, adhuc pro quibus ſunt utilia, certâ methodo indigent, aptaque materia, ut ipſe, & Torreblanca proponunt, minuſque admittendæ ſunt aliæ herbæ, aut radices, quas ad expellendos dæmones, Plinius, Ariſtoteles, & alii judicant conducere, quia ut ſupra diximus, nulla eſt virtus naturalis, quæ exuperet vim dæmonis.

Cum igitur hæc fœmina morbos patiatur inductos per humores à dæmone exuperantes in corpore (ut patet ex dictis) indiget medicorum curatione, quæ ſit Dogmatica, & rationalis quæque fiat deſumptis indicationibus à morbis, & eorum cauſis; Si enim ab iis tantum dependent morbi, medicis auxiliis tentanda eſt curatio; Si autem foventur à dæmone, cùm concurrat non ſolâ virtute propriâ, ſed ſemetipſum immiſcendo humoribus, ipſoſque commovendo: Si auferatur cauſa, per quam decrevit operari, ipſâ ablatâ, auferentur morbi, ſicut auferuntur ablato ſigno pacti maleficii, adhuc ſi ſolâ ſuâ virtute morbos inferat.

§. VIII.

Qualiter liceat ſigna maleficii deſtruere ad illud auferendum.

SUpervenit alter modus curationis pro morbis hujus ægrotantis, ſcilicet recurrere ad auferendum maleficium, ad quod concurrunt (Deo permittente) Maleficus, ſeu ſaga faciens pactum cum dæmone & ipſe

Digitized by Google

ipſe Dæmon, qui concurrit operans maleficium pacto præſuppoſito, & ſignum ſeu inſtrumentum maleficii, quod fuit lamina cum ſuis inſcriptis figuris, & cor cereum illius orificio intromiſſum, quæ ſunt ſigna pacti, à quibus videtur curatio petenda: Recurrere vel ad Dæmonem vel ad Magos, ſeu Sagas, impium eſſet, & execrabile vetitum à Deo, *Levit. cap. 9. & cap. 20, & 4. Reg. cap. 1.* ubi ſic habetur: *Nunquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub. Deum Acheronis, quamobrem hæc dicit Dominus, de lecto ſuper quod aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Unde nec licet uti ope ſagarum, quia nequeunt adjuvare niſi imprecando Dæmonem, cum quo fecerunt pactum, ut tenent Martin. de Arles, *tractat. de ſuperſtit.* Navarrus *in manuali,* Suarez *de Religione,* Sanchez *de Matrimonio,* Leſſius *libro 2. cap. 4.*

Si autem ſignum maleficii obtineatur ſine recurſu ad maleficos, aut Sagas, ut contigiſſe fertur in hac Ægrotante; vel liberè & ſine recurſu ad Dæmonem offeratur à Saga aut Malefico, licebit deſtruere ſigna pacti vel maleficii. Inquit enim ex noſtris Carolus Valleſius: *Juvat maleficii ſigna inquirere, eaque deſtruere, non aliter enim, quam Idola confringere virtutis eſt, ita & reliqua Dæmonum opera evertere præſtat.*

Sed hoc docet luculentius Torreblanca *libr. 12. de jure ſpirituali, cap. 25.* dicens: *Quæ ſigna & alia hujuſmodi, quibus Maleficus conſtituit, vel pactus eſt cum Dæmone, ut donec illa appenſa ſint, vel tali loco ſepulta, malum inferat: licitum eſt ea auferre ut opera Diaboli deſtruantur, & hominibus nocere deſinant.* Quod documentum demonſtrat ex Scoto, Cajetano, & Soto: & comprobat exemplo adducto à Cardinali Bellarmino ſic dicente: [In publicis prælectionibus, cum vellet concionari, loqui non poterat, accidit, & ſecundò & tertiò, videns id non eſſe rem naturalem, in concione ſibi tantum vocem præcludi, votum vovit Sanctæ Agneti, quæ erat loci Patrona, invenitque ſigna in ſuggeſtu capillos inter ſe ligatos, & ſimilia, comburit ergò illa, & vox illi reſtituitur.] Similia exempla refert à Codroncho, Sprengerio, Del-Rio, & aliis, relata eorum, qui concrematis, & deſtructis ſignis pacti, & maleficii ab illo liberati ſunt. Ex quo apparet, quod lamina deſtructa & concremata, poterit patiens hæc liberari à maleficio. An autem poſſit deſtrui inſtrumentum maleficii ſine incommodo maleficiati, dubitant aliqui; quia poſſit fieri pactum conditionaliter, ita, ut periret æger, ſi inſtrumentum deſtruatur. Sed licet Deus permittat pactum, non tamen ita, ut auferat omnem ſpem ſalutis maleficiando, nec ex toto impedit, ut diximus, quin poſſint prodeſſe auxilia naturalia. Nec aufert Eccleſiæ poteſtatem, quæ ex toto auferretur per hoc duplicatum pactum; nec in hoc maleficio amatorio poſſet hoc contingere, licet poſſet timeri in maleficio venefico. Magis poſſet obſtare, quod, ut diximus ſolent ſagæ, applicando igni figuras cereas, aut ſigna maleficii, ægros interimere, vel contabeſcere, quod non impedit, ut hæc lamina deſtruatur, nam variat affectus juxta diverſos fines operandi circa ſigna pacti: ſi enim fiat pactum cum Dæmone, ut pereat æger, ſi ſignum pacti liquefiat: tum perit æger, quia ſagæ adimplent pactum, liquefaciendo, aut deſtruendo ſignum ejus, & obediendo Dæmo-

Dæmoni, qui eis jubet, ut liquefaciant illud ad deſtruendum ægrum: qui verò deſtruunt Dæmonis maleficii ſignum, ut deſtruant opera Dæmonis, impediendo illius pactum, & refrangendo poteſtatem, & in illius contemptum, ii non operantur cum illo, ſed ejus impediunt opera, & deſtruunt. Ideò in Sagis deſtruere, aut comburere imagines cereas, aut inſtrumenta maleficii, eſt facinus deteſtabile; in eis verò, qui ea deſtruunt in contemptum Dæmonis, & ad deſtruenda illius opera, eſt meritorium, ut demonſtrat Torreblanca *in Epitome Magiæ lib.* . *cap.* 52. & tenet Scotus *Sentent.* 4. *diſtinct.* 34. dicens: *Ex quo patet: quid dicendum ſit illi quæſtioni, an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum. Non enim ſolum licet, ſed eſt meritorium deſtruere opera Diaboli; nec in hoc eſt aliqua infidelitas, quia deſtruens non acquieſcit operibus malignis.* Et licet non poſſet cogi ut diximus maleficus ad auferendum maleficium implorando Dæmonem; poſſet, ſi non haberemus laminam hujus maleficii, cogi maleficus, qui illam fecit ad ipſam deſtruendam, inquit enim Cajetanus: *Nec eſt opus malefici, ut maleficium eſt, ſed hominis ſcientis impedimentum proximi ſui, quia nulla hic intervenit invocatio dæmonis, ſed ſola deletio ſigni, quo durante Diabolus ſtatuerat malum alterius continuare.*

Confirmat hanc doctrinam Cardinalis Bellarmini ſupra adductum exemplum: ex quo conſtat, Concionatorem concremato pacti inſtrumento, liberatum fuiſſe ab impedimento concionandi. Codronchus *lib.* 1 *de morbis veneſ.* Delrius *libr.* 6. *cap.* 2. *ſect.* 1. *q.* 2. Sprenger *in malleo. p.* 2. *quæſt.* 1. Ceſalpinus *de inveſtigat. Dæmonum. c.* 17. Ronſæus *in Medic. venenat. cap.* 20. Majolus *tom.* 2. *colloq.* 3. citati à Torreblanca plures ſimiles referunt hiſtorias eorum, qui ligati & maleficiati erant, & deſtructis inſtrumentis, ſeu ſignis maleficii, à morbis per illa inductis, liberati ſunt.

Ratio hujus eſt: quia in tantum operatur Dæmon, in quantum perſeverat pactum, & in quantum permanet ſignum & inſtrumentum pacti: & ideò illo ablato inſtrumento, ceſſat & pactum neceſſario, quo ceſſante, non eſt dæmoni poteſtas ulterius nocendi; aliàs enim ſemper noceret hominibus; *Quia tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret.*

CONSVLTATIO II.

De Morbis & Interitu Magni Philippi Quarti Hiſpaniarum Regis.

CONTINET

§. I.

Catholici Regis morborum ponitur diſcurſus uſq; in interitum.

§. II.

Priorum morborum infeſtantium Regis ſalutem, proponimus naturas.

§. III.

Horum omnium affectuum unam admittimus cauſam in Rege originemque.

§. IV.

Proponuntur morbi obitum Regis accelerantes.

§. V.

De curatione, quæ pro prædictis morbis profligandis fuit adaptata.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

De lapide in rene invento cum pure & de illius magnitudine in cadavere Regis

§. VII.

De nebulonibus qui Regis curationi ſeſe obtulerunt.

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I.

Catholici Regis morborum ponitur decurſus uſque in interitum.

ANno à nativitate Domini 1665. die octavo menſis Aprilis noſter Catholicus Potentiſſimus Hiſpaniarum, & Indiarum Rex Magnus Philippus Quartus, ſuæ ætatis ſexageſimum adimplevit annum, totiuſque vitæ ſuæ terminum in eodem anno die 17. menſis Septembris poſt matutinam diei quartam horam. Ab ineunte ætate vexatus fuit catarrhosâ fluxione, nullis pro ipſa uſus fuit remediis; præter hunc verò affectum nullis morbis intra vitæ ſuæ curſum aſſiduò infeſtatus, uſque tandem pervenerit in ſenectutem, in qua conſtitutus alios habituales excepit morbos, qui paulatim accumulati ſunt, quorum primus ſupervenit ſtupor in brachio, & crure dextri lateris, qui decurrente tempore ſubſequutus fuit etiam in ſiniſtro, tandemque in utroque, ferè abiit in paralyſim; poſt hunc ſupervenit tabes, ſeù univerſalis totius corporis conſumptio; prædictis per tres annos ante obitum ſubſequuta eſt periodica dyſuria, quæ tandem migravit in continuam cum nephritide prius conjunctam, poſtea verò mictui ſanguinis aſſociatam, his omnibus intervenit ventris adſtrictio, quæ non parum moleſta fuit, poſthæc tandem omnia hæmorrhoïdalium venarum internarum prolapſus ſuper greſſus eſt.

His omnibus ægre ingraveſcentibus malis, viribuſque collapſis, factus eſt impotens ad motum omninò conſumptus Rex, qui preſſus doloribus, omnibus actionibus imminutis, quorum omnium poſthabuit curationem, quinimò omnem Medicorum opem ſemper renuebat, excepto, quòd per menſem ante ſuum obitum illam exoptavit, tuncque Archiatros conſulendos decrevit: qui cum pro eo tunc naturam reluctantem, omnia irrita facientem adverterint, nullam ſalutis polliciti ſunt ſpem; pro morte tamen, & inſtituto ſuæ Artis, palliativam curationem tentarunt, lacque aſinæ per decem dies obtulerunt ad ſummam carnis conſumptionem, & tabem retardandam, pro renis vehementi dolore lenitivis inunctionibus uſi ſunt, & per aliquot dies conſerva florum malvarum, innumera alia remedia, quæ indicata fuerant non pervenerunt ad uſum, & hoc ideò vel quia Rex renuit, vel vires non ſubſiſtebant pro illis. Tandem ſola victus ratione utebamur uſque in diem duodecimam Menſis Septembris, in qua mane hora ſecunda commota eſt alvus, & præter conſvetudinem bis dejecit magnam fœcum copiam; Veſperi iterum commota eſt, Rex permanſit in lecto ſine febre, & aliis accidentibus. Die verò ſecundâ ab eadem hora ſecunda noctis, ventris fluxus abiit in bilioſam diarrhœam, commota bile, ſupervenit uſtiva & ardens febris cum anxietate, pervigilio, & intenſiſſima ſiti, & linguæ ſcabritie, quæ in finem permanſerunt, præter bilioſam diarrhœam, quæ ſubſequente die tertia, mutata eſt in cruentam dejectio-

dejectionem mictui cruento ſimilem, à qua ille levabatur: hac die urgente periculo, ab Archiatriſque propalato, Rex finivit teſtamentum, & pro viatico recepit Auguſtiſſimum Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum, noctu, ingraveſcentibus omnibus, præcipuè in ingreſſu quartæ diei, cruenta ventris dejectio numero, & quantitate adaucta fuit, & ferè in continuam migravit: Veſperi in aſphyxiam tendebat vitalis virtus; Unctionis ſacræ Sacramento munitus fuit Rex, & conſcius appropinquantis mortis, conſtanti, & æquo animo ſe totum tradidit Patribus Spiritualibus, cum quibus (ſui ferè, & ſuorum dolorum oblitus, terreſtriumque rerum immemor) in contritionibus, & actibus amoris Dei permanſit uſque in horam quartam quinti diei morbi, à qua rectricibus viribus delapſis, Rex permanſit in agone per dimidiam horam, poſtquam vitam cum morte commutavit, ad ſuperoſq; migravit.

Quod apud nos permanſit cadaver pro munere condiendum curavimus, & cum ſæpius Rex conqueſtus fuerit de dextero rene, à quo lapides fuerunt pluries excreti, & poſt mictum ſanguinis nos dubii eſſemus, an ab ulcere, an à lapide renis proveniret, renis ſectionem tentavimus quem invenimus nimis imminutum: Sectione verò facta invenimus incluſum in parenchymate lapidem; qui caſtaneæ æmulabat formam, & quantitatem, cum tribus in circuitu eminentiis inæqualibus: reliquum parenchymatis renis corruptum erat, & in pus mutatum.

***

§. II.

Priorum morborum infeſtantium Regis ſalutem, proponimus naturas.

MOrbi, qui ſupervenerunt Regi in decurſu ætatis, præcipuè in Senectute affectus ſunt communisſimi, quorum naturam aperuerunt Hippocrates, Galenus, Avicenna, & eorum Commentatores: Juniores Practici, & Conſulentes. Eorum antiquior, & primus fuit Catarrhus, qui *eſt fluxus materiæ quàm maximè pituitoſæ à capite in ſubjectas partes, præcipuè in os, aſperam arteriam, palatum, vel pulmones*, ex Galeno, *lib. 3. de Cauſ. Symptom. cap.* 4. & de quo Hippocrates *libr. de morbis*, omnes percurrit differentias. Inter juniores plura de illo obſervarunt, Ballonius, *lib. 2. conſult. 1.* Crucius, *cap.* 25. Tranſverſarius, *fol.* 226. Hildanus, *Conſil.* 13. Joannes Colle, *fol.* 153. Mercurial. *tom.* 1. *Conſil.* 21 Montagnana, *Conſil.* 74. Montanus, *Conſil.* 226. Poter, *centur.* 1. *curat.* 1. Scoltius, *Conſil.* 4. Zechius, *conſil.* 12. ut tenet Moronus.

Tabes verò eſt *conſumptio partium corporis*, ſeu carnium diminutio, earumvè contabeſcentia, ex Galeno *lib. de maraſmo*, pro qua varia obſervarunt Ballonius, *lib.* 1. *conſult.* 2. Epiphanius; *hiſt.* 65. Faventinus *conſil.* 40. Fernelius, *conſil.* 19. Guarinon, *conſil.* 87. Horſt, *fol.* 167. Trincavellus, *lib.* 3. *conſil.* 103. Venuſtus, 2. *p. conſil.* 2. & ex eodem.

Stupor, *eſt diminuta Paralyſis*, ex Galeno, *lib. de cauſis Symptom.* Vel eſt morbus officialis, faciens evenire in ſenſu tactuali nocumentum cum tremore, ſi eſt debilis; aut mollificatione; ſi eſt confirmatus, ut tenet Avicenna, *lib.* 3. *Fen,* 2. *tract.* 1. *cap.* 1.

Digitized by Google

De quo plura obſervarunt Bruner. *Conſil.* 20. Faventinus, *Conſil.* 10. Fernelius, *Conſil.* 2. Platerius, *lib.* 1. Theodoſius, *ep.* 57. Wolf. *Centur.* 3.

Dyſſuria, eſt mictio doloroſa, frequens cum expulſione lotii, non ita confertim facta, ſicut in ſtranguria, ex Galeno, *lib. de loc. affect.* De quo affectu plura obſervarunt, Augenius, *lib.* 4. *epiſt.* 3. Ballonius, *tom.* 1. *conſult.* 99. Mercurial. *tom.* 1. *conſult.* 7. Montanus, *Conſil.* 29. Schenckius, *libr.* 3. *obſervat* Solenander, *conſult.* 18. Zecchius, *conſult.* 88.

Ventris adſtrictio, ejus eſt tarditas in fecum expulſione, ex Galeno, *lib.* 3. *de ſympt. cauſ. libr.* 1. *de ſanit. tuenda.* Pro quo plura obſervat digna, & propoſuimus *tom. Reſol. Medic. p.* 6. & Cermiſon *Conſil.* 12. Crucius, *cap.* 16. Hildanus, *cent.* 3. *obſervat.* 75. Lælius à fonte, *concil.* 55. Matthæus de Gradi, *conſil* 54. Montagnana, *conſil.* 134. Scholtius, *conſil.* 191.

Laxitas internarum venarum ſeu inteſtinorum, eſt prolongatio, ex Galeno, *de cauſa ſympt.* ex Hippocrate, *lib. de hamorrhoïdibus*, ex Celſo, *lib.* 6. Pro quibus obſervarunt aliqua, Cermiſon, *Conſil.* 19. Mocha, *Conſil.* 12. Vigo, *Conſil.* 89. Amatus, *cent.* 5. *curat.* 93. Mercurial. *tom.* 4. *Conſil.* 45. Montagnana, *Conſil.* 171. In quibus horum omnium affectuum, ſeorſim variæ prælucent cauſæ: Nos verò horum omnium in Rege omnes ad unam reducemus originem.

§. III.

Horum omnium affectuum unam admittimus cauſam in Rege, originemque.

Licet pro unoquoque affectu variæ ab aliis ſunt obſervatæ cauſæ: Nos à capite Regis intemperato omnes oriri judicavimus, nullum enim aliud viſcus apparebat læſum. A capite verò cœpit ab incunabulis catarrhoſa fluxio, & per omnes ætates invaluit. Caput etiam omnium morborum cauſam judicavit Fernelius, nec in hac re diſceſſit ab Hippocrate, qui *lib. de glandulis* inquit: *Caput ſupra ſitum eſt ſurſum, humiditatum ex reliquo corpore complectens, & corpus ſimul vapores omnis generis ſurſum in caput demittit. Non enim immorari, aut manere poteſt id, quod fluit, non habens ubi ſedem firmet, niſi ſanè caput ægrotet.* Cum igitur caput Regis ægrotaverit à prima ætate, ut demonſtravit Catarrhus, impoſterum permanens ſenectute ſuperveniente, ab eadem intemperie adaucta ob ætatem, ſubſequuti ſunt reliqui affectus, recrementis in ſenectute luxuriantibus, ob diminutum calorem, ut docet Galenus, *lib. de ſanit. tuenda*, & *lib.* 7. *Methodi cap.* 4. & *lib de facult. naturalibus.* Unde Catarrhoſæ fiunt fluxiones in ſenibus, & ſi ſiccior ſit ætas ob ſuperabundantes cruditates à diminuto calore genitas, impotenti ut eas reſolvat.

Tabes ex ſuperfluis in capite ſuccis poteſt ſupervenire, quia refluentes ad venas impurum reddunt ſanguinem, qui ideò ingratus naturæ alendo fit inutilis, quod ſupervenit à quocunque humore ſanguinem impurum reddente, ut demonſtrat Mercurialis, *lib. de morb. pueror.* agens de tabe; hoc idem monſtrat experientia in cacochymis, Gallicis, elephantiaticis; & obſervavit Hippocrates, *in libr. Epidem. in viro Oniadit*, & Galenus, in Matrona Romana; & Joannes Baptiſta Montanus, *Conſult.* 238. qui ex hoc infert, quod *licet humores redundent in corpore, non nutriunt niſi*

niſi ſint grati naturæ. Nec ſolùm fit ſanguis nutritioni ineptus à falſa illi commixta pituita, aliove vitio coinquinata, ſed à pituita dulci, ſi à capite refluat in venas, quod obſervans Venuſtus inquit, *in obſervat. de juvene Catarrhoſo tabido.* [Non enim pituita conſpicitur falſa, nec putrida, nec fœtida, quæ ſola copia, & motu peccare videtur, generatur autem in capite ob illius intemperiem humidam, ut demonſtrant inculpatæ actiones jecoris, & ventriculi: unde cum in toto corpore nulla ſit intemperies, & optima fiat ſanguinis generatio, macies illa, nulla alia ratione fieri poteſt, niſi quia cum ſanguine permiſcetur aliquid illius materiæ pituitoſæ, quæ in corpore generatur, & ideo ſupra dixi, maciem ſobolem eſſe diſtillationis.] Hæc eadem ratio occurrebat in Rege, in quo licet poſſet eſſe ſuſpicio de tabe nephritica in ultimis annis, non tamen ab initio tabis, quæ incepit per octo annos ſaltim ante obitum, & renis dolor per tres tantum annos ante illum; ſigna verò ulceris poſt paucos ante menſes.

Quòd verò ſtupor fiat communiter à ſuperflua redundante in capite pituita, norunt omnes Practici, confirmavit Paulatinus illius proventus, ex quo apparuit quòd, provenerit ſtupor ex humida intemperie nervorum, & muſculorum à fluente pituita ex capite in illos, quam cauſam manifeſtam reddit præ reliquis Avicenna, *Fen. 2. 3. tract. 5. c. 13.* Ubi per hoc diſtinguit ſtuporẽ paulatim ſupervenientem ab eo, qui fit ſubitò: quia hic fit ob obſtructionem nervorum, ille verò per alterationem humidam à pituita communicatam. Quod confirmant illius Commentatores, & Dominicus Maglioca latius idem proſequitur.

Dyſſuria, quod proveniat ſæpè à pituita redundante in cerebro docuit Hippocrates, *lib. de glandulis. & lib. de morbis 2. in principio,* dicens: *Multum urinæ emittitur, ubi caput nimium incaluerit, liqueſit enim in ipſo pituita, liqueſcens enim ſuccedit partim ad nares, partim ad os, partim ad venas, quæ ducunt ad pudendum: cùm autem ad illud devenerint. mingit homo, & patitur quemadmodum ad urinæ ſtillicidium.* Idem obſervavit Montanus, *Conſil. 267.* & Petrus Salius, *in Comment. ad librum Hippocratis de morbis.* Et licet ratione lapidis renis foveatur dyſſuria, ipſe lapis valuit generari in rene ab humoribus delapſis à capite, in renem, & tandem potuit dyſſuria foveri à capite.

Ventris adſtrictio, ut diximus *tom. Reſolut. Medicarum part. 6.* varias habet cauſas, inter quas non infrequens eſt ſtupor partium deſervientium fæcum expulſioni, qui ſtupor modo dicto, à cerebro ducit originem.

Simul & defluxus à capite in menſenterium, & inde in venas hæmorrhoïdales valuit præſtare materiam, ob quam repletæ venæ hæmorrhoïdales prolongarentur vel laxatæ ab humiditate illis communicata.

§. IV.

Proponuntur morbi obitum Regis properantes.

Accedentem Regem ad annum ſexageſimum periodici dyſſuriæ inſultus continuò affligebant. forſan ab eo tempore, quo lapis in rene dextro argumentũ ſuſcepit, nephriticus dolor pluries ſupervenit, non à renis magno lapide, aliàs eſſet continuus, & non periodicus, ſed quia

parvi alii lapides circa illum geniti expellebantur, & in motu per ureteres dolorem excitabant, torporemque in crure.

Supervenit poſtea mictus ſanguinis ſive ex ulcere à lapide; ſive quia lapis impediebat, quo minus ſanguis attractus pro renis nutritiòne retineretur; vel ob debilitatem facultatis retentricis renis, & laxitatis parenchymatis orta ex concluſo lapide, ob quam non poterat retineri ſanguis, qui cum ſero adducebatur, quam cauſam invenit Higmorus *lib. 1. p. 3. cap. 4. §. ſanguis vero qui extra venas effluxerit cum ſero, ſi benè ſe habent renes, retinetur, ſin minus ſi parenchyma laxum ſit, & debilis illorũ facultas, cum ſero ejicitur, & vrina ſiũt cruenta.* Hanc cauſam repetunt cum Galeno, qui pertractant de mictu ſanguinis, licet in determinandis viis per quas mittitur ſanguis in renem, differant; ex iis patet, cur ſine dolore cruentæ fuerant urinæ.

Propèque mortem continua facta fuit mictio cruenta, & ſupervenit febris ardens; quia die ſecunda commota eſt bilis apparuitque ſimul diarrhœa biliosa cum ſiti inextinguibili, & lingua arida, ab eodem commoto humore promanantes. Poſtea bile concluſa in viſceribus, & venis, ſimul emanare cæperunt per lotium, & ventrem cruentæ dejectiones, ſubſtantia ſimiles, frequentiàque, & propè mortem continuæ, quæ corpus exangue & exanime reliquerunt. Decurſum ſanguinis ad renes tenent Galeni Sectatores, fieri à jecore per ureteres cum ſero, qui poſt peractam humorum generationem in jecore ſeparatur ab illis; Higmorus admittens cum Harveo ſaguinis circulationem, aliam adinvenit viam: inquit enim, quòd deſcendit à corde per emulgentes arterias, negat tamen, quòd poſſit per ureteres deſcendere ob valvulas impedientes; admittitque quòd per illas potius à renibus ſurſum aſcendit: inquit enim: *Sanguis verò qui cùm ſero per arterias renales introduceretur, cum in illorum nutritione totum abſumi nequeat, venis, quibus per anaſtomoſes junguntur arteriæ emandantur, ac hinc in venas emulgentes, & exinde in cavam, ut fuſius ex eorũ inſtructura docebimus. Hinc procul dubio in renum ulceribus, ſi quando obſtricto ureteris capite pus cohibeatur, ut per urinas evacuari nequeat, id ſenſim una cum ſero per venam emulgentem in venam cavam redundans ſanguis totum corporiſque habitum coinquinabit: Quæ etiam ex cauſa calculoſos tumere, ac palleſcere ſapè animadvertit Fernelius, ut ipſe libr. 6. de part. morb. cap. 12. memorat.* Ex iis & nos deducimus, cur per has arterias potuerit cauſari periodicus motus ſanguinis, qui ſi fieret ratione lapidis ſanguine per ureteres deſcendente ſemper eſſet continuus. Apparet etiam ratio ob quam ex mictu ſanguinis copioſiore minuebatur cruenta ventris dejectio, ſimul & quod ex hac circulatione ſanguinis à corde per arterias in renes, & à renibus per ureteres in venam cavam, & inde in inteſtina, per vias per quas ſe in plenitudine exonerat in ventrem communis ille refluxus totius ſanguinis fuerit commotus, poſt diarrhœam bilioſam, per eaſdem vias per quas bilioſus prius humor trudebatur.

******

§. V. De

§. V.

De curatione, quæ pro iis morbis fuit adaptata.

LIcet morbi augebantur in Rege; renuit tamen ipſe omne auxilium uſque ad duos menſes ante obitum; quo tempore tabidus ex ſenio & morbo, ac omninò conſumptus, continuò dyſſuria vexatus, & mictu ſanguinis periodico, impotens ad omnem localem motum brachiorum, & crurum, coactus eſt auxilia appetere, quo tempore (natura reluctante) omnia irrita fore judicabamus: quia ſerò medicina paratur; Dum mala per longas invaluere moras. Devenimus ad conſultationem àttentis morbis, & eorum cauſis, juxta earum diverſitatem diverſa remedia indicata eſſe demonſtravimus; ſed pro omnibus fere celebrandis deficiebant vires; deficiebatq; Regis aſſenſus. Converſi igitur fuimus ad curationem palliativam, reſtaurando vires, & mitigando accidentia; quæ illas reſolvere valebant. Lac exhibuimus aſinæ per decem dies: renuit enim rex ultra progredi in ejus exhibitione licet ſumma illius contabeſcentia hoc exigebat auxilium, & in exhibitione bene ſe habebat. Pro renis infeſtante dolore inunctionibus anodinis uſi fuimus, & conſerva florum malvarum; in reliquis etiam inſiſtebamus in debita præſcribenda victus ratione: quo tempore confeſtim vitæ inſidiantur diarrhœæ, febris ardentisſima; ſanguinis fluxus per ventrem, & urinam; cognitoq; lugubri ac lethali eventu, & cum fruſtra eſſet tentare parva auxilia, & pro magnis deficerent vires; hoc præcipuè mente premebamus caventes, ne exhibito medicamento aliquo Rex periret, turpiſq; ex eventu calamitas acclamaretur, ad animæ auxilia properanda converſi; ea pro tempore exhiberi ſumus conſequuti.

§. VI.

De lapide in rene invento cum pure, & de illius magnitudine in cadavere Regis.

CUm Archiatri pro munere adfuiſſemus pro condiendo cadavere Regis, dubiique manſerimus de dextri renis aſſiduo dolore, ſcilicet, an à lapide, an verò ab ulcere foveretur, illius tentavimus à Chirurgis diſſectionem fieri, invenimus illum valde diminutum; intra ejus parenchyma erat lapis æmulans caſtaneam in magnitudine & figura, aſper & in circumferentia cum tribus inæqualitatibus, ſeu eminentiis circũfuſis pure, in quod reliquũ parenchymatis abierat.

Lapides generari intra corpus non eſt admirandum: *tom. enim Reſolutionum medicarum p. 6. conſult.* 13. comprobavimus ex variis Authorum obſervationibus, nullam dari in corpore cavitatem, in qua non fuerint obſervati, & tenet Nancelius *Microcoſmi ad Microcoſmum lib.6.cap.9. Certus* (inquit) *in omni capacitate interna, ſi calor & materia idonea ſubſit calculum gigni poſſe vel adeò in corde pericardio, pulmone, cerebro, collo, veſica utraque, & aliis partibus innumeris, ſed in veſica potius urinaria ob recrementum pituitoſum, illuc ex toto corpore commeans:* Quæ eadem ratio currit, ut generetur lapis in renibus, per quos trahitur materia illa craſſa, ex qua fit lapis, non ſolum quia craſſa, ſed quia lapidea & glutinoſa, facta vel ob partem in qua alteratur ratione diſpoſitionis, vel ex cibis trahens glutinoſitatem.

De lapidoſa hac materia, à quo efficiente formam recipiat, concertant Authores antiquiores Galeno adhærentes, tribuuntque calori efficientiam, ſicut in furno ab eodem calore fiunt lateres ex glutinoſa materia; Ex ſimili à noſtro calore tenent fieri lapides juniores, qui lapidificam in corpore ſuperaddunt facultatem, à qua generantur lapides; ſed iſti vermificam, lumbrificam & pedicularem debent addere facultatem, & ſi ſpecificam eſſe admittant, in omnibus erit tanquam riſibilitas; vel ſi eſt proprietas individualis, debet aſſignari ratio hujus. Ego vero judico, quòd in lateribus accidentalis forma duritiei poteſt introduci à calore; ſubſtantialis verò forma lapidis fit à cauſa univerſali poſita diſpoſitione ex parte materiæ, & à calore partis, à quo ſolo non poſſet generari.

Mirari licuit cunctis de lapidis magnitudine, ut enim diximus ex Nancelio, lapides fiunt in cavitatibus, & juxta earum magnitudinem; & ideò in veſica magni fiunt lapides; in renis cavitate parvi: ſed aliquibus inauditum apparebat, quod extra cavitatem in parenchymate renis ſit generatus lapis, ſed ſimilis magnitudinis alios obſervavit Schenkius, pluresque numero ſaltim; Celius enim *lib. 3. cap. 12.* adducit exemplum mulieris, quæ numero decem & octo lapides magnitudinis quantum in teſſeris videtur, excrevit, ex renibus per ſpondilia ad cutem; & Cardanus *lib. 8. de variet. ex Alberto*, refert, ſe vidiſſe mulierem, à qua poſt gravem renis dolorem ſimiles lapides diſſectione ex illo ſunt extracti; Fernelius *libr. 6. Patholog. libr. 62.* calculum ingentem cum pure circa Ilia extractum refert; & aliæ ſunt ſimiles hiſtoriæ, ex quibus apparet, magnos lapides in renibus poſſe generari, nec ſolum in cavitatibus, ſed in parenchymate, ſicut erat congenitus lapis Regis ob continuam exulcerationem, vel debuit ipſa renis caro converti in lapidis ſubſtantiam, quod poſſibile judicat Nancelius ex Fernelii ſententia; inquit enim loco citato: *Et quidem ſubſtantia (inquam) ad naturam calculi tam propè accedens, ut rectè videantur Doctus Fernelius monuiſſe totam renum ſubſtantiam aliquando viſam lapideſcere.* Tulpius *lib. 2. obſervat. medicinal. cap. 44.* ſimiles videtur vidiſſe lapides, inquit enim: *Plumarum venditor emortuus ob renum, & pectoris vitia, habuit in utroque rene inſignem calculum diſpergentem ſe quadruplici ramo inſtar crucis per univerſum renem, adeo ut non potuiſſet inde eximi, niſi decerpſiſſes fruſtulatim totum ipſius parenchyma.* Quod etiam nobis in Regis lapide decerpendo contigit: Peucerus *de Præſtig. Medic.* refert ſe vidiſſe in diſſectione cadaveris Ducis Saxoniæ Friderici lapidem extractum ex renis parenchymate, magnitudinis duorum digiti articulorum; Joannes Portius de obſervationibus propriis refert ſe vidiſſe in rene lapidem pendentem drachmam unam & dimidiam. Renem tandem imminui ob contentum lapidem obſervarunt Jordanus *in reſponſione ad Paradoxum Jouberti 7. Decad. 2.* inquit ita: *Calotus è Nobili ſene mortuo, lapidem cuniculis actis, rene jam conſumpto &c.* Et alii apud Schenkiū. Quod ſimul ratione lapidis in pus vertatur parenchyma renis, præter alios obſervavit Fernelius *libro ſexto Patholog. capite duodecimo. §. Nonnunquam & illinc calculus ingens cum pure alias exceſſit, alias evulſus eſt. Hæc cùm accidunt, tota jam penè*

penè renis ſubſtantia putredine conſumpta eſt.

§. VII.

De nebulonibus qui Regis curationi ſeſe obtulerunt.

NEc ipſa Majeſtatis Regiæ Celſitudo immunis eſt à nebulonum inſidiis; cùm enim ſint homines deperditi, viliſſimi,& infimæ notæ in populo, videtur illis omne nefas poſſe aggredi,ac permiſſum eſſe. Nec defuerunt aliqui, qui Regis promittentes ſalutem conati ſint ex hac audacia ſuam ſperare auram, ac fortunam apud vulgus.Inter reliquos ante diem obitus Regis Presbyter quidam Italus venit ad aulam Regiam,promittens vitam regis ſecuram fore, & illum liberum evaſurum ab omnibus morbis, ſi illi permitteretur apponere emplaſtrum quoddam à ſe uſitatum,cum quo (aſſerebat) nullum eſſe morbum, qui certò & evidenter ſtatim non curaretur; quale autem eſſet, non manifeſtabat; ſed nimia illius audacia fuit hæc, ſiquidem in impoſſibilibus auſus eſt ſecuritatem promittere; quæ in poſſibilibus cautè adhuc à prudenti Medico adſtruenda eſt: ſed oblatio univerſalis remedii pro omnibus licet deſperatis morbis profligandis, ut in noſtro caſu evenit à prædicto Presbytero ſatis nota eſt doctiſſimis Medicis, quæ ſimilium nebulonum inſcitiam prodat potius, quàm aliquid emolumenti in rebus tàm arduis adferre poſſit. Impoſſibilitas Curationis morborum Regis præcipue dum jam erat in agone fecit nos cognoſcere hunc Presbyterum eſſe Agyrtam,& Circulatorem, Impoſtoremque ex eis, qui vagantur, & incertas habent ſedes; Ideoque & impoſſibilia nuda fronte promittunt; Et de quo cecinit Euricius Cordus:

> *Quemlibet in triduo promittis pellere morbum,*
> *Fortè quòd hinc quarto vis properare die.*

Alter ex noſtris Medicis ſenior jam eo die quo Rex ad Superos abiit per paucas horas ante ejus obitum conſcendit ad aulam Reginæ, vociferans, ut illi nuntiaretur,quòd habebat remedium, cum quo ſtatim Rex in integram ſanitatem reſtitueretur. Ignara Regina læſæ illius mentis imperavit ut ipſum audiremus, qui ingreſſus propoſuit, quod eadem die manè apud Authorem legerat, quòd hepar lupi erat utile ad hepaticam dyſenteriam, omnes conticuimus, riſum cohibuit luctus, ſeneſcentis illius ignorantiæ, quam potuiſſet prohibere Propertius:

> *Helleborum fruſtra, cùm jam cutis ægra tumebit,*
> *Poſcentes videas, venienti occurrite morbo*

Cùm jam Rex migravit è vita, alter inſurrexit Agyrta, ſic addens vulgaribus, quòd Rex obierat, quia Archiatri uſi ſunt lacte pro illius curatione.Hic licet plerumque ſuam fecerat fortunam contradictionibus vulgatis in reliquos Medicos, non potuit ſuadere intentum niſi apud aliquas mulierculas, viderant enim omnes Regem ante lactis exhibitionem quaſi miraculosè vitam ſuſtinere, & quod obiit ob ſupervenientem febrem ardentem cùm variis accidentibus, quæ non potuerunt à lacte fieri, cum potius ejus uſtioni, & bilioſis humoribus lac opponeretur, & quod pus, in quod renis parenchyma fuit commutatum, nec non ipſe lapis, à quibus properata eſt mors, non pendebant à lacte,

cum

cum lapis reliquorum cauſa per plures ante menſes fuerit congenitus.

Neq; apud Medicos invaluit hujus Circulatoris conatus: Cognoſcebant enim lac eſſe indicatum ex ſumma partium omniū Regis contabeſcentia, à qua indicari docuit Hippocrates *lib. 4. Aphoriſ. 64.* docens, debere dari *præter rationem conſumptis & tabidis.* Nec erat aliquod contra indicans, immò coindicabat ulcus, qui timebatur in rene, & adhuc ſi plura contraindicantia fuiſſent, quæ proponuntur loco citato ab Hippocrate, in tanta contabeſcẽtia lac ſemper exhibendum; inquit enim Mercurialis *in Commentario* movens quæſtionem: an ſummè conſumptis dandum eſt lac, & ſi aliqua obſtent, inquit: *Et certe in iis videtur, etiamſi adſit aliquod ſignum, convenire lac, propterea quod plus indicat affectus, quam prohibet prohibibens, ſiquidem in affectu eſt neceſſarium nutrire, ac ſpiritus, & carnes reficere, ne ager in certum interitum properet. Ad nutriendum & reficiendum nihil praſtantius lacte: quippe quod facile coquitur, immo elaboratione ventriculi non eget, ut docet Galenus 6. de placitis cap. 6. Ad hac multum atq; id optimum alimentum affert, etiamſi vaporoſum ſit: Jam verò illa ſymptomata non producunt nec feſtinant interitum unde non ideò prohibent, quemadmodum indicat affectus & conſtitutum eſt apud omnes, ſemper in illud quod magis urget, eſſe magis incumbendum.*

Ex quibus convincitur hic Sycophanta ad credendum, quod lac fuit rectè exhibitum, quia indicatum urgentisſima indicatione vincente quaſcunque contraindicationes. Galenus *libro 5. de ſanitate tuenda, cap. 7.* Nec ſolum lac utile judicat ad ſummam conſumptionem carnium reparandam, ſed ad vitam in ſenibus prolongandam, ob quod poſſet in Rege coindicari: & confirmat Galenus obſervatione ſenis, qui uſu lactis porrexit vitam ultra annum centeſimum, qui uſus ſolum culpandus in iis quibus lac in ventriculo corrumpitur; quod non contingebat in Rege, & ideò debebatur illi permitti per plurimum temporis, niſi & ipſe renuiſſet, præcipuè aſininum, quo utebatur, quod præferendum docet Avicenna, *lib. 2. tr. 2. c. 44.* Galenus *lib. 5. de ſanit. tuend. c. 7.* Trallianus *lib. 12. capit. 4.* Et licet poſſet repugnare lacti calculus Regis ex Galeno *6. Epidem. ſect. 3. comm. 24.* qui affirmat ab ipſo generari, non obſtabat tamen: quia urgentior erat indicatio tabidi jam corporis; quia de lacte craſſo Galenus loquitur, & non de aſinino, quod facilè permeat, & abſtergendi & purgandi vim habebat, quia facile coquebatur & ſine impedimento permeabat, ſineq; ulla noxa ſenſibili, quia erat ulcus in rene, pro quo maximè erat utile, quia de lapide nondum manifeſtè conſtabat, & ante lac erat congenitus, & dolor ab illo cauſatus, anodinam ejus indicabat vim: quia Archigenes & Philagrius, qui lac omne prohibent in calculoſis aſininum nocivum eſſe fatentur ob ſubſtantię tenuitatem, & diſſolvendi facultatem, qua pollet; quia Aëtius conſulit uſum lactis aſinini pro lapide curando, & in ſuppuratis renibus; & quia Hippocrates *lib. 2. de morbis text. 16.* lac aſininū exhibet pro morbis pituitoſis curandis: ex quo apparet, utile eſſe ad cauſam lapidis auferendam in renibus.

* * *
* *
*

CON-

CONSVLTATIO III.

De Arthritidis præcautoria curatione.

CONTINET

§. I.

Proponitur hiſtorica enarratio Conſultationis.

§. II.

Diagnoſis Arthritidis proponitur, ſeu podagrici doloris.

§. III.

Arthritidis communis curatio in omni ſecta.

§. IV.

Qualis præcautio ſit communis pro Arthritide.

§. V.

Qualiter lac præſtet uſum pro præcavenda Arthritide.

§. VI.

Qualiter balnea naturalia poſſint prodeſſe pro præcavenda arthritide.

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I.

Proponitur Hiſtorica enarratio Conſultationis.

DUx Excellentiſſimus quinquagenarius ſanguinei temperamenti, hæreditariam patiebatur arthritidem ab ineunte ætate, in omni ſequutus militiã ; nullum in rebus non naturalibus ſervârat ordinem ; ab ingreſſu ſenectutis crebri ei erant arthritidis inſultus, & ferè abiére in continuos labores, & omnimodam ambulandi impotentiam, ob quam ab omnibus ſui muneris exercitiis cohibebatur ; ideò omni conatu contendebat ab hoc ſe abſolvere impedimento; in hunc finem conſulebat Argyrtas vulgares & ſimili morbo laborantes, tandemq; ad Medicos recurrebat, quandoq; eorum implorans opem, quandoque aliorum propoſita remedia ſpectans approbari: inter alia fuerant illi propoſitæ thermales aquæ, & lactis vaccini uſus, loco alimenti per plures menſes, utriuſq; remedii uſus approbatus, ex quo præcipuè lactis ſubſequuta eſt aliqua utilitas & valetudinis acceſſio; omnimoda tamen ſanitas (quam expectabat in hæreditario & inveterato hoc affectu) non promittebatur à Medicis.

§. II.

Diagnoſis Arthritidis ſeu podagrici doloris proponitur.

SUb articulorum doloribus ponitur Nadur, ſeu flatus furioſus, & eſt dolor accidens in quibuſdam membris, de quo Albucaſis *libr. 2. cap. 93.* Marcellus Donatus *libr. 1. cap. 6. hiſtor. mirabil.* plura tradidêre. Ponitur Rheumatiſmus, de quo aliqua Hippocrates *libr. de locis in Homine.* & Galenus *libr. 1. de different. febrium, & libr. 1. de compoſit. medicam. ſecundum genera*, & præcipuè *libr. 1. de different. febrium, cap. 7.* Sed propriè ſumpta Arthritis, eſt dolor Articulorum, ex intervallis ferè invadens, excitatus ab influxu humorum, vel ut tenet Jonſtonius, eſt partium circa articulos dolor, à defluxu humoris ſeroſi & acris è venis,

venis, & arteriis in eas effuſi excitatus per periodos invadens, & impeditum motum conjunctum habens. Patiuntur in Arthritide membranæ, tendines, nervi, partes carnoſæ vicinæ articulis, dum diſtenduntur ab humoribus fluentibus, vel dum eorum acrimonia vellicantur: Alia eſt generalis Arthritis, quæ generaliter ferè omnes articulos comprehendit, alia verò particularis, nempe alicujus membri ſuperveniens articulis, ut Chiragra, quæ manus articulis ſupervenit: Iſchias quæ ſupervenit coxendici; Gonagra, quæ ſupervenit in genua; & Podagra, quæ ſupervenit pedum articulis.

Concurrunt ad articulares morbos materia fluens, quæ plerumque eſt humor ſeroſus, copia diſtendens, vel acrimonia vellicans cum prava aliorum humorum commixtione, quæ nequit in ſuppurationem abire propter ſeri prædominium. Pars recipiens eſt multiplex, quæ ut diximus, affici poteſt: Partes per quas fertur materialis cauſa, ſunt venæ, arteriæ & poroſitates: Pars mandans ex Fernelio eſt caput per partes extra calvariam poſitas. Alii potius à partibus intra calvariam mitti fluxionem judicant: verior tamen doctrina tenet, poſſe fluxionem in arthritide conciari, à capitis tam internis quàm externis partibus; & ſine illis à jecore, & à venis, & arteriis, à quibus in partes debiliores truduntur humores; & ideò ſi articuli debiles ſint vel à natura, vel à morbo, vel ab aliis cauſis, externæ coadjuvantes cauſæ ſunt, quæ coadjuvant ad ſeroſorum humorum copiam generandam, ut ſunt craſſa alimenta, excrementitia crapula, & ebrietas aſſidua, & immoderata venus, intermiſſio exercitii, longior ſomnus, intermiſſio aſſuetæ evacuationis, articulorum refrigeratio, humectatio, contuſio, luxatio, fractura, aer humidus, ferum liquans, aut calor, cibi acres, & ſalſi, immodicum exercitium, & vinum generoſum ſuperfluum, aut ſuperfluus alimentorum uſus, ex quibus dum redundant ſucci, truduntur in articulos, & ab aliis liberant morbis; Si ob ſenium, aut debilitatem, aut aliam cauſam nequeant trudi, ſiunt febres, inflammationes viſcerum, phrenitides, paralyſis, apoplexia, orthopnœæ, & alii lethales morbi: ſemel ab hoc morbo læſi, non omnes curari poſſunt. Inquit enim Hippocrates 2. *Prorrt. de podagra: hoc dico: quicunque aut ſenes, aut circa articulos callos tophaceos habent, aut ærumnoſe vivunt, ſiccam alvum habentes, hi omnes ſani fieri non poſſunt humana arte, quantum cognovi: ſanat quidē hos optimè dyſenteriā, ſi ſupervenerit: ſed & alia eliquationes valde proſunt, quæ ad infernos locos repunt. Qui verò juvenis eſt, & circa articulos nondum callos habent concretos, & accuratè vivi, & laboris eſt amans, & alvum bonam habent ad obediendum pro ſtudiorum ratione, hic ſanè medicum intelligentem nullus ſanari poterit.* Sunt etiam incurabiles arthritici, qui à principiis generationis hanc contraxerunt labem.

§. III.

Arthritidis communis curatio in omni ſecta.

Duplex actio Medica requiritur pro arthritide: curatio nempe dum adeſt; & præcautio dum nondum ſupervenit inſultus periodicus: Curatio, alia eſt ad eradicandum malum in iis, quos curabiles judicat Hippocrates, & hæc cum præcautoria concidit: Alia eſt ad dolorem moleſtantem

ſtantem minuendum. Pro omni Arthritide hæ ſunt indicationes, fluxum nempè humoris ad articulos cohibere humorem, qui fluxit ſubmovere, & dolorem interim lenire. Fluxus cohibetur revellendo, derivando peccantem humorem: hoc præcipuè fit ſanguinis miſſione, aut purgatione. Hippocrates, *lib. de aëre & locis*, ſecare venas pone aures docuit, ut apparet apud Galenum *lib. 6. Epid.* Arabes laudant Phlebotomiam ex vena annulari per intervalla. Alii renuunt venæ ſectionem, ne aſſuetudine augeatur ſanguis, & periodica acceſſio; Alii ne levata natura potentiùs mittat in partem affectam. Duretus renuit liberaliorem: ne reſoluta natura humores confeſtim confluant, vel dominantes in partem principem ferantur, quod confirmat ex Hippocrate *lib. 7. Epidem.* in hiſtoria ejus, qui ob cephalalgiam ſanguine copioſe evacuato retentrix fuit diminuta, & ideo bilis in cerebrum delata, unde delirium, & mors, communiter ex Hollerio mittimus ſanguinem à brachiis cum directione ſi laborant pedes, & è contra habita ratione virium & plenitudinis,

Pro eadem inclinatione Riberius conſulit purgationem in ipſo paroxyſmo, & ſtatim in ejus principio, non cum leniente aut debili pharmaco, quia commoventur humores in articulos, & non evacuantur ſed cum pharmacis fortioribus, & imponendo ſupra articulos medicamentum adſtringens, & confortans. Hanc doctrinam docuère Arabes quantum ad pharmaca fortiora, recteque diſcedit ab Hollerio: qui lenientibus uti conſulit: ſemper tamen timui ante declinationem purgantis medicamenti uſum, præſtantior enim eſt attractio partis dolentis ad attrahendos humores pharmaco commotos, quam vis medicamenti purgantis, ut illos in ventrem commoveat, & etiam quo natura vergit, eo ducere oportet per loca conferentia ex Hippocrate: & in aſſueta arthritide licet articuli patiantur dolorem, ſunt tamen locus conferens ad vitæ ſecuritatem, quia ut ipſe Riberius fatetur, & eſt Galeni doctrina, in corporibus jam debilibus, & in ſenſibus, dum nequit natura expellere ad artus humores recurrunt in partes principes, & imminet vitæ periculum, quod ex impedito motu à medicamento purgante poteſt contingere; & *in lib. Epid. & Aphoriſticis ſententiis* condemnat Hippocrates in eryſipelate motum humoris ab extra ad intra, aliiſque in locis, & purgante ſelectivo pharmaco humor retrotrahatur ab externis ad internas partes. Poſſent tamen alia revulſoria auxilia exerceri ſecurius, & præcipuè revellendo ad ambitum corporis cauſam fluentẽ ſi abſit febris cum Indicis ſudorificis Chinæ ligni ſancti, aut ſparſæ parillæ, ſi vero adſit febris cum minus calidis Sennertus & Riberius conſulunt cornu cervi cum aqua cardui benedicti. Rulandus in libro xaquæ concoquit ad medietatem m. ij. centaur. minor. & ℥. ij. aſſari. Foreſtus laudat radic. bardanæ decoctum. Saxonia aliquos ordines panis ex furno recenter extractos. Alii laudant ſyrupum ſancti Ambroſii; repellere conantur, aliqui liquore florum verbaſci, aut aqua ex ejus floribus, ſed ſecurius eſt uti anodinis ex Stochero cum oleo ramino, ex Hartmanno cum aqua antipodagrica Rulandi ex Lacuna cum unguento de ebulis, ex Jonſtonio cum oleo oſſiũ humanorum, ex Freytagio cum opio, & caphura, vel cum Saccharo Saturni, ex

Digitized by Google

Amato Luſitano cum lacte pannis madefactis impoſito, vel id recenter emulgendo ſupra partem dolentem; aut eodem cum mica panis appoſito, ; aut cum foliis hyoſciami; vel ex Montagnana vitella ovorum decem conquaſſentur in frixorio cum ℔. ß. olei roſacei, & coquantur ad ſpiſſitudinem addendo ʒ. ij. croci: vel ex Quercetano confert aqua ex ſpermate ranarum, vel vivæ ranæ in illa ferveant cum adipe ſuillo; vel apponantur ea, quæ à proprietate juvant, qualia ex Foreſto ſunt oſſium humanorum cinis, qui ad ʒ. I. datur ex rhaſi cum aqua; vel pulvis ex ſtomacho vulturis, vel pulmonis vulpis; vel ex Solenandro confert fungus rubens tener qui naſcitur ad quercus radices, qui in tenues partes diſſecatur, & cum ſale ponitur in olla teſtacea, emurià quæ inſtillat pro illinitione præcipuè in principio. Phalle fungum commendat, Schenckius filius; vel ex Cratone prodeſt oleum Ceræ, Gaſpar Bumus, & Geſnerus idem commendant: Duretus laudat oleum axungiæ humanæ: Porta oleum ex ſemine Peti, vel ex Gaſſone immergatur pars dolens in aquam marinam; cui melanthia & arthemiſia incoquantur: vel cum Dovineto ſanguiſugæ applicentur parti ſi inflammetur; vel proſunt Empyrica ex Moroldo, emplaſtrum ex radicibus Porri, linimentum ex medulla panis albi cum lacte mulieris, ovorum vitellis & croco; embrocatio cum oleo communi, ſuccus raphani triti cum aqua ardente, herba tapſi barbati minutim inciſa in vaſe per octo dies ſtet donec putreſcat, addito vino albo inſtilletur per alembicum, appliceturque in panno lineo; aut pulv. ex farina & aceto; Vel ex Joanne Sylvio: ℞. Olei roſarum compoſ. verm, terreſtrium mundatarum ad ℔. j. bulliant lento igne donec incipiant rubeſcere, & ſtent in infuſione per dies octo, poſt piſtentur in mortario in dicto oleo, deinde colentur forti expreſſione, tunc adde colaturæ ranarum vivarum communium num. xxx. coquantur in dicto oleo, & poſtquam ſint coctæ, ſtent in infuſione per 24. horas, poſtea coletur cum expreſſione, colaturæ adde ovorum ranarum ad placitum, & pone ova in vaſe vitreo ad fundum, ſuperinfundeque oleum, orificium vaſis obturetur, & ſtet in ſole à dimidio Maji ad dimidium Auguſti, deinde omnia colentur, & ſervetur ad uſum; Vel prodeſt mucilago pſyllii macerata per 6. horas in aqua frigida cum camphora, vel laudano opiato. Valet & unguentum de alabaſtro & aqua, aut ſuccus hyoſciami ſolus, aut cum farina; Vel ex Dioſcoride ſagapenum cum aceto; Vel ex Magio olei amurca, aut emplaſtrum ex tribus partibus aquæ, & quarta aceti, & furfuris frumenti q. ſ. & ſimul coquantur, & calida applicentur; Vel folior. plantag. lentium bene decoctorum in aqua medullæ panis ana q. ſ. contunde cum oleo roſaceo; Vel ex Elidæo infunde panem in lacte, & cum oleo roſaceo, vitellis ovorum, & parum opii, & croci, fiat emplaſtrum; Vel florum aridorum ſpicę infunde in oleo communi, & ſtent ad ſolem, poſt triduum bulliant, deinde colentur ad uſum; vel ex Leonello imbibatur medulla panis in multo lacte, cui in mortario tritæ adde caſſiæ recenter extractæ ʒ j. vitellum ovi num. j. olei roſacei omphacini q. ſ. Vel in declinatione appone ſtupas infuſas in lotio pueri cum cineribus calidis; Vel corvus jugulatus ſine effuſione ſanguinis uratur, cinis ejus quan-

quantitas unius ovi miſceatur cum libra ceræ; Vel ex Mathiolo fiat emplaſtrum ex foliis ſambuci, & axungia: Vel cum Spagyricis prodeſt ex Crollio balſamus podagricus primus, & ſecundus ab eo deſcriptus, vel anodinum ejus unguentum; Vel ex Hartmano prodeſt ſpiritus ſalis ammoniaci; vel ex Rulando prodeſt aqua antipodagrica ex floribus chamomillæ, & meliori ad m. j. Mercurii ſublimati ℈. ij. coque in aqua ſimplici, hujus aquæ colatæ æqualem portionem miſce cum ℔. iiij. aquæ mortuæ, vel recipe Spermatis ranarũ menſe Martio collecti circa novilunium ℔. iij. cui adde ſtercoris bubuli recentis ℔. iij. miſce, & relinque per diem unum, deinde diſtilla, & applica calidis pannis madefactis, ex Amſicht, confert uſus unicornu ſolaris, vel animæ vitrioli, vel Margaritæ trochiſcatæ, vel tincturæ tartari, vel bezoardici ſolaris, vel ſpecierum terebinthinæ, vel ſpecierũ diajalapæ, vel pillularum proprietatis, vel anodinarum, vel liquoris camphorati, vel liquoris Arthritici, vel antepodagrici vel clareti ãtepodagrici, vel balſ. mi polycreſti, vel ẽplaſtri Arthritici vel panni linei crocati. Dogmaticorũ plures in vehemẽtiſſimo dolore recurrũt ad varia narcotica; ad hioſciami, mandragoræ aut papaveris folia recentia contuſa aut cocta, applicatã, ad oleum vel liliorum, ſulcos, aut aquas, ad mandragoræ radices, menenque hyoſciami polentæ permixta; aliàs recurrant ad opium addita croci parte cum lacte in cataplaſmate, in infuſione vini laudant torpedinis corium parti admotum; ſi declinet dolor tranſeunt ad reſolventia, inter quæ ſunt olea liguſtri, ebulorum, ſambuci, vulpinum, ex oſſibus humanis, ex maxillis equi, ex ſanguine cervi.

§. IV.

Qualis præcautio ſit communis pro Arthritide?

PRæcautoria curatio communis eſt pro eis, in quibus Arthritis eſt curabilis, & pro iis, qui ab illa nequeunt liberari, præcautione enim aut inhibetur inſultus, aut ægrè redit, ac mitiùs hæc fit, vel articulos roborando, vel fluentis humoris generationem, & argumentum prohibendo: humoris generatio prohibetur, debitâ victus ratione: affluxus, impeditur revellendo, & imminuendo materiam, imminuitur diæta, ſanguinis miſſione, & purgatione ex Galeno; Purgationes maximè commendat Riberius vere, & autumno, quater in anno, vel ſingulis menſibus. Bayrus maximè commendat pro illis electuarium caryocoſt inum. Rhaſis ſuas laudat pillulas, quas Riberius præſcribit, & approbat: ſicut & cum Alſharavio vomitus uſum; & cum Solenandro & aliis uſum hyperici, & aliorum medicamentorum, quæ ſeroſos humores commovent ad cutem. Trallianus abſtinentiam à vino, & Venere commendat tanquam ſufficiens auxilium prophilacticum. Beverovicius tranſitum à proſcriptione bonorũ ad ſimplicem menſam perfectam prophilacticum judicat, comprobat cum Porphyrio in Plotino Philoſopho Platonico, Prætore Romano; & Binovenius in ſervo à Domino in annonæ parſimoniam redacto. Plinius de Marco Agrippa, immerſis in aceto pedibus. Marcus Varro de Clodio ex uſu narcoticorum referunt ſenſatione amiſſa liberatos fuiſſe ab artuum dolore: de Sexto Pompejo refert Plinius, quod liberatus eſt ab Arthritide pedibus immerſis in tritico,

tico. Cardanus in ſumma abſtinentia, à cibis, & ventre lubrico prophilacticam conſiſtere, Arthritidis curationem obſervatione confirmat Brayerus in vini abſtinentia illam reponi. Guaynerius in abſtinentia à ventre. Aubertus exhibet pulveres oſſium humanorum ad præcavendam Arthritidem. Riberius, & Donatus Antonius præcaveri Arthritidem tenent ex vinaceorum uſu, Matthiolus cum balneo in decoctione ligni juniperini. Eraſtus conſulit plura cauteria ad præcautionem illius. Hartmannus præcavet Arthritidem cum uſu Magiſterii pelarum, quod deſcribit, Riberius pulverem Arthriticum præſcribit etiam, & cauteria, conſulit internum uſum Laudani opiati. Rulandus pro præcautione fidit in ſua aqua antepodagrica: laudant alii pillulas antimonii, Gaſpar à Reyes omnem provilacticam pro Arthritide ad frugalem reducit victum. Præcavetur, & curatur gallica Arthritis auxiliis, quæ debentur pro gradu gallici morbi, quo infeſtatur æger. Claudinus oleum ex oſſibus humanis ut præſervativum admittit in Arthritide: Rondeletius ad præcautionẽ firmat articulos cum lixivio ex cinere cruris equi, vel cervi, vel aſini ℔. j. in ℔. iiij. aquæ fabrorum. vel ex cineribus quercus, & hermodact. idem fidit pro curatione prophilactica in vomitoriis, poſtquam die ſequenti exhibet duas pillulas ante cibum, quas præſcribit ex Rhabarbaro, & agarico ad ℥. ij. cinamomi ſpicæ nardi, & celticæ maſticis, myrrhæ ad ℈. ß. aloës ʒ. ß. therebintinæ ℥. iij. incorporentur, & fiant pillulæ vj. Fonſeca roborat partes, recipiens lotionem aquæ marinæ, cum lixivio in quo incoquuntur roſæ; ſtecas, myrtus, & ſalvia, Hippocrates cum fomento ex aceto: Galenus fovet oleo, & ſale: alii cum lotio humano. Præſervant, alii uſu aquæ lentiſci pro potu, & abſtinendo à vino, per menſem ante aſſuetum tempus periodi, Bovius & alii Empyrici utuntur purgationibus ex antimonio, vel ſub lingua ſecant venam, & corpus inungit balſamo; vel utuntur oleo lapidis lazuli pro inunctione, & exhibent ſemel in menſe electuarium polycreſtum, vel dyaſolare, vel hoc parant ad prandium, & cœnam, ℞. vini lib. 100. repone in dolio, & ℞. ligni aloës ℥. iij. Sennæ ℥. ij. polypodii ʒ. iij. moſchi odorati & aqua roſar. diſſoluti gr. x. mellis ℔. ij. miſce & impone in prædicto vino per tres dies, doſis pro cœna, & prandio ʒ. iiij. Nicolus plura proponit, quæ à proprietate præſervant ab Arthritide ex Avicenna, & Rhaſi, tenet conferre oſſa hominis combuſta, & ſumpta in potu, de quo remedio ſupra egimus ex Virao laudat ranam juvenem captam nomine patientis, dum nec Sol, nec Luna fuerint ſuper terram, abſcindit cum forcipe duos poſteriores pedes, & ligat in pelle cervina, & applicat dextrum dextro, & ſiniſtrum ſiniſtro pedi: Sed hoc ſuperſtitioſum eſt remedium. Rhaſis ranam viridem proponit, vel pedem teſtudinis, Figineus laudat magnetem. Oribaſius comedere caules. Rhaſis commendat caules, & lentes. Sed ſecuriùs præcavetur Arthritis repetitis evacuationibus, & attenuante victu ex Galeno, *de attenuante victus ratione c.1. lib. 6. Aphoriſ. comment. 47. lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 7.* & ex Rhaſi *lib. 20. continentis tract. 1. c. 2.* vel ex omnimoda abſtinentia à vino & venere ex Cornelio Celſo, *lib. 4. cap. 24.* Vel ſi præcipua cauſa arthritidis ſit laxa cõforma-

formatio articulorum præcaver lorio, ſeu fomento ſalis ex Tralliano, *lib.* 11. *cap:* 1. ex Hildano, *Cent.* 1. *curat.* 25. qui unguentum ex ſale præſcribit, incipienteſque tophos præcavere docet Trallianus, *lib.* 11. *cap.* 1. & Galenus, *lib.* 10. *de ſimplicium medicamentorum facult. cap.* 9. Zacutus pro præcautione arthritidis fidit maxime in uſu pulverum oſſium hominis, qui potu ut diximus aſſumantur, quod confirmat ex Galeno, *lib.* 11. *ſimplic. tit de oſſibus*: ex Avicenna, 22. 3. *tract.* 2. *cap.* 9. ex Auberto, *exercit.* 50. *in abdit. Fernelii*, ex Crollio *l.* 2. qui antipodagricum illis præſcribit.

§. V.

Qualiter lac præſtet uſum pro præcavenda Arthritide?

LActis uſus pluribus laudibus præfertur pro Arthritidis curatione, & præſervatione, confert in vehementibus ejus doloribus lac tepens cum pannis lineis impoſitum ſi cum illo fiat cataplaſma; cum mica panis, vel ſi in illo incoquantur folia hyoſciami, aut violariæ, & imponantur parti dolenti, vel fiat cataplaſma ex pulpa radicis altheæ coctæ in lacte, maxime prodeſt caprinum lac emulſum ſupra partem dolentem ex Riverio, & Amato Luſitano confert lac aſininum ad tophos Arthritidis emolliendos, & diſcutiendos ex Aëtio, & Aldrovando. Pro præſervatione Arthritidis lac aſininum valde prodeſſe confirmat Zacutus *tom.* 1. *lib.* 3. *hiſt.* 46. Celſus enim, *lib.* 4. *cap.* 24. inquit: *Quidam cum aſinino lacte epoto ſe atuiſſent in perpetuum hoc malum evaſerunt.* Plinius, *lib.* 28. *cap.* 9. adducit exempla eorum, qui uſu lactis aſinini liberati fuêre ab arthritide, ſic Amatus *lib.* 5. *cent.* 29. Stephanus Laureus apud Schenckium, *lib.* 4. *obſervat. de Arthritide*, Hollerius, *lib.* 5. *Aphoriſm. ſent.* 64. Riverius, *lib* 16. *Praxeos cap.* 1. & cum eis Zacutus, *tom.* 1. *lib.* 3. *hiſtor.* 46. fatentur lactis aſinini continuum uſum præſervare, & ex toto curare Arthritidem præcipue provenientem à cauſa calidâ, quatenus jecur refrigerat, & calidos humores, ichoreſque acres expurget, acrimoniam retundit, ſomnum conciliat, corpus reficit, præcipuè tamen conducit humores ad ventrem movendo, non ſolùm bilioſos, & ſeroſos, ſed etiam craſſos, quos attenuare, & movere valet, ac expurgare, corporis recrementa ſi in magna quantitate ſinnantur, ut videre eſt apud Hippocratem, 7. *Epid. in hiſtoria Eratolai filii, & 4. acutor.* ex Avicenna, *l.* 2. *tract.* 1. *cap.* 44.

Recentiores Germani Arthritidem curari, & præcaveri uſu lactis vaccini variis experimentis confirmant, ſiuncque tradunt utendi modum. Primò laborantem arthritide purgant juxta diverſitatem humoris peccantis, & à ſequenti die exhibent mane triginta & duas uncias lactis vaccini recenter emulſi; in meridie ſimilem exhibent quantitatem lactis ejuſdem, & ſuperaddunt in aqua coctum ovum recens, & partum panis; Veſperi circa horam ſeptimam, iterum exhibent eandem lactis quantitatem, & cum hac uniformi diætâ ſine alio cibo ali debet æger per ſex continuos menſes, niſi lac corrumpatur in ventriculo, & permittunt aliquibus ob lactis averſionem ſemel in ſeptimana pro meridiano cibo uti carnibus facilis coctionis, conſuluntque ſemel in menſe ægrum purgare lenitivo pharmaco ad ventriculum deonerandum à ſuperfluitatibus congeſtis.

Præ-

Præclariſſimus hic Dux huic ſe adſtrinxit lactis uſui vaccini, levatus eſt, ſed non curatus: Contendebant aliqui, quod non exquiſitum obſervaverit ordinem præſcriptum. Sed de juniorum receſſu in hac curatione à lacte aſinæ ad lac vaccinum non tradidêre cauſam qui hoc amplectuntur, Plinius, *lib.28.cap.9. in Archadia*, bubulum maximè profuiſſe tenet phthiſicis, ſyntecticis, & cachoëticis, ejus cauſam tradiderat, *lib. 25. c. 8.* quia in Vere vaccæ ſalubribus utuntur herbis: Sed hæc ratio non convincit pro Arthritide curanda, pro qua lac vaccinum quovis tempore offertur, & non ſolum vere, ſed per plures alios menſes. Claudinus de lacte bubulo, & ovino inquit, quod miram habent facultatem incraſſandi, quia terrea, & craſſarum partium exiſtunt: ex quo infertur ratio ob quam licet lac bubulum non ſit purgativum ſicuti eſt aſininum, confert in Arthritide incraſſando humores fluxuro ad articulos, & quia præſtat frigidam temperiem jecori, ejuſque corrigit calorem humoremque, qui ab illo generantur, ſimul & icorum, cujus Virtutes roborat diæta, quæ cum ipſo per aliquos menſes præſcribitur, qua ſola poteſt (ut diximus) præcaveri Arthritis: forſan hunc præcavendi Arthritidem modum deſumpſere Germani ex Hippocrate, qui variis in locis hanc videtur docuiſſe curationem, *lib.* (enim) *2. de morb. mulier. num.* 14. inquit: *Per dies quadraginta lac bubulum bibendum; & per diem nihil edat; ut ita dicam, optimum enim eſt, nam purgatur, & nutritur, veſperi cœnet carnem volucris modicam aſſatam. & lib. de natur. mulier. num. 46.* inquit: *Vacca nigra lac præbe ad dies quadraginta, & ſine cibo degat: & lib. 2. de morbis num.* 49. ait: *Bubulum lac per quadraginta dies bibat, & ad veſperam quamdiu lac potat, alicam ſorbeat, à cibo autem abſtineat.* In omnibus iis locis contendit Hippocrates corrigere calidam jecoris intemperiem, & contemperare fluxiones humorum biliosorum, acreſq; eorum contemperare qualitates ad fluxionem concitantes. Ideoque abſtinet à cibo, ut natura per plures dies cogatur, ut lacte pro alimento utatur, ex quo provenit, quod intemperies calida corrigatur ex continuo uſu lactis attemperantis: & quod ſimiliter contemperentur partes corporis, quæ calida laborabant intemperie, & quod humores ex ſolo lacte geniti frigidi fiant, rationeque lactis mulcebres; & ſine acrimonia, & quod lac ſit bubulum convenit, ut poſſit præſtare ſufficientem pro alendo corpore materiam: lac enim aſinæ parum nutrit ex Galeno, *libr. de aliment. facultatibus.* Multum vero lac bubulum, in levioribus fluxionibus aut intemperiebus Hippocrates judicat ſufficere lactis bubuli uſum ſine alio cibo per quadraginta dies. Juniores verò in vehementiore fluxione copioſiorique calidorum humorum copia, qui ſolent in Arthritide redundare pluribus menſibus Hippocratis doctrinam obſervare contendunt.

§. VI.

Qualiter balnea naturalia poſſint prodeſſe pro præcavenda Arthritide?

PRo hoc excellentiſſimo Domino propoſita ſunt ab Arthritidis præcautionem balnea naturalia, quæ thermas vocant; nam balnea aquæ dulcis damnantur ab Avicenna *Fen. 2. 3. tract. 2. cap. 25. §. & minorantur in balneationibus, quoniam ipſæ liquefaciunt humores, & faciunt eos recurrere ad jun-*

adjuncturas : & Rhaſis, *lib.* 20. *continentis tract.* 1. *cap.* 2. proponens Arthritidis præcautoria remedia ait : ita tamen *quod non utatur balneo, nervos enim emollit, debilitat, relaxat.* ex Galeno, *libr.* 11. *methodi cap.* 20. Sed balnea ferrea, ærea, ſulphurea, aluminoſa, nervos roborant, reſolvunt, contentos humores corrigunt, eorum frigidam intemperiem ; ut deducit Zacutus ex Paulo, *lib.* 1. *cap.* 62. ex Aëtio, *tetrabili* 1. *ſerm.* 3. *c.* 167. Oribaſio, *lib.* 1. *Synopſ. cap.* 29. Cardano *lib.* 2. *contradict. tract.* 4. *contradict.* 3. ex Fallopio *tractat. de aquis Thermalibus,* Langio *libr.* 2. *epiſt.* 32. Sed Thermarum uſum maximè commendat Andreas Baccius *lib.* 3. *de thermis.* Riberius *lib.* 16. *praxeos c.* 1. laudat in bilioſa arthritide uſum aquæ vitriolatæ ; in frigida Thermas ſulphureas & nitroſas, quatenus roborando articulos prohibent novum defluxum humorum ad illos, & omnes fere practici in eo conveniunt, quibus convicti doctiſſimi alii Medici conſulebant Marchioni Excellentiſſimo Thermarum uſum ; ad quem ſe tranſtulit, me & alio Regio Medico renuentibus.

Noſtrorum hæc erat ratio, quod balnea naturalia roborando articulos, ut omnes tenent, præſervent ab acceſſionalibus periodis Arthritidis, impediendo ne humor in illos decumbat. Sed ſi non decumbat, minantur mortem, inquit enim ipſe Riverius capite citato. *Contingit tamen non raro in corporibus debilioribus, vel jam ſenio confectis, ut quando natura humores noxios intus conſervatos expellere non valet, morbi inde lethales oriantur, ut febres acutiſſimæ, viſcerum inflamationes, apoplexia, convulſiones, phrenitides, orthopnæa, cordis palpitationes, aliique graviſſimi affectus.* Sed hanc prius ſanciverat doctrinam Galenus, *lib.* 2. *de natura humana,* dixeratque : *Aſpeximus in iis, qui articulari morbo aut podagræ obnoxii erant, quod repulſis ab articulis humoribus eo delatis illi in partem aliquam principem contendentes homini interitum attulere.* Immò idem Galenus confirmat utilitatem excipiendi humores in partibus invalidis ſuperaddens, *febri correptis pedes invalidi, maxima ſpes comparatur ex balneo* (ſcilicet aquæ dulcis) *artubus debilitatis, ipſi infirmis partibus; quæ ſupervacua ſunt excipientibus.* Et liberatus hæc profert, ſi nimium roborati articuli, humores veluti laſcivientes contemptis naturæ legibus calamitoſa excitant bella, & in principes partes tumultuantur ; inde enim repulſi furentes ſucci, vel caput adoriuntur, vel cor obſident, vel hepar obruunt, vel intimos viſcerum occupant receſſus, immanes afferunt morbos, & exitialiſſimos: Ex quibus deducimus, quòd ad roborandos artus conferunt balnea prędicta, & conſequenter ad minuendas arthritidis acceſſiones ; ſed cum ex hoc immineat vitæ periculum, non eſt tentanda hæc arthriticorum præſervatio. Remedia enim ejuſmodi debent eſſe tuta ; & tutius eſt periodicos perferre arthritidis dolores, quam vitam cum morte commutare, vidimus ex uſu balneorum ſulphureorum, & vinaceorum aliquibus contigiſſe articulos roborari, & mortem ſuperveniſſe. Caldera obſervat idem contigiſſe cuidam eminentiſſimo Cardinali : Nos vidimus apud Pintianos in Provinciali Franciſcanæ familiæ,

* * * * *
* *

Digitized by Google

CONSVLTATIO IV.

Quale cadaveris cruentatio præſtet indicium ad torturam?

CONTINET

§. I.

Hiſtorica enarratio, & conſulendi occaſio proponitur.

§. II.

Cruentationis cadaveris poſſibilitatem admittimus ad præſentiam occiſoris.

§. III.

Divagatur in inquirenda cauſa cruentationis in cadavere coram occiſore.

§. IV.

Quæ placuit cruentationis in cadavere cauſa verior, & quot poſſint ſuperaddi, & quid reſolvitur?

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I.

Hiſtorica enarratio, & conſulendi occaſio proponitur.

ENſe ſuffoſſum repertum fuit cadaver propè proprias ædes mane diluculo ad ipſas delatum, propalatum fuit occurrentibus per totam diem, veſpere autem coram adſtantibus profluxit ſanguis à vulnere, novitate commotus Judex proximiores cadaveri conjecit in carcerem. Lis exagitata fuit: Rei ſuſpecti criminis judicabantur corpori proximiores, & cruentatio apparuit aliquibus ſufficiens indicium pro tortura: & licet de hac controverſia judicium proferant Theologi, Juriſconſulti, & Medici, ab iis Judex voluit experiri quale proferrent, ideò in conſultationem venerunt.

§. II.

Cruentationis cadaveris poſſibilitatem admittimus ad præſentiam occiſoris.

COnantes aliqui ex conſulentibus reos eſſe immunes ab omni ſuſpicione criminis Vayirum adducebant, *lib.* 2. *de faſcinatione cap.* 10. Marcellum Donatum *lib.* 2. *de hiſtoria mirabili.* Hieronymum Magg. *lib.* 4. *cap.* 5. Et alios, qui ridiculum eſſe figmentum contendunt ſanguinem (aſſerentes) poſſe moveri in cadavere ob præſentiam occiſoris, eratque illis pro fundamento ratio. Nam non entis nullæ ſunt paſſiones, proprietates, nec effectus. Sed nulla poteſt aſſignari poſitiva cauſa, à qua ſanguis poſſit moveri, nec quę poſſit præſtare aliquem influxum ob præſentiam occiſoris, ut convincitur ex tot ſæculis, in quibus anxiè quæritur ab innumeris Authoribus, & nondum reperta eſt aliqua cujus poſſibilitas non ſit evidenter ab aliis reprobata & falſitatis convicta.

Sed hoc fundamentum diſplicuit reliquis, nam licet nondum evidenter conſtet cauſa hujuſmodi cruentationis ob præſentiam occiſoris, eventus tamen non eſt denegandus: ipſum enim decantarunt antiquitatus Poetæ. Homerus, *lib.* 17. *Iliados.* Lucretius, *lib.* 4. admittunt ex Canonherio, Zachias, Reyes, & Nierembergio, quamplurimi citati à Gregorio Horſtio, inter quos latè comprobat Libavius *lib. de cruent. cadaveris.* & tenent Cœlius Rhodiginus, *lib.* 3. *antiquit. c.* 21. Galeotus Martius, *lib. de promiſcua doctrina, cap.* 22. Langius,

Digitized by Google

gius, *lib. 1. epiſt. Medicinal.* 40. Mizaldus, *Cent. 1. memorabil. Aphor.* 4. Levinius Lemnius, *de occultis naturæ miraculis lib.* 2. *c.* 7. Martinus del-Rio, *lib. 1. diſquiſit. Magic. cap.* 3. *qu.* 4. Montanus, *in Fen.* 2. *Avicennæ* Valeriola, *lib.* 2. *obſervat.* Bodinus, *libr.* 2. *Dæmoniac. cap.* 3. Cornelius Gemma, *lib.* 1. *Coſmocrit. cap.* 6. Tholoſanus, *in ſyntaxi Juris univerſi, lib.* 3. *c.* 20. Apponenſ. *in Comm. Ariſt. problem.* 7. *in* 7. *p. prob.* 6. Et tanquam ſignum ſufficiens ad torturam admittunt Boërius, *in deciſ.* 166. Paris de Puteo, *in tractat. Syndicatus. in verbo tortura.* Admittunt ſimilem affectum, Hyppolit. de Marſiliis, *in practica criminali*, Caſſanæus, *tract. de indiciis cap.* 3. Maſcardus de Probationibus, *lib.* 2. *conſil.* 867. Menochius, *de Præſumptionib.* Et ex noſtris Ranchinus, Marcellus Donatus, Fabricius Hildanus, Aldrobandus, Hucherus, Nicolus Florentinus, tenent Ficinus Sebaſtianus, Franco, Eragoſus, Antonius Gomez, Tadęus Florētinus, Bodin, Majolus, Kormañ, Caſtrenſis, & ut tenet Zachias apud Juris Profeſſores, communiter admittitur hic eventus.

Præterea affirmatur, quia licet ut tenet Zachias, hunc eventum admittentes non conveniant inter ſe in modo, quo, ad præſentiam occiſoris, fiat cruentatio in cadavere: nam alii ex ipſo vulnere ſanguinem emanare dicunt, ut contingit in noſtro caſu, alii ex naribus, ore, & oculis, aut aliis partibus cadaveris; alii ex partibus occiſoris: Alii ex vulnere occiſi, & ex naribus occiſoris, variant etiam in determinando tempore cruentationis: Contendunt alii, quod non fit cruentatio, niſi intra octo, decem, aut duodecim horas, & non ultra illas; alii judicant poſſe etiam poſt tertiam diem fieri: Alii quod quovis tempore, quo accidat occiſor cadaveri, ulterius alii contendunt, quod fluit ſanguis verſus occiſorem: Alii quod deorſum ſtillat: Alii, quod ebullit; Alii quod ſolum fit cruentatio poſt mortem violentam. Alii quod fit ſive ab occiſore cum ira, aut ſine illa cum impetu aut ſine illo mors inducatur. Contendunt alii quod fit cruentatio ſolum coram occiſore: Alii quod fit etiam coràm ejus ſanguineis, ſed ii omnes cruentationem unanimi aſſenſu admittunt poſſibilem ad præſentiam occiſoris.

Præterea id variis exemplis, ac experientiis fuiſſe confirmatum, & à variis Authoribus obſervatum tenent Zachias à Reyes, & Niercmbergius. Nam Paris de Puteo tenet cruentationem cadaveris ad præſentiam occiſoris contigiſſe in cadavere Cardinalis Angeli Fuſci. Stromerus refert, cruentationem ſe vidiſſe coram occiſore. Crucius eam vidit in cadavere Joannis Abuſteri idem refert Franco contigiſſe coram Marito in cadavere uxoris ab illo ſuffocatæ pulvinari. Hippolitus de Marſiliis in ſimilem effectum teſtis adducitur. Boërius duos hujuſmodi vidit eventus. Hyppolitus de Marſiliis ex ſimili eventu tenet aliqua homicida comprobaſſe, Julius Pollux tenet, antiquam fuiſſe conſuetudinem inquirendi homicidam ex hoc indicio, in quem finem cadaver per plures dies inhumatum ſervabatur, quod latiùs proſequitur Nierembergius, & ex illo & aliis Francus à Reyes, qui ſuperaddit Valleriolæ obſervationem occiſoris, ad cujus præſentiam fluxit ſanguis ex cadaveris vulnere, & ex ejus naribus; Fragoſus ſimiliter idem vidit in muliere decollata, & projecta in flumen, à cujus vulnere proſilivit ſanguis in præſentia occiſoris,

Digitized by Google

ſoris. Hildanus ſimilem refert eventum apud Horſtium relatum de infante terræ, commiſſo per dies octo, & à cane extracto, à cujus cadavere coram matre à qua occiſus fuerat puer, ſanguis inſtillavit: Ranchinus ſimilem refert eventum obſervatum ab altero Ranchino illius conſanguineo, & Aulæ Caſtrenſis Conſiliario Regio. Suntque ſimiles hujuſmodi hiſtoriæ apud alios Authores receptæ; ex quibus patet cruentationem cadaveris coram occiſore contigiſſe. Ex quibus convincitur fatendam eſſe poſſibilitatem hujus eventus; quia ut docet Ariſtoteles, debilitas eſt intellectus, quærere rationem, ubi ſenſus fidem facit.

§. III.

Divagatur in inquirenda cauſa cruentationis in cadavere coram occiſore.

CUm moveri ſanguinem decretū fuiſſet in cruentatione Cadaveris, diviſi ſumus in aſſignanda cauſa illius motus localis, ſeu impulſus à quo ſanguis rejectaretur. Alii contendebant illum provenire ab occiſore, ſive ob ſui præſentiam, ſive quia eſt percuſſor, aut magica commotione, aut quia ut contendit Galeotus Martius, ſpiritus occiſoris commiſcentur cum occiſi ſpiritibus, & odio concitati redeunt ſpiritus occiſi in ſuum corpus. Sed in nullo horum eſt facultas locomotiva ſanguinis. Nam præſentia occiſoris dicit locationem ejus intra talem diſtantiam, à qua nulla vis locomotiva oritur: nam ſi oriretur ab illa moveretur ſanguis à quolibet intra illam præſentiam. Nec ratio percuſſoris habet vim ſanguinis movendi; eſt enim quædam denominatio ex actu præcedente, quæ licet præſupponat locomotivam vim ad percuſſionem, nullam ſuperaddit ad movendum ſanguinem in cadavere dum percuſſor quieſcit, & illa facultate non utitur contra percuſſum cadaver; Nec Magica ars in percuſſione ſanguinem movet; quia à non Magicis contigerunt eventus cruentationis enumerati; nec præſtaret Magicus actionem, qua fieret ſuſpectus, de occiſi morte; Nec deliramentum Galeoti quidquam ſuadet, niſi quod tale ſit, nam ſpiritus non moventur in corpore niſi à facultate pulſifica, nec habent extra illud à quo moveantur, nec eſt finis ob quem, nec virtus locomotiva in illis ad ſuum motum, nec ut impellant ſanguinem, nec eſt cognitio ad pugnam, nec poſt illam eſt cognitio, ut cognoſcat vulnus cadaveris ad quod regredi poſſint; nec poſt mortem in cadavere poſſunt permanere ſpiritus, niſi brevi tempore, nec ſi permanerent cognoſcunt adventum occiſoris, ut ad ejus præſentiam moveantur ad pugnam.

Alii intra ipſum cadaver inquirebant cruentationis cauſam variis modis; nam alii cum Pomponacio, *lib. de anima immortalitate* contendebant, quod occiſi anima irata cum occiſore movebat ſanguinem. Quam opinionem deducebant etiam ex Marſilio Ficino, Bodino, & Bonaciola, ſed irritus hic conatus convincebatur: nam quæſtio non eſt de ſanguine qui movetur in corpore animam retinente, ſed de cadavere ab ipſa ſpoliato, ex eo enim fit cadaver, quia animam non habet; ſed formam ſpecie, ſeu genere ab illa diverſam; & licet illi conabantur ſe liberare ab hoc abſurdo dicentes, quod anima adhuc ſeparata à cadavere, reditum facit ad illud ut moveat ſanguinem, ſine eo quod corpus

Digitized by Google

pus informet, cujus adventum conabatur ſuadere ex Cicerone *lib. de divinat.* ex Plinio minori in hiſtoria Arthemidori, ex Vallerio *lib.* 1. *cap.* 7. ex Platone *in Phædro*, tamen negare non poterant, quod ſpiritus vadit, & non redit, & quod habet à Deo deſtinatum locum, ad quem tendit poſt obitum juxta propria merita, & ſi daretur regreſſus ex Dei permiſſu, & miraculo jam regreditur opinio ad aſſerendum quod ſolo miraculo fit cruentatio in cadavere: Damnata enim eſt Democratis opinio: qui naturaliter aſſerebat, poſſe animas circa propria cadavera permanere. Alii in cadavere quærentes cruentationis cauſam ipſam in imaginatione ponebant cum Paracelſo, & Bacono, Avicenna, Conciliatore, & Levinio Lemnio, qui maximè movendi corpora vires imaginationi adaptant, ſed maxima vis, quæ imaginationi tribuitur ab Avicenna, ab experientia convincitur falſitatis, & ratione à variis Authoribus, præcipuè contra Paracelſum, demonſtratur quod anima; quæ corpus non informat non poteſt in illo imaginari; nec cadaveris forma, qua informatur, quæ cum non ſit anima, non habet imaginativam potentiam. Iſti tamen opinantes conabantur ſuum placitum tueri cum Henrico Kormano; qui contendebat, quod redit anima ad corpus; & licet nequit proprias ſui conſervativas edere actiones, edit illas, quæ conducunt ad vindictam, ſed hunc errorem demonſtravimus ſupectum in fide, & conſtat, alienum eſſe ab omni probabilitate; nam anima ſemel ſeparata à corpore, nequit regredi, nec in cadavere invenire diſpoſitiones, ut illi uniatur, cum ideò ſit ſeparata, quia debitas non habuit, nec ſine eo, quod corpus informet, valet imaginationem elicere; quia hæc actio non exercetur, niſi ab anima ſenſitiva corpori unita, aliàs anima ut ſenſitiva eſſet immortalis, ſicut & rationalis, cum haberet actiones, quas ſe ſola ſine corpore poſſet exercere, quod aberrat à fide: ideo hac relicta opinione: Alii intra cadaver inquirentes cauſam cruentationis, contendebant ſanguinem moveri in illo, ab Idæis quibuſdam occiſoris relictis in ſanguine occiſi; ut tenet Cornelius Gemma, ſed nec iſtorum admiſſa eſt cauſa à pluribus jam tanquam imaginarium figmentum excluſa, nam hæ ſunt entitates nunquam in vivente admiſſæ, & ſi Idææ in ſolis potentiis cognoſcitivis deberent reſervari, quæ adhuc non ſunt, & ſi præceſſerint, ſeparata anima corrumpi deberent, & ſi permanerent, non poſſent ſine cognoſcitivis potentiis cognoſcere occiſorem, & ſi cognoſcerent non haberent potentiam qua ſanguinem moverent, & ſi illam haberent, in omni occiſo fieret talis motus, quod non contingit. Alii cum Majolo contendebant horrore concuti cadaver ad præſentiam occiſoris, & ex concuſſione moveri ſanguinem; ſed concusſio præſupponit moleſtantis objecti ſenſationem, quæ in cadavere ſine anima nequit dari; cum ſine illa non ſint ſenſitivæ potentiæ, nec loco-motiva, à qua deberet fieri localis motus poſt præcedentem ſenſationem: Contendebant alii cum Martino delRio dari in cadavere quandam qualitatem inimicitiæ, à qua moveretur ſanguis, ſed non aſſignabant, cur cognoſcat occiſorem, ut moveat ad ejus præſentiam, nec quæ ſit illi vis locomotiva, nec cur in aliis contingit & non in omnibus, nec cur ab eadem non moveretur ſanguis ad præ-

Digitized by Google

ſentiam cujuſvis animalis occiſoris vel cujuſvis inſtrumenti mortis.

§. IV.

Quæ placuit cruentationis in cadavere cauſa verior, & quot poſſint ſuperaddi, & quid reſolvitur?

MAjor conſulentium pars ſtandum judicavit communiori opinioni Theologorum &reliquorum Profeſſorum, qui poſtquam alias propoſuerunt cauſas ipſis non acquieſcentes recurrunt ad Divinæ juſtitiæ providentiam ſcelerum vindicem, quæ plerumque non patitur tanti ſceleris Authorem impunitum manere, & ideò occultum, illum per hoc judicium detegit; Et hujus opinionis aſſertores varios proponunt ex Recentioribus Nierembergius, Francus à Reyes & Zachias quibus nos acquievimus illorum annuentes fundamentis; Sed quia licet hoc miraculoſe contigerit, pluribus tamen miraculum non ſemper peræſtatur à Deo, & ſine illo cauſæ ſunt naturales à quibus poteſt cruentatio fieri in cadavere. Ab iis etiam decrevimus illam poſſe ſubſequi: ex Hildano enim, Huchero, Ambroſino, & aliis paulatina cruentatio ſubſequitur ob humorum fluxibilitatem, aut ob præcedentem plenitudinem, dum deficiente calore dilatante vias ipſæ comprimuntur, & ſanguinem fundunt, vel quia proprio tenore coarctantur ad mediocritatem, quæ ultra illam elevabantur ob repletionem: vel quia calore ambientis arrarantur humores, & qui denſati quieſcebant, raritate aut levitate agitati moventur, vel ſi poſt aliquod tempus quieſcens ſanguis incipit putreſieri ſine externo calore, à putredinali humorum ipſi commoventur, & facile per vulnus ſucceſſive poſſunt commoveri, ſicut & ob hanc cauſam in varias reſluunt partes in vivente: & in cadavere ſolent recurrere in varias partes, & tumores efficere, ſi exitum non habent, vel illum injicientes per nares, per os, aut per ventrem fluunt, & ſine vulnere perierit æger.

Ex iis pro dubitatione reſolutum fuit, quod ſanguinis cruentatio in cadavere nō omninò aliena à ſuſpicione, eſt recipienda, cum Deus plerumque per illam oſtendat occiſorem, & vindictam occiſi permittat, ſed non ſemper; quia libera eſt cauſa non coacta, ut ſemper idem operetur; Et cum ſint cauſæ aliæ, à quibus poteſt fieri cruentatio in cadavere, quæ naturales ſunt, non ideò ex illa evidens indicium ſumitur, ut ex hoc tantum ſigno poſſit cogi ad torturam, qui judicatur reus, ut tenet Zachias, & Francus deducit ex Gomez, *tom.* 3. *variar. Reſolut. cap.* 13. Zanger, *de quæſt. cap.* 2. *n.* 60. Theſaurus, *deciſion.* 173. Maſcard. *de Probat. val* 2. Novelus, *reg.* 184. Godelman. *lib.* 2. *de lamiis.* Caſonio *in præmiſſis de indiciis & torm. cap.* 3. Bocero, *in placitis feudalibus tract. de tortura*, ex Angelo, *tit. de homicidio.* Farinatio, *quæſt.* 52. Aillon, *ad varias Gomez cap.* 13.

CONSVLTATIO V.

De anno climacterico, quod minatur periculum.

CONTINET

§. I.

Proponitur hiſtorica enarratio Conſultationis

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Quid annus, & quot illius differentia, ac propropria acceptio?

§. III.

Climacterica tempora quæ admittantur ab Authoribus?

§. IV.

Ex quibus apparet, annum 63. Andraclum judicari debere.

§. V.

Andraclum non debere judicari annum 63. determinatur.

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I.

Proponitur Hiſtorica enarratio Conſultationis.

EXcellentisſimus quidam Vir in ſexageſimo tertio ætatis ſuæ anno conſtitutus incidit in maximum timorem, quod intra ipſum mors illi eſſet ſuperventura, quia communiter audierat, annum eſſe climactericum, & rarò aliquem ſuperſtitem in illo evaſiſſe; Conſulendi ergò gratia, ſui me convocarunt, ut ſuaderem illi, hoc non eſſe neceſſarium, cum plures omni ætate viſi ſint ultra illum annum permanſiſſe, & plurimos alios annos ſuperaſſe; & cum nulla prodeſſet ſuadendi ratio, id à me conatus eſt conſequi, ut aliquibus fundamentis conſcriberem opinionem fulcitam eorum, quos ego illi propoſueram ab anno Climacterico, nihil aliud quam ab aliis annis timendum; quod his poſitis executus ſum.

* * *

§. II.

Quid annus, & quot illius differentia, ac propria acceptio?

ANnus pars eſt temporis; Tempus *eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius, ſeu menſura durationum rerum ſublunarium:* præcipuè hæc, quam maximè attenditur penes præclarioris ſyderis, ſolis inquam devolutiones, quæ per minuta, quadrantes, dies, horas, ſeptimanas, & menſes attenduntur, quæque annum adimplevit. Anni multiplex eſt acceptio, Ariſtoteles ut tenet Cenſorinus, *de die natali, cap.* 18. maximum vocavit annum totum illud tempus, quo ſolis, lunæ, & vagarum quinque Stellarum orbes ſuum curſum conficiunt, cùm ad idem ſignum, ubi quondam ſimul fuerunt una ſe conferunt. Alter eſt annus magnus Democrati, ut tenet Cenſorinus *cap.* 18. *citato*, qui conſtituitur ex annis 82. Cujus etiam meminit Laërtius in vita Democrati, & alii plures relati à Lindembrog ſuper caput 18. Cenſorini. Præterea annus alius eſt cæleſtis, alius civilis; Cæleſtis aut eſt ſolaris aut lunaris: Solaris etiam naturalis dictus à Cenſorino, eſt tempus, quo ſol ſuum peragit naturalem curſum per duodecim ſigna Zodiaci, quem complet in diebus 365. quinque horis, & 49. minutis, vel in 365. diebus cum quadrante. Lunaris annus vocabatur ab Ægyptiis; unuſquiſque lunæ circuitus, qui unoquoque menſe fit; eorum alii lunarem etiam annum conabantur complere ex duobus lunæ circuitibus; Alii, ut tenet Solinus, ex tribus, aut quatuor lunæ circuitibus illum componebant: ex Macrobio alii ex ſex menſibus lunarem faciebant annum, Romulus oc-

decem-

Digitized by Google

decem: Poſtea verò receptus eſt lunaris annus ex duodecim menſium lunæ revolutionibus. Civilis annus fuit, quem unaquæque civitas pro placito eligebat, ſive lunarem, ſive ſolarem, in majori aut minori duratione. Inter quos Hebræus Populus obſervat annum lunarem, ut tenet Harbillæus, & annum ſolarem vertentem ex 365. diebus, & annum communem tricenis menſibus completum ex 360. diebus. Et juniores annum communem evertunt, ut tenet Vechietus de anno primitivo; & ideò Lydiatus de illorum anno inquit, quod partim erat lunaris, partim ſolaris, partim Civilis, & apud ipſos ut tenet Carranza, annus communis conſtabat ex 360. diebus; ſolaris ex 365. Lunaris ex 354.

Apud Ægyptios anni computatio fuit varia, & multiplex, ut Pierius notavit in Hieroglyphicis, & Cenſorinus de die natali *cap. 19.* Sed communiter ex Herodoto, Cenſorino, & Macrobio tàm Civilem, quam ſolarem annum conſtituebant ex 360. diebus, ex quibus complebant duodecim menſes æquales tricenes, licet apud ipſos Thebani inæqualiter differebant: Græci, ut tenent Macrobius, Laërtius, & Cenſorinus annum Civilem, & ſolarem admittebant ex 360. diebus, duodecimque menſibus æqualibus tricenis. Romani verò, ut tenet Cenſorinus de die Natali *cap. 20.* varii fuerunt in annorum computatione; nondum compertum qualis hæc fuerit in principio Populi. Roſſinus triplicem apud illos fuiſſe tenuit, aliam à Romulo præſcriptam, aliam à Numa: aliam à Julio Cæſare; & in prima conſtitit annus ex decem menſibus, & diebus 304. Secundus ex duodecim menſibus & diebus 354. Tertius ex duodecim menſibus & diebus 365. Tenent alii, quòd erat illis annus ſolaris & Civilis, ſicut & Græcis conſtans ex 360. diebus. Nos verò de anno ſolari, quo metitur duratio vitæ humanæ agimus qui conſtat ex 365. cum quadrante.

§. III.

Climacterica tempora quæ admittuntur ab Authoribus.

INſignes mutationes reperiuntur in vita hominum, quæ climactericæ dicuntur, quas Henricus Ranzovius latiori calamo præſcripſit, & præcipuè tempora in quibus accidunt, climacterica dicuntur, ſive ſint anni, ſive ſeptimanæ, ſive dies. Primi dies hebdomadici, ſive climacterici dicti, deſumuntur à ſeptimo numero 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. 56. 63. Climactericus magnus 70. 77. 84. 95. 98. 105. 112. 119. 126. Climactericus maximus 133. 140. 147. 154. 168. 175. 182. 189. 196. 203. 210. 217. 224. 231. 237. 245. 255. 259. 266. 273. 280. 287. 294. 301. 308. 315. 323. 329. 336. 343. 350. 357. 364. 375. 378. 385. 392. 399. 406. 413. 420. 427. 434. 441. 448. 455. 462. 469. 476. 483. 490. 497. 504. 510. 518. 525. 532. 539. 546. 553. 560. 567. 574. 580. 587. 594. 602. 679. 686. 693. 700. 707. 714. 721. 728. 735. 742. 749. 756. 763. 770. 777. 784. 791. 798. 812. 819. 826. 831. 840. 847. 854. 861. 868. 875. 882. 889. 896. 903. 910. 917. 924. 931. 939. 945. 952. 959. 966. 973. 980. 987. 994. 1001.

Aliqui dies computantur à numero nono, & dicuntur enneatici, ſeu climacterici decretorii, & ſunt. 9. 18. 27. 36. 45. 63. Climactericus ſeu enneaticus magnus dicitur dies 135. 144. 153. 162. 171. 180. 189. 207. 216. 225. 234. 243. 252. 261. 270. 279. 288. 297. 306. 315.

315. 324. 333. 342. 351. 360. 369. 378. 396. 405. 414. 423. 432. 441. 450. 459. 468. 477. 486. 495. 504. 513. 522. 531. 540. 549. 558. 567. 576. 585. 594. 603. 612. 621. 630. 639. 648. 657. 666. 675. 684. 693. 702. 711. 720. 729. 738. 747. 758. 765. 774. 783. 792. 801. 810. 819. 828. 837. 846. 855. 864. 873. 882. 891. 900. 909. 918. 927. 936. 945. 954. 963. 972. 981. 999. 1008. In hunc ultimum terminum non extenditur hominum duratio. Acceſſerunt proximè patriarchæ, Monarchiæ pertingunt has ultimas ætates: Inter hos dies climactericos periculoſiores judicantur, qui aſcendunt per tres hebdomadas annorum 21. 42. 63. 84. & 105.

Inter annos enneaticos, & climactericos periculoſiores annumerantur 49. 56. & 63. nam 49. continet ſeptem ſeptimanas, & ſepties ſeptem annos, in annos 56. concurrunt ſeptimus, & octonarius, 63. annus continet novem ſeptenarium, aut ſepties novenarium, à quibus major expectatur mutatio, ideò ex Firmico Andraclas dicitur ab Ægyptiis, quia vitæ comminuit ſubſtantiam ut herba Andracion, quæ hominem interficit, & ideò de hoc anno maxime dubitatur: an vita hominis periclitetur quam maximè in illo?

§. IV.

Ex quibus apparet annum 63. Andraclum judicari debere.

TEnet communis conſenſus annum climactericum funeſtum eſſe hominibus ſuadet temporum obſervatio, quæ demonſtrat in illo quamplurimos vitam cum morte commutaſſe, & ex notioribus eventum conteſtantur, qui in illo interierunt, Orphæus, Anaxagoras, Ariſtoteles, Demoſtenes, Chryſippus, Darius, Quintus, Fabius, Hannibal, Scipio Africanus, Cicero, Salluſtius, Claudius, Coccius, Nerva, Trajanus, Adrianus, Tiberius ſecundus Conſtantinus Magnus, Cæſar Mauritius, Venerabilis Beda, Ludovicus Pius, D. Bernardus, Mahometes, Schanderbegius, Bocatius, Munſterus, Barbaro Imperator. Philippus Comes Piccolominus, Pontifex Adrianus Sextus, Joannes Dux Saxoniæ, Cæſar Ferdinandus Frater Caroli V. & innumeri alii, quos longum eſſet recenſere. Contendunt alii climactericum annum funeſtum eſſe ob vim numerorum, quos refutat Torreblanca, & Bonaventura demonſtrantes contra Pythagoricos, nullam vim tribuendam eſſe numeris. Valleſius & Bonaventura vim tribuunt Climacterico anno agendi in homines ex Hippocratis doctrina, *lib. de ſeptimeſtri partu* ubi ſancivit morbos, ſanitates, & alias plures vitæ mutationes, ſuos habere dies determinatos, menſes, aut annos, in quibus contingat; & ideò 3. *Aphoriſmor.* unicuique ætatis ſuos præſcribit morbos, variaſque mutationes temperierum, & morum ſubſequuntur ex illis, & varii eventus ſalutis, aut mortis in variis diebus criticis, ut tenet Andreas Laurentius, *lib. de Criſibus,* quia ſunt à natura præſcriptæ durationes, ſublunaribus circa propriam naturam, & Galenus *lib. 2. de diebus decretoriis* præcipuè de hominibus inquit, naturam peculiari providentia proſpicere humano corpori, & in ipſo uti quibuſdam motibus ordinatis, & periodis determinatis in productione, augmento, & fine ſuæ durationis, quæ incipiunt, ab utero in conceptu, formatione, integritate, motu, & editu in lucem, poſtquam variæ per annos menſurantur mutationes, & per ætates uſque ad in-

Digitized by Google

ad interitum, ideò Ariſtoteles *lib.* 2. *de generat.* docuit omnium quæ naturâ conſtant, ſuum cuique eſſe peculiarem periodum generationis, & interitus, & pro interitu annum 63. ſuſpectum tenuére Cenſorinus, Plinius, Averroes, Aulus Gellius, *Seneca*, Ficinus, Rhodiginius, Julius Maternus, Levinius Lemnius, Laiamancius, Bonaventura, & alii celebres *Scriptores*, qui adhuc variant in tradenda cauſa. Seneca judicat illam non poſſe per Philoſophiã reddi, Marſilius Ficinus cum Aſtrologis ipſam refundit in Planetas, & Saturnum ſeptenariorum ponit Authorem, & mutationum quæ fiunt in illis. Pytagorici tribuunt agendi vim numeris ipſis.

§. V.

Andraclum non debere judicari annum 63. determinatur.

Plura demonſtrant annum ſexageſimum tertium non debere Andraclum teneri, & tanquam cunctis infeſtiſſimum judicari, cùm innumeri, qui ſine noxa illum percurrerunt, evidenti experientia id comprobent, variique Authores idem confirmantes exemplis, inter quos Joſeph. *lib.* 1. *antiquitatum*, Plinius, *lib.* 7. *natural hiſtor.* Lucianus, *in Dialog.* Ovidius, *lib.* 4. *Metamorph.* Juvenalis, *Satyra* 10. Statius, *lib.* 1. Valerius maximus, *l.* 8. Vollaterranus, *lib.* 13. Rhodiginius, *lib* 19. *cap.* 20. Fulgoſius, *lib.* 8. Olaus Magnus, *lib.* 4. *hiſtor. Septentr. cap.* 4. Bodinus, *Method. hiſt. c.* 9. Maneton, Veroſus, Mochus, Hoſtiæus, Heſiodus, Hecatæus, Xenophon, qui plures enumerant, qui plures pertranſiére ætates. Hellancius obſervavit quoſdam ex gente Epeorum apud Ætolias ducentos conſueviſſe annos vivere, Sabellicus de Muſicanis Indiæ populis centum & triginta annos conſueviſſe vivere tenuit, Strabo ſenes Indos refert vitam prorogaſſe per ducentos annos. Cyrni Indi ducentos quadraginta attingebant vitæ annos. Crates dixit, quoſdam Indos ad 300. annos porrigere vitam, quo Gymnetas appellat; Cardanus ex Solino in Convallibus Pandoræ [illegible] inhabitatores duplicatâ reliquorum ætate vixiſſe tenet. Plinius, Strabo, & Rhodiginius penes montes Riphæos habitatores vixiſſe per n. [illegible] annos tenent, nec multum deceſſere ab hac ætatum duratione Patriarchæ ut conſtat ex ſacra Pagina, & ex aliis Populis plures longævi annumerantur inter reliquos Sybillas maxime vitam protraxiſſe fertur; peculiareſq; in omni ſæculo homines quibus annus ſexageſimus tertius ex ſua natura non fuit Andraclus.

Præterea quale ſit unicuique præfinitum tempus, nulli conſtare poteſt; docuit enim Chriſtus Dominus: *Neſcitis diem neque horam*; & licet hæc claudatur periodo ex Ariſtotele, *lib.* 2. *de generat cap.* 10. nullus unicuique informis, ab internis enim & externis immutatur cauſis in unoquoque, & in diverſis hominibus, ideò nec uniformis determinatur homini vitæ duratio in Sacra Pagina, Geneſ. enim *cap.* 6. porrigitur vitæ humanæ duratio uſque ad annos centum & viginti, in Eccleſ. *cap.* 18. ad centum tantum porrigitur. Ex quo conſtat, annum 63. non poſſe determinari tanquam Andraclum, neceſſitate ordinis rerum. Præterea Ariſtot. *lib. de longit. & brevit. vitæ cap.* 2. Galenus *libr. de temp.* & qui diſputarunt de cauſis interitus naturalis in humido radicali, inveniunt cauſam

longioris

Digitized by Google

longioris vitæ, quam nequit prævertere annus 63. Noſque agentes de cauſis Prolongationis vitæ plures adduximus, quæ non poſſunt evinci à *num.* 63. Propter hæc aliqui contendunt, annos climactericos dici, non quia Andracli ſint, ſed quia natura in illis ſuas terminat mutationes, & aſcendit ad ætatis humanæ curſus connaturaliter debitos, ſicut in diebus decretoriis contingit, in quibus alii pereunt, plerique firmantur in melius. Præterea ſicut morbos vitare in ſe didicit Galenus mutata victus ratione, hac debitè oppoſita anni 63. Andraclum eventum poterit vitare, qui ex commotis humoribus, in illo timetur. Præterea qui in climactericis annis funeſti experiuntur eventus, in aliis quibuſcunque annis obſervatum eſt contigiſſe aliis hominibus, & econtra pluribus evenerunt fælices eventus in annis climactericis. Nec fatum quidquam operari poteſt in Climactericis annis, nam nihil tale habens vim agendi aſſignari poteſt, ut demonſtrant Theologi, præter Dei providentiam, hæc autem in iis, & aliis annis pro libito operatur, nihil coacta molitur, nullis numeris, aut Aſtris ad agendum hoc vel illo modo cogitur, ideo Alexander Scotus, Mirandulanus, Mantuanus, Themiſtius, Ariſtoteles antiquam fati acceptionem reliquerunt, & ſi qui horum fatum eſſe naturam tenuerunt ipſam pendere à Divina Providentia admittebant. Nec numerus vim infert agendi iis annis; nihil enim numerus ſuperaddit reale rebus enumeratis, in quo ſit vis agendi funeſtos eventus in illis. Nec Aſtris ille poteſt tribui concurrentibus in annis climactericis; Nam Aſtrorum motus, & concurſus non eſt idem omnibus, nec annorum acceptio eadem, ut poſſint ſimul, & ſemper in hoc anno concurrere, diximus enim ſupra, quam variæ fuerint per omnia ſæcula annorum computationes apud varias gentes; ex quarum mutatione confunditur Climactericorum annorum, numerus in anno magno numerato ab Ariſtotele, Livio, Herodoto, & Plinio, conſtatque nullum hominem ſupputationem adimplere: reliquorum duratio diverſa annumeratur, & licet ſolaris annus ab omnibus admittatur, & ejus duratio, hæc tamen varia eſt, & ut tenet Solinus, incerto modo ſumitur, & ideò apud Numam, Cæſarem, Julianum, & alios, reformata eſt: apud Ægyptios ex quatuor menſibus complebatur annus: apud Arcades ex tribus: apud Arcmanos ex ſex menſibus: apud Romanos ex decem; Poſteà ex duodecim, & menſes etiam gentes variæ ex diverſo dierum numero adimplebant, & ut ſupra diximus, apud varias gentes, varius admittebatur annus, Solaris, lunaris, vertens, uſualis, temporalis, naturalis, legitimus, Civilis, Julianus, emergens, emboliſmus, Biſſextilis, Intercalaris, Methonicus, Olympicus, Luſtricus, Jubilæus, Mundanus, & ideo Macrobius dicebat 1. Saturnal. annum apud gentes diſpari numero admitti: ex quo concludit Scaliger, nullam fuiſſe certam computationem anni climacterici apud omnes gentes, immò juxta variam anni acceptionem, aliis eſſe climactericum 63. aliis octogeſimum, aliis nonageſimum: Sed ex toto confundit climactericorum vim, quod licet ab aliquibus Hiſtoricis ſint annumerari, & à vana Aſtrologorum fiducia conficti, à nullis probatæ authoritatis Philoſophis defenduntur, immò etiam à Claſſicis omittuntur, tanquam

 Aſtrolo-

Aſtrologorum figmentum, nullis Phyſicis fundamentis confirmatum.

CONSVLTATIO VI.

De ſuſpicione exhibiti veneni in Convivio.

CONTINET

§. I.

Proponitur conſulendi ratio, occaſioque dubitandi.

§. II.

Quid venenum, & varia illius differentia proponuntur.

§. III.

Qualis ex ſignis veneni appareat ſuſpicio quod mors hujus juvenis ſit ex veneno dativo.

§. IV.

De veneno ope dæmonis communicato qualis ſuſpicio?

§. V.

Inveſtigatur poſſibilitas, & dignotio nativi veneni.

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I.

Proponitur conſulendi occaſio, ratioque dubitandi.

IUvenis optima fruens ſanitate in convivium accerſitus, largiori abuſus eſt victu & vini porationibus; alacer permanſit in convivio; ſed paulò poſt ab aſſumpto cibo, incidit in graviſſima ſymptomata; nauſeam patiebatur aſſiduam, inſignem ventris perſentiebat gravitatem, anxietatem, morſuſque cordis, poſt ſubſequuta eſt febris, ſingultus, & ſitis, cum morſu inteſtinorum, quibus ingraveſcentibus vitam cum morte commutavit; extrema & ungues livuerunt, & nigra ſunt reddita, cunctiſque propinati veneni ſubcrevit ſuſpicio, indicia id conteſtantia apparebant; nulla præceſſerat injuriæ, nec inimicitiæ nota; nec ſuſpicio inter Convivas; Dubium ſe cunctis offerebat, & mens anceps, concordes erant in judicando, quòd mors, & accidentia erant ſubſequuta ex veneno, ſed quale hoc in corpore genitum; an in convivio exhibitum conſtare non poterat; Rumor tandem tulit in judicium ſuſpicionem, pervenit in Medicos controverſia, circa quam hæc propoſuimus.

§. II.

Quid venenum, & varia illius differentia proponuntur?

VEnenum apud Mercurialem, & alios Medicos, & præcipuè apud Iuriſprofeſſores, *in l. Quod ſæpè* §. *veneni D. de contrahend. emption. l qui venenum. D. de verbor. ſignificat. l.* 3. §. *adjectio D. ad l. Corneliam de ſicar l. Item ſi obſtetrix.* §. 1. *D. ad l. Aquil. l. ſi ſciente D. ad l. Pompon. de Parricidio.* Menoch. *de arbitr. caſ.* 358. Afflict. *in conſt. mala toxica lib.* 3. Buleuger. *de Mag. lib.* 2. *cap.* 34. citati à Torreblanca, *lib.* 12. *cap.* 2. *de jure ſpirituali*; Sumitur pro Pharmaco, & ut ſic abſtrahit à venenis propriè ſumptis, & aliis medicamentis. Propriè ſumptum ſtat pro veneno vitam hominis inſidiante. Capivatius, ut tenet Sennertus, ſumit illud pro ſubſtantia; reliqui pro ea qualitate, quæ in ipſa

in ipſa habet vim deleteriam, & illud dicunt eſſe mixtum ità naturæ contrarium, ut ipſam devincere, & corrumpere poſſit. Cardanus dicit, quòd eſt aptum vehementer nocere, ſic apud Iuris-Profeſſores variæ ſunt illius differentiæ, ut tenet Zachias, alia enim venena occidunt à propria ſubſtantia, ut napellus, & hoc eſt qualitas à tota ſubſtantia lethali vi prędita, orta à forma mixta tanquam illius proprietas, ſine aliarum interventu licet illas valeat modificare. Alia venena nocent manifeſtis qualitatibus, & ſimul occultà vi, ut opium: Superadunt alii, quòd alia manifeſtis ſolis viribus operantur ut lactucæ ſuccus; ſed ille niſi deleteria vi modificatus non necaret, ut fatentur plures citati à Zachias: Et convincit ratio: ſi enim frigiditate non necat aqua nive congelata: cur calorem vincet lactucæ ſuccus, calide ſumptus. Venena à tota ſubſtantia juxta varias quas modificant qualitates, alia dicuntur calida, alia frigida, alia humida, alia ſicca, juxta has diverſas qualitates, alia venena occidunt urendo, alia putrefaciendo, alia congelando, alia exulcerando, alia inflammando, alia ſtrangulando, hujuſmodi enim qualitates ſine nimia intenſione, eo quod ſint ab occulta venenoſa qualitate modificatæ, hos effectus eliciunt, quos intenſiores aliæ nequeunt ſimiles qualitates efficere. Venefica vis, quæ à tota ſubſtantia eſt, talis oritur à forma, ut cum tali temperamento ſubſtantifico coaptata; ideo alia ex temperamento ſubſtantifico formæ naturali coaptato, & ab ipſa forma naturaliter pullulat, ut in napello; alia ab ipſo immutato ſub tali forma, ut putridis carnibus, & rancidis nucibus apparet, in quibus donec pervertatur ſubſtantificum temperamentum, deleteria vis non pullulat. Ex hoc etiam provenit, quod deleteria vis non oriatur in quacunque parte informata per formam à qua pullulat ſemper, ſed indeterminata ſæpe mixtorum parte, quæ non à ſola pullulat forma, ſed cum tali ſubſtantifico temperamento coaptata ad eius pullulationem; ideò vipera ſecundùm alias partes eſt venenum, ſecundùm verò alias eſt antidotum; Sic felis, Cervus, veſpertilio, & alia venenoſa animalia, totàque venenorum progenies, quæ hominum vitam valet evertere vel à dæmone communicatur, vel in ipſis generatur; Vel à ſublunaribus præſtatur; ſublunaria vero vel ſunt elementa, vel mixta; in elementis non reperitur, niſi aliunde communicetur, ut aëri in peſtilenti conſtitutione; terræ ab eis, quæ illam valent coinquinare in ſpecubus, cloacis, puteis: In mixtis à propria illorum forma venenoſa oritur qualitas, ſub triplici illorum genere, in vegetabilibus, in animalibus, & in mineralibus, ſeu foſſilibus: In plantis ab opio, hyoſciamo, mandragora, ſolano, manico, doryceneo, cicuta, pſyllio, coriandro, nuce metella, fungis, aconito, napello, ephemero cholchico, taxo, oleandro, ranunculis, veratro, tytimallo, anacardis, euphorbio, ſcammonio, colocynthide, agarico nigro: In animalibus, in lepore marino, cantharidibus, rucetis, bubonibus, araneis, vipera, hirundinibus, cervi cauda; cerebro fœlis, felle viperæ, pardi, & canis piſcis, ſanguine tauri, lacte coagulato: In metallis, in ſublimato, argento vivo, calce viva, ſulphure, aqua forti, erugine, & ferrugine, antymonio, lythargyrio, plumbo uſto, ferro, & ejus ſquamma, ceruſſa, gypſo, magnete, quæ applicantur

Digitized by Google

cantur vel per os ſumpta, vel morſu, punctione, illitu, tactu, olfactu, viſu, auditu, ex quibus alia aliis opponuntur partibus, ſed præcipuè jecori, cerebro, & præcipuè quæ vehementer lethalia ſunt cordi.

Ex iis igitur tribus venenorum modis quale fuerit mortis cauſa in hoc juvene, maximè dubitari poterat, ſi ex ſignis convincebatur, quod eſſet veneno interfectus, quod nobis diſcernendum fuerat propoſitum.

§. III.

Qualis ex ſignis veneni appareat ſuſpicio quod mors hujus juvenis ſit ex veneno dativo?

Veneni aſſumpti ſigna ex antecedentibus, & ſubſequutis ſumuntur, ex antecedentibus Galenus, *6. de loc. c.* 5. præponderat, quòd æger debitâ, an morboſâ fruatur diſpoſitione, à naturali enim ſtatu in morboſum non ſic ſit ſubitò tranſitus, niſi à violenta cauſa. Attenditur ſecundò, ſi qui præceſſit cibus, aut potus moderatus, bonæ, aut noxiæ fuerit ſubſtantiæ, aptæque in pravum alimentum ſubitò immutari vel ex natura alimenti, vel ob peculiarem ſymphathiam cum individuali natura edentis illum. Nec minus præponderatur ſapor, aut odor horridus aſſumpti alimenti, qui venenoſis rebus ſunt communes, ut naturali inſtinctu abhorreantur. Ab horum aſſumptione apparent, & ſubſequuntur gutturis læſio, aut faucium adſtrictiones, pruritus, æſtus, inflammationes, dentium ſtridor, impedita deglutio, nauſea, diſplicentia, aut abominatio, præcipuè ſi ſubſequantur proximè ad æſtum, in ſuſpecto convivio; & conſertim hæc acciderint, & tumultuarie varia, ac lethalia ſymptomata ſubcreverint perturbatio, nauſea, ventriculi dolor, cordis tremor, palpitatio, ſyncope, ructus calidi, tetri, pravi, oris fœtor, vomitus corruptorum humorum, aut ſanguinis, ſingultus, anxietas, præceps virium lapſus, aſphyxia pulſuum, frigidus ſudor, frigiditas extremorum, cordis morſus, unguium, & aliarum corporis partium livor, faciei pallor, labiorum, & linguæ nigredo, inflatio, vocis cum murmure edito, vertigo, oculorum contorſio, & obſcuratio viſus, ſtupor lethargus, carnis laxitas, mentis alienatio; vel alia ſpecifica fiunt ſymptomata unicuique veneno. Poſt obitum abſumptum venenum repræſentant ex Galeno *6. de loc. affect.* corpus livens, nigricans, aut varium, aut olens putredinem moleſtiſſimam, ungues nigri, qui facile avelluntur, capilli defluentes ſponte.

Cùm igitur Juvenis ante convivium optima frueretur ſanitate, & proximè ad illud, licet poſt longam ingluviem, & potationes ſupervenerit nauſea aſſidua, ventris gravitas, anxietas, morſus cordis, ſingultus & ſitis, morſus inteſtinorum, & ſine apoplexia obierit, extrema & ungues livida ſint reddita, & nigra, concitatæ mortis, non alia judicata fuit cauſa, niſi quod ex veneno obierit; ſed cum hoc ut diximus, tripliciter poſſit communicari, vel exhibitum aut applicatum modo quo diximus per os, morſu, punctione, illitu, tactu, olfactu, viſu, auditu vè à convivis, vel ope Dæmonum; vel quia in juvene fuerit congenitum. De modo quo illi fuerit applicatum, ex dictis fuit controverſia, cum proximè è cibis fuerint ſubſequuta accidentia, ad quæ ſupervenit mors, quàm citiſſimè: maximè apud vulgares apparebat

rebat ratio, ut judicarent exhibitum fuiſſe venenum in cibo aut potu, quibus ſe largè dederat, nam de reliquis modis applicationis nullum præceſſerat indicium, invaluit, quòd deſumebatur ex aſſumpto cibo & potu, quia juvenis nullum ingratum percepit ſaporem, nec odorem, nec in lingua, palato, ore, aut gutture quidquam percepit moleſtiũ, & ſubſequuta alia accidentia ex aliis veneni applicationis ſortibus poterant ſubſequi, ideò de aliis fuit ratiocinandum.

§. IV.

De veneno ope dæmonis communicato qualis ſuſpicio?

QUod venenum fuerit veneficum ope cujuſdam, quæ ſaga judicabatur vulgariter, cujus filiam ferebatur ab ipſo cognitam, & relictam tenebant plures, licet dubii aliqui erant de poſſibilitate, de qua non dubitarunt quidam Medici Hiſpalenſes, qui elapſis annis Mediolanenſium peſtem judicabant eſſe morbum venenoſum ope dæmonũ per quoſdam pulveres communicatum & depravatorum quorundam hominum diſpoſitione illos eſſe diſperſos. Sed quidquid ſit de horum opinione, poſſe venenum ob veneficas communicari à Dæmone per intromisſionem, per compoſitiones & mixturas plurium venenorum, docente illas ipſum conficere, interdum reddendo in pulverem, vel in formam liquidam, ut potu, aut in cibis ingeratur, vel noctu per inunctionem ſagæ illud applicare poſſint, tenet Grillandus, & DelRius, quæ, ut aſſerit Remigius, variant colore prout valent varios cauſare effectus, & ex eo cognoſcuntur, quod igni projecta, nidorem, ſtrepitum, aut fulgorem projiciunt, ſed ſine venenis naturalibus poſſunt venefici ex pacto cum dæmone ſolis verbis interficere, ut colligitur, *ex cap. Nec mirum 26. quæſt. 4.* Vel ut tenet Grillandus imponendo aliquod ſignum, pacti chlamydi, in lecto, ſub limine oſtii, aut alio in loco; vel per inflationem, ut tenet Sprenger, qui docet, quod ii homines venefici ſolent paciſci cum Dæmone, ut quos ſufflarint, iracunde tetigerint, aſpexerint, vel alloquantur, iis Dæmon inferat venenoſam perniciem, lepram, mortem, vel alios veneficos morbos. Unde licet per cibum, & potum in convivio, nec per inunctionem præcedentem, vel aliis à ſagis cognitis modis non fuerit applicatum veneficum naturale venenum huic Juveni; potuit tamen proxime à Dæmone ob pactum lethale exhiberi venenum, à quo mors ſit ſubſequuta, de quo ſola nobis fuit ſuſpicio; nullum tamen apparuit ſignum, ex quo manuduceremur ad aſſerendum quod veneficum venenum fuerit mortis cauſa: Præcipuè cùm dativum venenum poſſet prius applicari, quod non ſtatim, ſed per tempus valeret operari, quale fertur contingere ex veneno, quod apud Italos de Tuphania dicitur, & de aliis arte poſſe prorogare effectum favet Zachias pro ſe adducens Avicennam, *6. 4. tract. 1. cap. 2.* Guayner, *de venen. cap. 1. dub. 6. concluſ. 1.* Ponzettum, *libr. 1. de venen. cap. 13.* Amat. *Cent. 6. curat. 88.* Paræum, *libr. 20. cap. 3.* Goubertum, *Paradig. 10. Decad. 2.* Valleriol. *lib. 3. loc com. cap. 18.* Matthiol. *in 6. Dioſcorid.* Viclivid. *libr. 2. de curat. membr.* Gorræum, *in præfat. ad Nicand.* Bacc. *in Prolog. de venen.* Foreſtum, *lib. 30. obſervat. 8.* Mercurial. *lib. de venen.* Alſar. *de quæſit. cent. 4. cap. 17.* Et confirmat ex

Juris-

JurisProfeſſor. variiſque exemplis aliquorum, qui ex ſimili veneno per dies prolongato obiére, firmatque communis Medicorum præparatio, quâ varia venenoſa medicamenta corrigunt, retardando aut impediendo vim venenoſam.

Nec ex eo quod non ſit manifeſtum indicium dativi veneni, licet ſtatim recurrere ad veneficium, plures enim ſunt modi occulti applicandi venenum dativum, qui cum nobis ſint imperceptibiles, nullum præſtant indicium talis exhibiti veneni. Apud Noſtrates ſpiſſamentum hellebori quovis modo attingant fluorem ſanguinis concitat, & paulò poſt interficit, niſi mali citonii antidoto ſtatim occurratur, apud Schenckium conſtat ex fumo veneni in carbonibus accenſi injecti mortem induci; Veſtibus etiam in ſui venenum, quo pereant, qui illis veſtiuntur, cognovit antiquitas, fatentur Ardoinus, Salius de febre, & alii, latius Grillandus. Magnus Alexander venenum in potu fertur recepiſſe, aliis in ſtapedibus fuit impoſitum, aliis in ſacra forma, aliis in atramento epiſtolarum: ex quibus apparet, quam difficile ſit judicare, an venenum fuerit dativum, an verò veneficum?

§. V.

Inveſtigatur poſſibilitas, dignotio nativi veneni.

VEnenum nativum dari, quod intra noſtrum corpus generatur, docuit Galenus, *lib. 6. de loc. c. 5. & lib. 5. de loc. 7. & 3. in 3. Epidem. text. 75. lib. de cibis boni, & mali ſucci, cap. 1. lib. de theriaca ad Pamphil. lib. 7. ſimplic. lib. 6. de morb. vulgar. comm. 6. text. 5.* Sed an ſit propriè venenum ſicut dativum, an illi quid ſimile? controvertunt Juniores, præcipuè Carreirus, Zachias, & ex illis nuperrimus Francus à Reyes deſumit. Averroës 3. *Collig. cap. 29.* Mercurial. *lib. 1. de venen.* 14. Grævinus, *lib. 1. cap. 1.* Rudius, *lib. 2. de morb. occult.* Nicolus, *ſerm. 4. ſum. 4. cap.* 4. quid ſimile veneno dicunt eſſe venenum nativum. Sed Androinus *lib. 1. de venen. cap.* 4. Cardanus, *lib. 1. de venen. cap. 6.* Valleſius 3. *epidem. ſect. 3. ægrot. 4. text.* 16. Valleriola *lib. 3. de loc. comm. c.* 18. Saxonia, *de Phenig. lib. 2. cap.* 20. Codronchus, *in meth. teſtificandi, cap. 6.* Caſtrenſis, *lib. 2. de metheor. cap.* 12. nativum venenum verum venenum eſſe teſtantur. Comprobat rabies, quæ non ſolum homini ab extrinſeco ſupervenit, ſed tanquam nativum venenum in homine generari, tenent Aurelianus, *lib. 3. acut. cap.* 9. Gariopon, *lib. 3. c.* 7. Varæus, *lib.* 10. *cap.* 30. Salius, *de affectib. particul. cap.* 19. Galenus, *comm. 1. in 1. Prorer.* in hanc opinionē adducuntur, Nicolus fatetur, quod totus homo poteſt in venenum converti, idem experientia conteſtatur in pede-occiſis, confirmant accidentia ex nativo veneno ſubſequuta, quæ non differunt ab eis, quæ ſubſequuntur Dativo Non parum differunt in hoc Juniores. Zachias plura proponit ſigna, quæ nativum venenum diſtinguunt à dativo. Francus illa eſſe communia comprobat, & qualiter confunduntur, demonſtrat, nulla enim ex calidis dativis venenis ſunt accidentia, quæ urens ſimili modo atrabilis non judicat. Alſarius perſtitit in hac opinione comprobans ex Hippocrate, *lib. 5. epid.* qui accidentia dativi veneni refert proveniſſe ex innato; [Athenis inquit virum cholera corripuit, vomebat, deorſumque egerebat, & dolebat, & neque vomitus, neque per alvum ſeceſſus

ſeceſſus ſiſti poterat, & vox ipſum deſtituebat, & ex lecto moveri non poterat, & oculi caliginoſi, & cavi erant, & convulſiones tenebant ab alvo, & inteſtino ſingultus.] Nec ſolum hæc & nos ut tenet Alſarius in hoc modo experimur ſymptomata, ſed ex hoc innato veneno ſimul omnia, quæ à vehementisſimo dativo veneno poſſunt ſupervenire, & comprobatur ex Hippocrate, *lib. 5. Epidem. text. 19.* in hiſtoria famulæ Oneſidemi quæ ex innata venenoſa atrabile ſupervenientibus, venenorum accidẽtibus gravioribus obiit quaſi ex dativo eſſet extincta. Ex quo omnes Authores tam Medici quam JurisProfeſſores atteſtantur, cum quanta providentia debent Medici teſtificare de veneno dativo, quantum eſt ratione accidentium; ſimilia enim ſunt, quæ ab utroque proveniunt; & ipſe Zachias hoc maximè eſſe præmeditandum advertit, licet plura proponat diſtinctiva ſigna; Francus & Alſarius, nulla talia dari conteſtantur, Carreirus ejuſdem fuit opinionis, Galenus, ſignorum horum docuit incertitudinem, *lib. de compoſ. medic. per loca*, & Dioſcorides *lib. 6 in præfat.* ideò ut tenet Francus, Alſarius de quæſitis, Angelus Victorius, *conſult. 2.* Sanctorius, *de vitand. errorib.* Augenius, *in ſuſpicione de veneno exhibito*, non ſunt auſi dativum à nativo diſtinguere. Sylvaticus præcipuè dubitat, an propinati clam veneni ſit certa cognitio: & partem negativam tuetur, comprobatque. Tùm quia nullum eſt veneni accidens quod non poſſit ſuboriri ſine veneno dativo ab aliquo morbo homini ſuperveniente, vel à veneno illi nativo: ideò Dioſcorides nullum cognoſcendi nativi veneni auſus eſt aſſignare ſignum, quia venenorum accidentia communia ſunt aliis morbis etiam nativis quam dativis venenis, immò & venenis veneficis. Tum quia Galenus Dioſcoridis opinioni acquieſcit, *lib. 3. epidem. comm. 3. lib. 6 epidem. comm. 5 lib. de cibis boni & mali ſucci*; Confirmat ſimilitudo accidentium in hiſtorica affectione, in qua venenoſa accidentia ſubitam inferunt mortem, qualem poſſent efficere venena dativa. Tum quia ſicut in ſano homine, ſubito propinato dativo veneno cum graviſſimis accidentibus properanter accidit mors, ſimiliter in juvene bene ſe habente docet Hippocrates contigiſſe, *lib. 3. Epidem.* & fatetur Galenus, non à dativo, ſed ab innato veneno ſimilia potente cauſare eveniſſe. Ex quo apparet, quòd ſubita mors ſuperveniens homini ſano cum venenoſis accidentibus, exhibiti veneni dativi non præſtet manifeſtum indicium, ut plerique judicant. Tum quia ſicut venena in corpore congenita, ut venenoſus ſanguis menſtruus, necare valent reliqua viventia, & ſtirpes, ut tenet Plinius, poterunt & hominem extinguere, ſicut venena dativa, & cum eiſdem lethalibus accidentibus ſine eo quòd diſtinguantur à dativis. Nec Juris-Profeſſores ſecuriorem viam diſtinguendi hæc venena invenerunt, ancipites enim illam dubitant, Bosſius, *in pract. criminal.* Cavallus *de omni genere homicidii.* Guazzinus, *in tract. de defenſ. reor.* ut tenet Francus. Nec nos auſi fuimus venenorum genera diſtinguere inſpecto cadavere, prævisiſque ſignis annuẽtes Joanni Meſſue *in ſupplemento.* Aponenſ. *ad lib. 2. ſerm. de unctionibus*, §. *Aliquando enim ut vidiſtis quod robuſti & ſine languore videntur, accidit caſus virtutis & ſubito moriuntur, & ignoratis cauſam, & fuit hoc ſoli*

Deo notum & naturæ propriæ: quoniam nulla cauſa apparuit cognita Medico; His autem ſubvenire non eſt Medici, nec medicinarum poſſe, ſed glorioſiſſimi, & excelſi omnium languorum ſanare paſſiones.

CONSVLTATIO VII

De communi Praxi omnium Medentium.

CONTINET

§. I.

Conſultationis proponitur occaſio, & vulgaris opinio inſipientium cogens ad illam.

§. II.

Proponuntur variæ acceptiones medendi, variæ medicinæ praxim excercentium ſortes.

§. III.

De Praxi, qua utuntur, qui fingunt ſe Medicos.

§. IV.

De Praxi Methodicorum.

§. V.

De Praxi Empiricorum.

§. VI.

De Praxi Sectæ Paracelſi ſeu Severianæ.

§. VII.

De Praxi Artis Spagyricæ ſeu Chymicæ.

§. VIII.

De Praxi Vanhelmontii imaginaria.

§. IX.

Quid ſit natura, & quomodo concurrat ad praxim.

§. X.

De Praxi Medicinæ Dogmaticæ.

§. XI.

De Praxi Miniſtrorum Medicinæ Dogmaticæ.

§. XII.

De Ægrotantium Praxi.

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I.

Conſultationis proponitur occaſio & vulgaris opinio inſipientium cogens ad illam.

Conſtat ex ſacra pagina, quod inditum eſt inſipientibus nativum odium in medicinam, quo illam abhorrent, ſicut & prudentibus quædam benevolentia, qua illam proſequuntur; ideò protulit Spiritus ſanctus; quod vir prudens non abhorrebit illam. Incidimus in cœtum inſipientium, qui validè aſpernebant omnem medicinæ praxim, & tanquam inutilem contemnebant; Ignari quòd variæ ſunt Medicorum ſortes, variæ medentium ſectæ, variç concurrentium ad praxim operationes, quas omnes complectar ſub hac conſultatione. Ut aliqui Tyrones illius profeſſores valeant nebulonibus ſatisfacere: plura ex iis quæ afferemus, adduximus *in Diſputatione Apologetica pro Medicina Præſtantia*, ſed completam medentium praxim nondum protulimus; contendemus ſub hac conſultatione detegere praxim à vera medicina aberrantiũ, & proponere praxim ad Dogmaticam medicinam concurrentiũ, non ut imprudentes detineamus, quos Deus punivit ſemiirrationales relinquens: ſed ut prudentibus artis medicæ ignaris ſatisfaciamus, & ipſorum benevolentiæ in medi-

medicinam, & Medicos manifeſtemus, qui ſint veri medicinæ Profeſſores, qui legitimè ad praxim concurrant, & in illius operationibus ſunt admittendi.

§. II.

Proponuntur variæ acceptiones medendi variæ medicinæ praxim exercentium ſortes.

CONſtat ex dictis in parte antecedente, quod medicina, quæ in ſua latiori acceptione eſt Ars curatrix varias habet analogicas,& improprias acceptiones; in latiori ſui acceptione ſumitur pro qualibet arte, quæ valet ad antiquum ſtatum amiſſum aliquid reducere,&ſic divagatur per omnes ſcientias & artes, & per quoslibet prudentiæ actus: de qualibet enim re, quæ nequit reduci in priſtinam perfectionem, vulgariter dicitur,quod nequit mederi: Sumitur pro inſtrumentis medendi: & ſic dicimus de aliquibus Pharmacopæis,quod non habent optimam medicinam. Sumitur pro eo,qui languores Reipublicæ valet curare; ideò Dynaſta quidam Rex factus voluit Arthaphax nominari, id eſt, Medicus, & languorum Reipublicæ curator,quaſi Regia poteſtas ſit Ars Curatrix eorum. Sumitur pro arte curatrice morali; in qua acceptione Sancti Patres vocati ſunt Medici, & Paſtores eorum, qui in ſuis Eccleſiis ſunt illis commiſſi; quorum relapſos mores dicuntur curaſſe. Sumitur etiam medicina pro cultoribus plantarum, herbarum, & florum, & ſua culturâ dicuntur illa curare, & in priſtinam ſanitatem reducere. Sumitur etiam pro Arte curatrice brutorum, quorum morbos variis artificibus commiſſum eſt curari; ut morbi equorum veterinariis,morbi boum,ovium,caprarum, & aliorum animalium,quę ſunt ex uſu hominibus, committuntur Oeconomis, aut Paſtoribus eorum, à quibus curari ſolent per remedia ex uſu cognita, vel tradita ab Authoribus, qui de re ruſtica ſcripſerunt.

Medicina verò hominis curatrix, quæ ſimpliciter, abſolutè, & ſine addito medicina dicitur, multiplex etiam ars eſt juxta diverſas ſui ſectas: Alia enim eſt Empirica; Alia Methodica; Alia Paracelſiſtica; Et ſuo modo alia eſt Vanhelmontii dicta, quæ omnes ſectæ ſunt ſeu hæreſes,quæ deviant à medicina rationali ſeu Dogmatica, quæ eſt vera medicina, ut ſupra demonſtravimus. Non contendimus methodum tradere medicinæ, quæ impropriè, & cum addito talis dicitur; ſed ſolius medicinæ, quæ propriè ſic dicitur, & eſt Ars hominis Curatrix, & præcipuè prout eſt ſcientia naturalis, Dogmatica ac rationalis, quam rationales homines tantum profiteri tenentur: Sectæ enim ſeu hæreſes, quę ab illa deviant ſuis propriis deturbantur nominibus, & Profeſſoribus, rationali ſcientia indignis; ſub quibus indigniores alii conantur introduci ſub Medici nomine, Pſeudo-Medici quidam, qui nullis inſiſtentes principiis; quædam vulgari populo remedia vendunt, & vulgari muliercularum applauſu populares fallentes eorum inſidiantur vitiis.

§. III.

De praxi, qua utuntur, qui fingunt ſe Medicos?

IN omni ætate fuere plures, qui licet nullam profiteantur ſectam medicinæ, ſe Medicos fingunt, & ſine arte & methodo remediis utuntur de quib., dicit Hippocrates, *lib. de arte*, quod cum Medici non ſint, perſonam medici agunt, & repræſentant, & ii ſunt ex omni genere gentium: nam ut ſupra diximus:

Fingit ſe medicum quiſquis Idiota profanus.
Judæus, Monachus, Hiſtrio, Raſor, anus.

Eorum qui ſe Medicos fingunt, alii aliqua ex parte medicinam ſalutarunt, alii nulla ex parte: qui aliqua ex parte inepti facti, vel otio & inertia detenti, quam à limine ſalutarunt artem, reliquerunt, & ſolo nomine contenti ſine principiis, nec dogmatibus illam exercent apud vulgum, de quibus loquitur Hermanus, dicens: *Noſtra hac ætate ſordido quæſtu fœdiſque voluptatibus ita contaminata ſunt omnia, ut arti nullus ferè locus concedatur, Major enim medicinam factitantium pars, contemptis, & repudiatis veris curandi præceptis, morborum nomenclatura generali, & Receptarum aliquot decadibus contenti ſunt, ideoque eruditorum colloquia fugiunt, & interim nihil niſi empyrias ſuas morte infinitorum comprobatas jactant; de mercede, furorum inſtar cum ægris paciſcuntur.* Hujus ſunt ordinis quicunque Philoſophiæ & medicinæ inſtitutionibus, vel nihil prorſus, vel non ſatis imbuti, morborum. quos nec cognoſcunt, nec cognoſcere ſtudent, curam in ſe recipiunt, & ſanitatem plenis buccis pollicentur, ii non ſe, qui emto, vel falſo adſcripto Doctoratus titulo tantoperè gloriantur. His ægri meritò occinant quod Ariſtoteles ſuo Medico dixiſſe fertur, dum ei præceptum injungeret, ne inquir, ut bubulum me cures, ſed prius veram cauſam ediſſere tuæ præceptionis & morigerum habebis ægrum. de iis etiam loquitur Fuchſius, dicens: *hujus ætatis medici quidam, qui in cumulandis ſimplicibus medicamentis nullum plane modum faciunt, quos tanquam receptarios reprehendunt Solnander, & Freytagius, quia eis utuntur ſine indicatione, ratiocinio, analogiſmo, ſed ſolum quaſdam ex antiquis abrumpendo ſententias, & ii cum nullam obſervent methodum, nullamque dogmaticam ſequantur viam, nullum habent practicum exercitium, quod imitari, aut proponi debeat.*

Qui verò medicinam exercent, cujus limina nulla ex parte ſalutarunt, ſunt quædam deperditæ gentes, Parabolani, Agyrtæ, Circulatores, Dentarii, ſalutatores, vulnerarii, Incantatores, Empirici, Spagyrici, & innumeri alii, Judæi, Sarraceni, Paracelſiſtæ, Arabes, Hermetici, de quibus dicit Hartmanus, quod omnium morborum curationem hodie æſtu fallaci aggrediuntur, pleniſque buccis pollicentur Judæi perfidi, Myropolæ, Barbitonſores Circumforanei, Alchymiſtæ, anus ſurdaſtra, veſani nonnulli, & maleferiati ſacerdotes de ovis, quam ovibus magis ſolliciti, & fere omne perditorum hominum genus e fæce ſceleratorum conflatum hic tanquam ad ſacram anchoram confugit, quivis enim flagitioſiſſimus vel ſtupidiſſimus, ſi vel ob perpetrata facinora à bonorum conſortio exulare cogitur, vel laborum pertæſus honeſtis rationibus

Digitized by Google

nibus victum quærere gravatur, confeſtim Medicum, vel Chirurgum ſimulat, & vel morbos curat, vel hernias incidit, vel veſicæ calculos eximit, tantaque, & tam apertâ impoſtura, ut nulla major eſſe poſſit: hujuſmodi autem Profeſſores ſeu impoſtores ſicur nullam profitentur artem nec medicinæ ſectam, nullis ita principiis inſiſtunt, nec methodum ſervanr, practicumve præceptum, ſed in ſuis impoſturis ſiſtunt, quibus plebem, mulierculas, rudioreſque gentes fallant. Hanc Medicaſtrorum multitudinem, mores, ac vitia, ac ineptitudinem detegit Epiſcopus Zamorenſis ſupra à nobis citatus dicens: *in ſpeculo vitæ humanæ.* Vidi ego plurimos heri Aromatarios, hodie gravium morborum cenſores, heri herbas, cæteraque materialia in Pharmacopolis miſcentes, hodie in Principum Aulis morbos judicantes. Si enim etiã ſanando vix nomen boni Medici quiſque aſſumit, quonam pacto necando medicandi titulum vendicabit; quibuſdam itaque iis ſimilibus, atque remedia pollicentibus, ſed & cauſas morbi judicare conantibus illud ad Philippum, ut in Actis Apoſtolorum legimus dicebatur, Putaſne intelligis quæ dicis, quibus dicentibus etiam ego iterum cum Eunucho addebam, quomodo ſcire poteras, nemo te docuit. Mira certè res eſt, ut inquit Hieronymus Fullones, Metallarii fabri, lignorum Cæſores, ipſa quoque vilia officia exercentes abſque Doctore eſſe non poſſunt, nec experiri audent, quæ non noverunt: ſola eſt medendi Ars, quam ſibi paſſim unuſquiſque vendicat. Alii à cerebro infirmitatibus addiſcunt medicinam; Alii ab infidelibus audiunt, ut fidelibus noceant; Alii neſcio, in quibus libellis legunt, ut in miſeris corporibus uniformiter exequantur, & uno collyrio iis nihilominus incognito omnium oculos curare volunt, quo fit, ut cæcus Arte videntem natura faciat cæcum. Hi medicinam neſcientes medicina abutuntur, & artem egregiam, quam non noverunt profitentur. Medicina excellenti, & egregio nomine gloriantur, & quæſtus gratia pecuniam ut finem quærunt; viris excellentibus plerumque in hac Arte non creditur, & eadem turpiter abutentibus præmia dantur. Ex iis ſatis appoſitè manent definiti Pſeudomedici, deperditive homines, qui ſe inſerunt medicatrici arti hominum, ſine aliquo principio, & ideo, & ſine aliqua methodo, quam praxin valeant exercere.

Sed quia nebulones ii omnes ſunt impoſtores, ſi quæ methodus invenienda, hæc neceſſaria eſt, ut illos doceamus diſtinguere à veris Medicis, Freytagius, à Reyes, Rodericus à Caſtro, & alii egerunt de horum impoſturis, ex quibus cognoſcuntur, & à veris Medicis diſcernuntur, hoc enim difficile vulgaribus apparet, quia eiſdem utuntur remediis, & ideo eodem modo Medici apparent Pſeudo-medici, & illi qui verè Medici ſunt, differunt tamen ex modo eis utendi. Nam veri Medici cognoſcunt remedia, modum utendi illis, occaſionem, quos, quibus, & quando debeant applicari. Pſeudo-medici ſine horum cognitione eis utuntur: inquit enim Plato, *in Phedro. Si quis dicat: ego quidem illa ſcio corpori admovere, quibus, & caleſcat pro arbitrio meo, & frigeſcat, & vomitus, & dejectiones, & alia expurgationes perficiantur, & hujuſmodi plurima teneo quibus cognitis, & Medicum me eſſe profiteor, quid aliud*

Digitized by Google

reſponſurum autumas. *Phædrus*, *Nil aliud quam percontaturum*, *nunquid etiam ſciat*, *quibus*, *quando*, *& quouſque ſingula horum ſint adhibenda.* *Quod ſi neſciat*, *neceſſum eſt eum inſanire, qui, quod, quidquam audierit, vel in medelas nonnullas inciderit*, *medicum evaſiſſe ſe putet*, *cum nec artis aliquid intelligat.* En veram methodum ex Platone diſtinguendi medicos à Pſeudomedicis.

Sed dices: quomodo cognoſcemus qualis Medicus hæc cognoſcat? Dico, quod hoc ulterius diſcernitur ex cognitione perſonarum, nam Pſeudomedici ſunt homines deperditi ſine ſtudiis à vilioribus officiis in medicinæ exercitium introducti, circumforanei, & impoſtores, Medici verò ſunt educati in univerſitatibus, experti, docti, à Doctioribus approbati, virtuti, & literis traditi, gradibus, honoribus, & præmiis, Protomedicorum approbationibus condecorati, nec ex mulierculatum approbationibus, ſed ex ſuis actionibus cogniti.

§. IV.

De Praxi Methodicorum,

GAlenus, *libro de ſectis*, agit de ſectis Methodicorum, & Empiricorum, quæ ſub dogmatica medicina tanquam hæreſes ſubcreverunt. Eſt igitur Methodicorum ſecta, ut diximus, quam ſui Profeſſores vocabant Contemplatricem, aſſerebantque eſſe methodum eorum, quæ communia ſunt morbis, hæc, contemptis ſignis, & cauſis non inſpectis, omnes morbos in duo genera reducebant, ſeu in duas communitates, in laxum nempe, & adſtrictum, quibus ſuperaddebant medium inter hos, Primus illius inventor fuit Themiſon Laodicæus Syrus, qui ob odium Aſclepiadis Medici Dogmatici diſceſſit à Rationali Medicina, quam primo profitebatur, cui ſubſequutus fuit impudentiſſimus Theſſalus in carpendis lanis, ut tenet Galenus in libris methodi ad hanc ſectam deductus. Illam profeſſi ſunt Trallianus, Maſſæus, Antipater, Archigenes, Agatinus, Proclus, Olympicus, Mileſius, Minemachus, Soranus, & alii. Horum Sectam Galenus, *lib. de ſectis, & lib. methodi*, ex toto exterminavit, refutavit, & confutavit, donec Proſperus Alpinus Doctiſſimus rationalis, ac Dogmaticus Medicus librum de ipſa conſcripſit, in quo illius ſuſcitavit præcepta, & illius longiorem deducit originem, illamq; præclariſſimam fuiſſe ex ſuis demonſtrat Profeſſoribus, & quia ſummo cum honore illam profeſſi ſunt per trecentos ferè annos à temporibus Marci Antonii, & Cleopatræ, uſque ad ætatem Severi Imperatoris, in quibus ſucceſſivè floruerunt ſui Profeſſores dogmaticorum omnia aſpernantes præcepta, omittentes cognoſcere naturam corporis humani, quod curaturi erant, omnes contemnentes illius cauſas, partes affectas, ætatem, conſuetudinem, Theſſalus ſummo faſtu ſub Nerone hanc profitebatur Sectam, quique gloriabatur novam condidiſſe ſectam præſtantiorem quacunque alia, quæ præceſſerit, & in monumento Victorem Medicorū ſeipſum fuiſſe conſcripſit, Vectius Valens nobilitavit hanc ſectam, & ipſe, ut tenet Plinius, nobilitatus fuit adulterio Meſſaniſſæ uxoris Claudii Imperatoris: Dyoniſius, ſive Mileſius, ſive Samius fuerit fuit magnæ authoritatis inter methodicos, & honorificè de illo loquuntur Galenus, Celſus, & Actius, Proclus etiam citatur à Galeno, ſicut & Antipater;

Digitized by Google

pater ; Soranus Epheſius, Suida Authore in magno fuit honore, & illius opera id conteſtantur, quem Aurelianus Methodicorum judicavit Principem, Julianus Apollonides plura compoſuit medicamenta, quæ dogmatici receperunt, Aurelianus Sicenſis præclarus ſtetit, & ſuæ Sectæ immiſcuit plura dogmaticorum remedia, & in eorum doctrina non parum fuit verſatus, & alii aliis temporibus hanc ſectam præclaram reddiderunt, illam reliquis indicarunt clariorem, & Theſſalus ſex menſium ſpatio poſſe addiſci, gloriabatur.

Horum tamen Authorum deſiderantur opera, ex quibus ejus methodus poſſit proponi. *in libr. introductorio cap.* 30. hæc ita delineatur: Methodica communitatibus, & ſimili ſpeculationi adhæret, omnes enim particulares affectus ad generales duos reducunt, nempe adſtrictum, & fluentem, quas communitates vocant, cognoſcunt eas ex obortis circa corpus affectionibus in utroq; evidenter conſpicuis. Quare notas non deſiderant: exempli gratia: adſtrictum inde oriri, quod corpus denſatum ſit, profluvium ipſius ſiſtatur, omniſque evidens excretio impeditur. Fluentem verè inde: quod ſumma corporis cutis rara evaſerit, & cujuſque corporis particulæ excretiones ſenſibiles intenſæ ſint. Duplicem igitur curationis ſpeciem generales duo corporis morbi ſibi indicant, nempè ſi corpus adſtrictum eſt, laxandum eſſe; ſi profluvio laborat, comprimendum, ſi vitium mixtum habet, occurrendum vehementiori malo.

Cæterum communitates omnes nominant evidentes, harum alias paſſivas, ut adſtrictum & fluens; alias curativas, ut reſolvere & tenere ; quaſdam temporales, initium, incrementum, vigorem, ſeu ſtatum, & declinationem. Porrò Medicina, quæ manu medetur, communiter in ejus ablatione quod alienum eſt conſiſtit. Duplex enim alienum eſt, vel extrinſecùs, vel in corpore: extrinſecùs ſimplex illius, quod in corpore eſt tres numerantur ſpecies. At quod extrinſecus ut ſpiculum, telum, & quodcunque aliud id genus exiſtit, perfectam eductionem oſtendit eorum quæ in corpore, aliud loco alienum, ut ſuffuſio, eluxatio, & fractura, quæ tranſpoſitionem, vel rectitudinem in proprium locum indicant. Aliud magnitudine ut abceſſus, & omnes ſcroti tumores, Acrochordones, id eſt penſillæ verrucæ, phymata, & condylomata. Quorum nonnulla diviſionem requirunt, nonnulla ſummam ſuperfluorum præciſionem demonſtrant. Aliud defectu alienum, non ut ſupervacuum, ſed veluti deficiens dicitur cujuſmodi ſunt mutilia, & curta omnia, ſicut in labris oculiſque cernimus, unde quidam leporinos oculos & leporina labra habentes nominantur, pari modo etiam ſe habent fiſtulæ, & vitia profunda ; quæ Græci vocãt hypophora, ſinus, ulcera, aliaque hujuſmodi omnia, quæ ex defectu repletionem deſiderant, atque indicant. Eſt verò præter quatuor Chirurgorum communitates & ſpecies, quam præſervationem appellant. Apponitur autem & ipſa ut communitas in deleteriis, & toxicis, beſtiiſque omnibus, quæ virus inſpuunt, tùm venenoſis, volatilibus & terreſtribus, aquatilibuſque. Nam commune omnium genus, ut ſint exitialia, non tam ad adſtrictum, & fluens referuntur, ſed aliud eſt præter hæc genus. Quare & curatoria ipſorum communitas alia præter illam habetur,

tur,

tur, dicta Prophylautica. Methodicam quoque Sectam primum ſculpit ſimilis in evidentibus, conſideratio. Sed non in latentibus, & abditis, quemadmodum in rationali ſecta. Hoc unum intercedit diſcriminis, quod in illa quoque ſimilium inſpectio, ſed in obſcuris conſiſtit. Secundum, quod ex ſimili in evidentibus affectus, auxilia, tempora, particularia omnia ad generalia reducit. Attamen non evidentia tantum Empiricorũ more animadvertunt; Sed peculiaribus nullo generali cognito inſiſtunt. Ex his patet, qualis Methodicorum fuit praxis.

§. V.

De Praxi Empiricorum.

MEdicinæ altera ſupervenit ſecta Empirica dicta, quæ ut tenet Freytagius eſt duplex, alia ab antiquis illius ſectatoribus exculta, alia à Modernioribus uſitata, hæc, non eſt alia ab ea, quam diximus *cap.* I. exerceri à Pſeudo-medicis, quam ipſe Freytagius ſic proponit, Sciendum eſt longe fuiſſe aliam veterum, (quam modernorum hodie ſit) Empiricorum conditionem. Illi ſe Empiricos ab Empiria, experimentatores ab experimentis cognominabant, & arbitrabantur tantum per experientiam à Medicis veram cognitionem aucupandam, & quemadmodum illis ex plurimis experimentis tota conflabatur Ars; ita ſingula experimenta ex variis conabantur conficere experimentis, cenſentes nihil conferre artificioſa præcepta, & orationem ad Artem Medicam. Noſtri verò moderni Empirici nomen illud Empiricorum anxiè fugiunt, quod ſciant apud bonos, & eruditos, malè audire eos, quare cum ſimplicibus in Empiricos unà invehuntur, ſuaſque Thraſonicè venditant ſententias, & rerum cognitionem, & verba ſermoni ſuo nonnunquam inſerunt Latina, eaque contremiſcentibus Ciceronis manibus ebuccinant, frequenter verba male intellecta: Si autem à literatis, & eruditis qualem exercent artem interrogentur, ſyncere quaſi fatentur, ſe literas ignorare, nec magnopere eruditos, nec Doctores eſſe, nihilominus ſibi quædam cognita eſſe experimenta, quæ à Magiſtro ſuo Empirico ſeu uſu didicerunt. Ex his conſtat, hos nebulones deperditos eſſe quoſdam homines, qui nec artem, nec ſectam profitentur, nec methodum ſervant, nec praxis aliqua habent præcepta.

Antiquiores vero Empirici, ſectam profitebantur Empiricam, & eam judicabant præſtantiorem eſſe medicinà dogmaticâ, ſolis experimentis utebantur, & poſthahabitâ indicatione ad ſyndromen ſeu concurſum ſymptomatum reſpiciebant, incognitâ cauſâ; & ut diximus alibi morbos curabant utentes memoria, inſpectione, & hiſtoria. & tres ſpecies ſub hac Artis ſecta admittebant. Prima reſpiciebat accidentia dum inconſultò ſuperveniunt ad experiendum: Secunda Empirica ex propoſito dicebatur, dum ex inſomniis, aut alterius operatione ducti experiebantur aliquid: Tertia dicebatur imitatrix, dum proſequebantur auxilia, quæ aliis opem tulerant, vel dum Profeſſores declinabant ea, quæ noxia fuerant. Horum antiquorum Empirica ſecta non omninò fuit deſtituta aliquibus principiis, ut patet ex dictis, nec aliquibus Authoribus, qui ipſam conati ſunt defendere, & ſuis ſcriptis fulcire. Plinius illam judicat reliquis fuiſſe antiquiorem,

rem, inventamque fuiſſe ab Acreone, Agrigentino; conſtat tamen primum Authorem fuiſſe Philinum Coum, qui etiam diſceſſit à rationali medicina, quam fuerat profeſſus ob odium Herophili, cujus fuerat Diſcipulus. Ipſum ſecuti ſunt Creto, Philiſtion, Menodotus, Serapion, Marcellus Empiricus, Leonellus Faventinus, Glaucias, Appollonius, Diodorus & alii in illa celebres, qui omnes hujus Sectæ excellentiam prædicabant, quaſi à natura ipſam edoctam fuiſſe contenderent, quæ docet ad ſimilia ex ſimilibus tranſire, ſed nos illius nullam eſſe methodum pro praxi utilem judicamus, & ipſam artis rationem non habere ex Freytagio convincimur, quia ars debet conſtare ex principiorum contemplatione: Empirici non procedunt ex illorum cognitione, aut contemplatione, ſed ex experimentis ſenſibus obviis, & ab ipſis inventis; Tum quia Empirici docti judicant fieri, quia remediorum farraginem cumulant ex diverſis ac ſingularibus experimentis inventam; ſingularia autem habitum certum non generant; ſed inconſtanti eventu infirmum illum reddunt; quam incertitudinem Galenus docet contra ipſos *in fragmento* dicens: *Maximus Empiricorum error eſt, exquiſita ignorantia, ac excellens quadam impudentia & ſtupiditas*, Reprehendit enim quod incertam experientiam, & mutabilem pro ſcientia habeant. Tum conſtat ex Platone: Inquit enim, ſi quod ſtudium, materiam circa quam verſatur, cognoſcit, id ſanè ars eſt: ſi non cognoſcit, experientia; ars verò nequaquam; ego verò artem nequaquam vocarem, quæ ſine ratione eſt: tum etiam quia ars Empirica eſt obſervatio eorum, quæ ſæpè ſimili modo contingunt, experientia enim componitur ex multis ſingularibus; ſed ſingulare eſt inartificioſum, ergo & illud quod fit ex illo erit inartificioſum: Tum quia remediorum ignorant vires, cauſarum & morbi ſpeciem, tempus & occaſionem applicandi illa, aut cur, vel quomodo debent applicari: ergo nec artem, nec methodum ſervant.

§. VI.

De Praxi Secta Paracelſi ſeu Severiana.

Apud Juniores novæ aliæ medicinæ adauctæ ſunt Hæreſes, ſeu Sectæ: Paracelſiſtica, ſeu Severiana, Spagyrica, & Vanhelmontii deliramenta, Paracelſiſtica ſecta, quæ à Philippo Theophraſto Paracelſo, de quo ſupra plura edidimus, fuit Dæmonis ope confecta, in ſuis ſparſis & malè concinnatis libellis, quos conjunxit, & in aliquem ordinem reduxit Petrus Severinus, à quo ideò hæc Secta Severiana fuit vocata, ſed a Paracelſo præcipuè nomen & originem ducit, qui contra Hippocratem & Galenum, Avicennam & contra omnes Dogmaticos Medicos novam medicinæ ſectam conatus eſt condere, ut latius proſequitur Sennertus, *tomo tertio*, illorumque ſe victricem prædicat, *in præfatione Paragrani*, dicens, Avicennam, Galenum, Rhaſen, Montagnanam, Meſuem, Pariſienſes, Monſpelienſes, Suevos, Miſnicos, Colonienſes, & quotquot Danubium & Rhenum accolunt, Inſulas Maris, Italiam, Dalmatiam, Athenas, Græcos, Arabes, Iſraelitas, ſe Monarcham ſapientiæ conſtitutum ſequi debere. Paracelſi Diſcipuli ejus impudentia, & doctrina nutriti, ejus ſubſequuntur arrogantiam, inter quos Crollius audet dicere: *Nullus*

Digitized by Google

mortalium in univerſa Philoſophia & Medicina, indubitato cœli favore tam ardua & abdita arcana ſcivit, & in publicum protulit ſicut Theophraſtus ille Paracelſus, Vir & Philoſophus omni æternitatis memoria & honore digniſſimus, cujus peritiam nemo inventus qui attigerit, nedū ſuperare potuerit ſicut iſte verus medicinæ monarcha, & prim, microcoſmi medicus. Henningius aſſerit, quod doctrinā Hermeticam & Hippocraticam peculiari Spiritus S. aſſiſtentia complevit: ſed à quo Spiritu illam didicit docet Operinus *in ſua Epiſtola* dicens: quod adeo erat ebrietati deditus, ut vix per horam ſobrius potuerit reperiri, & quod nunquam illum viderit orare, nec curabat Eccleſiaſtica Sacra; Bullingerus de illo profert, quod ex omnibus ejus ſermonibus pietatis nihil intelligere de illo potuit, & quod magiæ plurimum fuit deditus, & quod nunquam ingrediebatur Cœtus Sacros. Eraſtus tenet de illo ex Vetero: *Nihil magis metuit quā quoties ebrius fuit, erat autem frequenter, quam ut agmen diabolorum arceſſeret, quod ſæpe-numero facere voluit:* Et addit; *Cum ſobrium monerem ut iſt hæc miſſa faceret, quod Deum graviter offenderet, quodq̄; extremum ſtipendium triſte perſoluere ſolitus ſit famulis ſuis Diabolus; reſpondebat, ſe non multo poſt receptus cantaturum.* Et *in ſuo lib. de Philoſophia occulta,* ipſe Paracelſus protulit: *Medicus non omnia quæ poſſe, & ſcire debet in Academiis diſcere, & cognoſcere poteſt, ſed interdum vetulas, Zigeunos, Necromanticos, Agyrtas, ſeniores Ruſticos, & ſimiles adeat:* In theſauro Alchymiſtarum dicit ſe literas à Galeno ex inferno accepiſſe, & cum Avicenna in veſtibulo inferni de lapide philoſophorum & aliis diſputaſſe; Ex hoc ſpiritu diabolico ſuam didicit ſectam medicinæ, quam impiis præceptis cumulavit, & ut impia dogmata poſſet occulere, adjunxit ſuæ Sectæ artem Spagyricam, quæ cum illo antiquior ſit, & à ſuis principiis diverſa, de ipſa ſeorſim agemus, proponentes tantum *in hoc capite*, Paracelſi à Dæmone edocti artem novam, & impias propoſitiones, quas illi immiſcuit, novaq; deliria: Paracelſus licet ferè ſemper ebrius maneret, nec ullam librorum, aut ſtudiorum ſequeretur lectionem, aut applicationem, cùm Dæmoni eſſet emancipatus, ab ipſo aliqua recepit principia, quibus ſe medicinę exercitio applicavit, quibus adjunxit Dæmon Chymiam, ut in iis duobus plura impia immiſceret hoc ſuum mancipium; immiſcuit enim ex impiis doctrinis plura & ſuſpecta. Eraſtus ſeptem ejus blaſphemias refert & refutat, impiè etiam *libr. 1. de rebus naturalibus* contendit ſine Patre & matre per artem Chymicam poſſe generari homunculum *libr. 1. Philoſoph. ſagacis*, plures homines tenet ſine Adamo Hebræorum Parente, ab alio Adamo fuiſſe procreatos, quam opinionem impiè ſuſcitavit noſtris temporibus ſuſpectus quidam Hebræus, lapſum primorum parentum tenet in quibuſdam fabulis contineri, *libr. principiorum*, tenet Adamum in paradiſo ſcientias non habuiſſe, *lib. Philoſophiæ* tenet, duo genera carnis habuiſſe Chriſtum Dominum, & alias innumeras proponit propoſitiones, quas Eraſtus & Sennertus ut impias notarunt; ſed iis relictis contendens Paracelſus novam condere medicinæ ſectam, novis ſtabilitam principiis, diſcedens à communi Philoſophorum & medicorum principiis, qui omnium mixtorum quatuor elementa ponunt eſſe principia; Paracelſus tria tantum

eſſe

eſſe illorum principia tenet Sal, Sulphur, & Mercurium.

Commune etiam principium medicum, quod contraria contrariis curantur, conatur evertere, & potius morbos ſimilibus curari tenet: ex tribus à ſe aſſignatis principiis in corpore immutatis, triplex aſſignat genus morborum; dicit enim dari morbos mercurios, Sulphureos, & à Sale ortos; hos vocat tartareos, & hos per ſimilia remedia contendit curari, per ignem extracta ex Mercurio, Sulphure & Sale, ſeu tartaro; & iuxta has differentias morborum per Chymiam plures ignis vi elicit ſubſtantias, pluràque Spagyrica Medicamenta, per quæ ſuas eliciebat curationes, licèt ipſe ope dæmonis plures conſequebatur, quam ſui Sectatores, quorum alii ſuis manent adſtricti impoſturis, & impiis doctrinis, alii impietate relicta, communiora hæc principia receperunt ab illo, & in remediis Spagirica arte elaborandis ſiſtunt, ipſis fidentes, & omnibus in illis omnium morborum curationem promittentes.

Secta Paracelſi falſis nititur principiis, quia licet evertere conetur antiquorum doctrinam, quod mixta ex elementis fiant, quatenus ex Sale, Sulphure, & Mercurio omnia fieri tenet, dato tamen quod per ignem extrahantur hæ tres ſubſtantiæ; mixtæ tamen ſunt, & ex quatuor elementis unaquæque conſtat, in quæ ultimo reſolvuntur tanquam in prima principia. Nec valuit evertere, quod contraria curentur contrariis. Manifeſte docemur evẽtu, quod à contrariis fit corruptio, & à ſimilibus conſervatio; non enim alteramur à ſimili frigore aut calore, ſed ab iis contrariis, & excedentibus, & ſi qui morbi curantur per Tartarea, aut Sulphurea medicamenta, curatio non fit per Tartari, aut Sulphuris ſimilitudinem, ſed per appoſitas illorum vires morbo, aut illius cauſæ, unde ex iis principiis nullam poſſum obſervare Praxim, aut Methodum curativam, nec ex modo, quo Paracelſiſtæ ſuis utuntur medicamentis Spagyricis: nam licet ipſa valeant vi ignis extrahere, tamquam indocti Empirici eis utuntur, & ſine methodo, & ordine abutuntur illis, de reliquis impiis propoſitionibus & impoſturis, quas Paracelſus injunxit ſuæ ſectæ, non ipſe tanquam Sectæ medicinæ Autor protulit illas, ſed tanquam impium dæmonis mancipium, qui illud non elegit tanquam Medicum, ſed ut ſub prætextu medicinæ plures deteſtabiles ſpargeret propoſitiones, blaſphemias impias, & diabolicæ malignitatis plenas, quæ ideò ut deteſtabiles & damnatæ fugiendæ.

§. VII.

De Praxi Artis Spagyricæ ſeu Chymicæ.

Ars Spagyrica, non eſt medicinæ Secta, ſed Ars Dogmaticæ Medicinæ miniſtra, ſub Pharmaceutica contenta. Alſtedius *libr.* 3. *Encyclopediæ*, tenet, quod eſt ars, quæ artificioſa medicamentorum præparatione Pharmaceuticam auxit, & variis ac magnificis majori ex parte vi ignis extractis medicamentis, illam inſtruxit: Spagyrica vocatur à Paracelſiſtis, ab aliis Chemia, Chymia, Alchymia, Philoſophia, Ars Hermetica, ſegregatoria, perfecti magiſterii, deſtillatoria, ſeparatoria,

quia præcipuè verſatur circa metalla, & mineralia, ut ignis, ipſa perficiendo, aut ſeparando, ſed Spagyrici juniores circa omnia mixta ſuas igneas exercent operationes, ut puriores ſeparent ſubſtantias, & ſelectiora præparent medicamenta: ipſam definit Sennertus, quod ſit *Ars corpora naturalia compoſita, ſive concreta in ea ex quibus naturaliter conſtant reſolvenda, reſolutaque pura, & viribus validiſſima reddendi, ut utilia medico præbeant remedia; vel Metallorum perfectionibus, & transmutationibus deſerviant.*

Hanc artem Paracelſi diſcipuli totam convertēre ad medicamentorū præparationem, ipſam Spagyricam vocant. Paracelſo aliqui illorum conantur adſcribere; ſed Sennertus & Libavius vetuſtiorem ex aliis Authoribus ejus deducunt originem. Joubertus inventum fuiſſe Arabum tenuit: ad Adamum recurrunt alii: Alii ad Tubal Caïnum, ſed poſt diluvium præcipue ſuſcitata fuit ab Hermete Triſmegiſto, dilucidataque à Salomone; tractu temporum plures Artem hanc excoluerunt, præcipue per plures annos inquit Sennertus latuit apud Monachos; inter quos floruerunt Raymundus Lullius, Albertus Magnus, Iob de Rupe ſciſſa, Savaranola, Morienus, Roguerius, Trithemius, Frater Baſil. Valentius; Poſt hos quoad uſum Medicum præcipuè Spagyricam Artem auxit Paracelſus à Dæmone magnâ ex parte inſtructus, in inferno enim ipſam ab Avicenna didiciſſe gloriatur, ad hæc adjutus etiam fuit aliorum Chymicorum Scriptis Setthagii Epiſcopi, Erharti Laventarii, Nicolai Hipponenſis Epiſcopi, Matthæi Schachnii Suffraganei Freſſingenſis, Abbatis Splahornii, & aliorum; illum ſecuti ſunt Petrus Severinus, Alexander Sucrenius, Dornæus, Phædro, Dornheinſerus, Libavius, Quercetanus, Hamyſinchet, Beguinus, Artmanus, Croderus, & alii innumeri, qui Paracelſi fuére adſtricti doctrinæ, & impoſturis, ſaltim ſupperaddendo illius doctrinæ, ſi non abſurdas doctrinas, à quibus ægrè deviant, inuſitatas tamen voces, quibus obſcuritatem pariant, & ſuas involvant operationes, characteres fingunt, qui ut intelligantur, novo indigent illorum Commento, quo ſua figmenta patefiant, ut latius patet apud Scroderum. Diſcedunt à communi uſu Pharmacopolarum in ſuis nominandis operationibus, vi ignis eliciendis, majorique ex parte, ac præcipuè per ſolutionem, calcinationem, extractionem, coagulationem, & lutationem operantur, per quas eliciunt ſales, flores, magiſteria, tincturas, elixir, balſama, ſpiritus, aquas fortes, extracta, quintaſque eſſentias.

Quoad praxim Spagyricorum attinet, alii non ſiſtunt in ſuis operationibus, alii ſiſtunt in illis, qui non ſiſtunt, ſed ſuis utuntur medicamentis, & cum illis conantur medicinam exercere, Empirici fiunt, ſine arte & methodo eis utuntur, & cum majori periculo, quam reliqui Circulatores; quia quanto hæc medicamenta efficaciora ſunt in virtute, tanto magis periculoſiora, cum ab eis ſine arte & methodo applicentur, & ſine dignotione morborum, quibus debeant applicari; ob iſtos deperditos nebulones hæc ars malè audit, & tanquam peſtifera ab aliquibus vulgaribus, & ab aliquibus medicis Spagyricorum medicamentorum ignaris judicatur. Spagyrici verò, qui ſiſtunt in eis elaborandis Spagyricis medicamentis, Artifices

ſunt

Digitized by Google

ſunt miniſtri Dogmaticæ medicinæ ſub Pharmacopæa, quam exercent, & operantur tanquam peritiores illius Artifices, & ideò hæc Ars recipienda eſt à Dogmaticis Medicis, ut ſcientificè eis utantur medicamentis, ut latius alibi demonſtravimus, & tenent plurimi ibi à nobis citati. Et præcipuè ex claſſicis Authoribus confirmant, Matthiolus *lib.* 4. *epiſt.* dicit, neminem medicum abſolutum eſſe poſſe, imò nec mediocrem, qui in Spagyrica arte non ſit exercitatus: Libavius in Alchymia triumphante, inquit: *Poſtquam ex Arabica & Græca diſciplina factum eſt unum corpus medicinæ, Chymica in eſſentiam quoque Artis fuit recepta, adeò ut ſi iterum ſeparanda eſſent, medicinam haberemus admodum membro mutilatam.* Et ratio convincit: quia Dogmaticus medicus debet omnium medicamentorum vires cognoſcere, quæ utilia ſunt pro morbis curandis, ſi ſcientificè ab ipſis applicentur; Sed Spagyrica medicamenta pro pluribus curandis morbis ſunt ex uſu, ſi debitè applicentur; ergò Spagyrica ars prout eſt pars pharmaceuticæ, docens ſpagyrica medicamenta operari à Dogmaticis.

Conſtans ergo ſit pro praxi, quod de mineralibus metallis & mixtis agunt Philoſophi tanquam ſpeculatores entis naturalis per habitum ſcientificum ſcientiæ; Agunt Spagyrici per Artem Spagyricam, qua docet artificioſa operatione, ac manuali ſeparare ſubſtantias, quæ medicamenti vim habent ab aliis; ſicut & alii artifices verſus eadem verſantur manuali operatione per alias artes. Medici vero Dogmatici ſpeculantur medicamenta ab Spagyricis inventa, & ſeparata ſcientificè ſpeculando eorum virtutes medicinales, ut ſcentificè eis utantur pro morbis curandis, tutò, citò, & iucundè, præcipuè dum vires medicamentorum uſualium inferiores apparent ad morbos curandos.

§. VIII.

De Praxi Vanhelmontii imaginaria.

IN *Reſolutionibus Medicis p.*3. plura propoſuimus Vanhelmontii figmenta, illiuſque delineavimus ideas: fuit enim Medicus idealis varius in doctrinis, conſtans ultimò in ſuis deliriis, quæ typis mandavit. Profeſſus fuit primò Dogmaticam medicinam, & ab illa ſe tranſtulit in Paracelſiſticam ſectam, recepitque ex illà quidquid Paracelſus evomuit contra Medicos Rationales; & tandem conatus eſt novam condere ſectam, Paracelſiſticam reliquit, totuſque ſe tradidit in deducendis conviciis in Galeni Sectatores, quæ à Paracelſiſtis tranſtulit: poſteà verò in evertendis principiis antiquæ Philoſophiæ ab Ariſtotele traditæ, & antiquæ medicinæ à Galeno & reliquis dogmaticis ex Hippocrate deductæ, quæ omnia promittit in limine ſuorum operum, ſuperaddens interim, *morborum anatomen per veras illorum radices inſtituam, ac nonnullos ſubinde ſubter argumenti occaſionem à communi errore ſequeſtrando, enucleabo*: Et ſuperaddit: *ut non per contraria, neque per ſimilia, ſed dumtaxat per dotata, & appropriata inſtituantur medela, & ſanationes. Quorſum ſane opus fuit totam antiquorum Philoſophiam deſtruere, atque innovare ſcholarum Phyſices documenta.*

Hæc ut deſtruat, omnẽ Ariſtotelis conatur invertere doctrinam; omnia negare, & impugnare Philoſophorum recepta principia. Pertranſit ad impugnandum

Galenum; eius Diſcipulos vocat humoriſtas; negat dari humores in corpore humano, nec morbos ex ipſis poſſe oriri; in febribus, & aliis curandis morbis tenet nulla auxilia à Medicis uſque adhuc recepta poſſe eſſe ex uſu: impugnat ſanguinis misſionem, purgationem, clyſteres, æne-mata, frictiones, cucurbitulas, ſyrupos, & omnia pharmaceutica auxilia, diætetica, & Chyrurgica, ſimul & ſpagyrica auxilia. Ablatis igitur omnibus Philoſophiæ, & Medicinæ principiis & ut ipſe ſomniavit, penitùs ſubverſis, ut novam medicinæ ſectam doceat, incipit delirare, dicitque quod ille ſolus meruit, ut in ſomniis à Deo per revelationem receperit ſcientiam medicinæ, & Philoſophiæ omnibus denegantē ante ipſum, & quærens ſuæ ſectæ nova principia, recurrit ad læſam imaginationem, qua jam laborabat. Morbum conſtituit in depravata imaginatione, à deturbato Archæo, illum aſſerit non eſſe accidens, conſiſtere tamen in depravatione imaginationis, quam ſupponit non eſſe ens: in iis ſtatis implicationibus plurimū temporis conſumit, & cum morbum fecerit imaginarium, & hoc ſuæ phantaſiæ conſtituit principium, alterum principium deducit, quod curatio debeat converti ad imaginationis medelam, & ut hoc adinveniat auxilium poſtquam *in lib. de febribus* convictus maneat, quod nullum dogmaticorum remedium ſit utile pro febribus curandis, ille promittit unicum pro omnibus febribus, & tanquam ſpecificum, hocque dicit eſſe diaphoreticum, cum quo omnes febres promittit curare, & etiam hæcticas, ſimili enim modo contendit reſolvere emaciatos, & redundantes ſuccos, cumque quæ promittit miracula, & ſanationes, non contingerent, nec impoſtura promiſſorum pate fieret, promittit quoddam ſpecificum febrifugium cum quo omnis febris curetur, ſubterfugit, ne cognoſcantur ingredientia, & maneſeſtetur impoſtura, & ideò illorum ingredientia involvit inuſitatis, & nihil ſignificantibus terminis, & cum adhuc ex hoc novo figmento ægri nullam opem conſequerentur, ut ſuos ſequaces dubios ſaltem redderet in ſuis promiſſis, recurrebat ad Deum, aſſerens quod ſuum febrifugium non ſemper habebat vim curandi, niſi dum Deus peculiari auxilio concurrebat ad illius compoſitionem. Subtile quidem inſanientis ſubterfugium, omnia excludit remedia uſu alia experta, & naturalia ad febres curandas, & dum exoptatur ab eo remedium ad morbos imaginarios ab illo repertos, recurrit ad Dei Omnipotentiam, à qua ſi velit nemo dubitat, quod eſt efficax omnium morborum remedium. Nec mirari licet impoſtorem, & inſanientem permanere in ſuis fallaciis, impoſturis, cavillationibus, & quod errans in uno in omnibus illi connexis ſimul erret, aut alios conetur fallere; ſed maximè licet mirari, quod ſint homines non inſanientes, qui cum illo inſanire voluerint. De hac praxi imaginaria ſatis conſtat, quantum diſter à Rationali.

Magis adhuc mirari licebit, quod inter recentiores Riberius Doctiſſimus Medicus Dogmaticus ſapiat naturam imaginariæ Praxis, per plures enim obſervationes fatetur febres curaſſe cum ſuo febrifugio, & Centuria 3. in fine illud proponit dicens: Componitur ergo hoc pretioſum medicamentum ex triplici Hercule duodecim laboribus ad ſummam nobilitatem evecto, quibus tamen quartus Athleta additus,

ditur, operis complementum efficiens; licet enim in hoc loquendi modo ſe oſtentat Paracelſiſticum cum rem non proponat, ſed fucata verba adhuc intra imaginationem ſuum febrifugium retinuiſſe videtur.

§. IX.

Quid ſit natura, & quomodo concurrat ad praxim.

NAtura ex Ariſtotele, eſt *principium, & cauſa motus, & quietis eius in quo eſt per ſe, & non ſecundùm accidens*: Iuxta varias recipitur acceptiones ex Hugone victore ſumitur pro mente Divinà omnium rerum Opifice; vel ſumitur pro cujusque rei eſſentia: Ariſtoteles ſumit eam pro totà univerſitate rerum 12. *Metaphyſica*; vel ſumitur pro cauſis naturalibus operantibus juxta inſitam propenſionem: Galenus nativum calorem vocavit naturam, *lib. Art. Medic.* vel ex Seneca. Quid enim aliud eſt natura quàm Deus, & Divina ratio, toti mundo & partibus eius inſerta; huic acceptioni inhæret Galenus, *lib.6. de morb. vulg.* docens: naturam eſſe Artificem, animalibus conſulere, ac vim quandam eſſe inhabitantem in ipſis corporibus, quæ ab eà reguntur; & juxta hanc acceptionem, de naturà dicimus, quòd eſt morborum curatrix, licet juxta alias acceptiones Hippocrates, & Galenus illam corpus gubernare contendant: Hippocrates enim noſtram naturam contendit eſſe quatuor humores; *lib. 1. de morb. vulgarib.* naturam dividit in communem & propriã uniuſcujuſque, & hanc non diſtinguit ab humoribus; alias à temperamento Galenus, *lib. de temperam.* naturam particularem non diſtinguit à ſubſtantia, & temperie, quæ proveniunt ab elementis, idem tenet *de natura facultat. lib. 1. Aphoriſm. Comment.* 15. & *lib. 11. Method.* particularem hominis naturam adimplet ex partibus ſeminalibus, & carnoſis, & ex Spiritu. Nos per naturam intelligimus vim cuique rei inſitam ad ſui conſervationem: hanc Hippocrates vocavit Medicatricem morborum, & judicat artificem eſſe animalibus conſulentem, ut inſtinctu operentur per ſudores, per lotium, per dejectiones, & alias evacuationes, præcipuè per inſenſilem halitum humores infectos continuò profundit: Copioſius & majori conatu dum magis gravatur: hæc corpus alit & conſervat alimentum, præparat, concoquit, elaborat, & in aliti ſubſtantiam mutat: hæc docet animal vtilia proſequi ad alimentum propelli abortu, noxium fugere; *ut Galen. lib. 6. Epidem.* demonſtrat experientia; Vidiſtis (inquit) cùm viventem capram diſſecarem fœtus ex ipſa ligata extractus, & humi depoſitus quatuor pedibus ambulare incœperit à nullo edoctus, ambulandi cauſa membra hæc corpori eſſe ſubjecta: & paulò poſteriùs: ſupervacuum humorẽ quo eius cutis exteriùs circumfuſa erat excuſſerit atque uno iterũ ex pedibus paulo poſt coſtas ſibi ſcalpſerit, ex quo vos omnes præſentes exclamaviſtis primũ quidem quod ipſe ſymptomatis medelam abſque doctore invenerit; ſecundò quòd per hoc membrũ ſolum id fieri poſſit: tertiò quod per hunc modum, quod infantes & reliqua animalia ſine doctrina facere cernuntur. Quæ omnia admirabilem quandam naturæ erga animalia providentiam indicant, per quam & ſecunda valetudine fruentia conſervantur, & ægrotantia morbo liberantur. Hæc Galenus, qui ſimilem

milem referens Hiſtoriam *lib.6.de loco affect.* de hædo ſic diſſecto & delato, ubi erant plures liquores, ſpretis reliquis, tenet, quòd lac doctus à natura abſorbet, & *lib. 1. de uſu part.* obſervat animalia & aves adhuc ſi non perfecta hebeant inſtrumenta ad conſervationem deſtinata, habere conatum operandi per illa ab ipſa naturâ, ut vitulus, qui cornibus, quæ nondum habet feriat; parvus aper cum dentibus, quos non habet, & canis contendunt mordere, quia natura inſita contendit cujuſque rei naturalem ſtatum: ideo Tullius *lib.de officiis* inquit; Principio enim generi animantium omni eſt natura tributum; ut ſe vitam corpuſque tueatur declinetque ad vivendum neceſſaria; ſicut natura contendit animal foveri, & conſervari, & hoc in utero, & partu molitur quàm maximè, ſimiliter, & in amiſſa ſanitate illius contendit adquiſitionem, &tanquam vera miniſtra ſanationis praxi contendit per ſuas facultates ſanitatem adquirere; ideò Hippocrates & Galenus docent naturam eſſe curatricem morborum naturam in omnibus auxiliari, morbos judicare; & ſumma quadam providentia corpori noſtro proſpicere: ideò nos alit, excrementa continuò expellit; in morbis cryſes aggreditur, ut noxios humores morbos cauſantes à corpore pellat; materiam quam concoquere, & regulari nequit in juvativo, concoquit in nocitivo, ut valeat aliqualiter regulari, ab utili inutile ſeparari, & extra corpus pellit, in extenuatis, renutritione morbos curat, in tumoribus contentam reſoluit materiam, aut vertit in pus, cum quo abceſſum rumpit; expellit pus quantum poteſt, & carnem generari contendit in ulceribus, & vulneribus, quæ aliter unire nequit, per vias ſæpè à nobis incognitas docta ſine doctore expellit, & deſperatos vincit morbos; ſi qui ſint parvi morbi, ipſos ſola devincit; ſi qui ſint vehementes exuperantes illius vires, eos Artis adjuvamine vincit; ſi qui inſuperabiles conatus apponit, & mortem differt; & ſemper agit ſecundum ultimum potentiæ, ut animal valeat conſervare. Pullulat ab illa ſola ſanitas pro formali; quæ *eſt diſpoſitio ſecundùm naturam à qua debitè eliciuntur vitales operationes*: hæc autem reſultat ex debita unione partium, debita earum conformatione; & debita temperie; nec eſt à quo poſſit iis poſitis reſultare, niſi ab anima: eſt enim ſanitas paſſio viventis, ut docet Galenus, *lib. de different. morborum*, quatenus informat partes fruentes temperie compoſitione, & unione debitis pro eliciendis actionibus vitalibus.

§. X.

De Praxi Medicina Dogmatica.

LIcet natura morborum ſit Medicatrix & à quâ per ſe provenit curatio, & ſanitatis adquiſitio; non tamen ex æquo valet omnes morbos curare; Sed aliquos ſe ſola curat ſine adjuvamine Medicinæ, alios verò Medicinâ adjuvante; Alios autem nec ſe ſola, nec juvante Medicina devincere poteſt: ideò Hippocrates, *libro de Arte*, docens munus Medici Rationalis, inquit: Medici eſt vehementes impetus morborum tundere; ſanabiles curare; inſanabiles non attingere: tacet parvos morbos, pro quibus devincendis natura non indiget Medico: excludit Medici praxim ad morbos, qui à naturâ, & Arte nequeunt devinci, ut in æſtyomeno, aut parte amputatâ corporis. Et proprium munus praxis

xis dogmaticæ ponit in adjuvando naturam in morbis magnis, qui ad ſui curationem indigent artis adjuvamine; hæc autem adjuvat addendo quod nequit natura addere, etiamſi neceſſarium ſit ad curationem, vel auferendo quod ſuperfluum eſt, & nequit à natura auferri: ideo *lib. de flat.* totam Medicinam dogmaticam definit Hippocrates per hanc Praxim dicens, quod eſt *adjectio, & detractio.* Propter hanc Praxim docet Sacra Pagina, quòd propter neceſſitatem creavit Deus Medicinam, ut imperat in infirmitate daret locum Medico, quia opera eius ſunt neceſſaria, & Avicenna Medicinam definiens dicit, quod eſt ſcientia qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur ex parte, qua ſanantur, & dividens illam dicit, quod alia eſt Practica id eſt, ordinata ad praxim, & nos definientes Medicinam diximus quod Medicina Dogmatica eſt Scientia naturalis à Deo Adamo infuſa, & hominibus communicata in ſubſidium ſalutis eorum, ubi illius finem ponimus in Praxi curativa, ob quam à Deo creata eſt in ſubſidium naturæ humanæ; ideo licet natura ſit per ſe morborum curatrix, & in hunc finem vis inſita hominibus, tamen curatio tribuitur Medicinæ, ſeu Praxi medentium; à Medico enim Praxim dirigente dicuntur ægri curati: Nec ad veram Praxim ſufficit quævis directio, ut vidimus in excluſione Sectarum: ſed requiritur directio Praxis Rationalis, hæc enim docet non ſolùm medicamenta applicare, ſed cum methodo exerceri curationem: nam alia Praxis, ut tenet Plato, inſanientium eſt credere, quod proveniat à Medicina Scientifica, & Dogmatica, ſed docet veram methodum exercendi Praxim, quos, quibus, & quando ſcientifice debeant applicari medicamenta, per quod Praxis rationalis differat à Praxi aliarum ſectarum, & à Praxi Miniſtrorum, qui operantur per artes miniſtrantes Architectonicæ Medicinæ, & ut directæ ab illius habitu, qui demonſtrat res naturales quæ debent in homine conſervari res præter naturales, quæ petunt auferri, res non naturales, per quarum indebitum uſum, fiunt morbi, & per quarum uſum debitum, & debitam applicationem morbi curantur, omnia Entia naturalia ſimplicia mixta, viventia, non viventia, mineralia, metallicaq; rimatur, & medicas illorũ virtutes contemplatur, quibus cauſæ morborum, aut ipſi morbi valeant exterminari, & hæc docet ex tempore applicari, docet tempus, & occaſionem utendi illis, tam pro virium conſervatione per medicamenta, quàm per contrariorum adhibitionem per medicamenta.

Nec ſolum Dogmatica medicina medicum inſtruit in habitu ſcientifico, ſed etiam inſtruit illum, ut Politicus medicus ſit, ita inſtructus, ut tutò, & cum decore praxim exerceat, & ut differat ab aliis, qui fucatam, ut alii Sectatores, & impoſtores ſuam exercent praxim: ideò Divinus Hippocrates lumine ſupernaturali inſtructus, ſuos dogmaticos adſtringit juramento, ut ſcelera, quæ in arte poſſent committi, devient, & virtutes morales proſequantur, *libr. de decenti ornatu*, quod reverenter ſe habeant apud Deum *lib. 6. epidem.* quòd honeſtè ſe gerant; aliis in locis, quòd fugiant avaritiam, loquacitatem, invidiam, arrogantiam, contumaciam, & omnes morales proſequantur virtutes, quod non ſit arrogans medicus in promittendo, non ſit temerarius in operando, nec improvidus

 in con-

Digitized by Google

in contemnendo morbos, aut in præſagiendo incautus, in captandave occaſione quibus ornatus, & vera rationali medicina inſtructus tanquam medicinæ miniſter illam exercet, & architectonico modo præſcribendo miniſtris, quæ fieri petūt pro morbis curandis, naturæ fit adjutor, & illam in ſua concomitatur praxi, ex quo bonus fit.

Medicus, quia ut inquit Hippocrates, *lib. præcept.* bonus medicus ab artis conjunctione, & ſinceritate ſocius artis dicitur, & verus fit medicus, dum in actibus Scientificis & politicis, pro unoquoque morbo adinvenit opportunum tempus & auxilium ad eorum curationem, ut tenet Galenus *lib. 1. de element.* At modus applicandi opportuna Oeconomia circa ægrotantem appellatur ab Hippocrate, *libr. 2. Epidem. comm. 2.* Ubi Galenus Oeconomiā medicinæ ſuperaddit tanquam partem ab aliis medicinæ partibus diſtinctam Dogmatico Medico neceſſariam; & *in Comment.* neceſſitatem hujus partis artis, quæ œconomia dicitur manifeſtat dicens: *Neq; enim ut in aliis ferè omnibus libris aut affectuum notitias, aut curationes aut futurorum præſenſiones ſcripſit, ita & in præſenti fecit, ſed quo quis modo medicinalibus, quæ didicit, præceptis uteretur, in propoſito ſermone declarat.* Quod firmat hac ſimilitudine *quemadmodum in vita omnia opportuna poſſidere, veſtes, vaſa, ſervos, ad iugum idonea animalia, & alias pecudes, ædes, item frumentum, legumina, tragemata, vinum, oleum aliaque id genus omnia ab eorum conveniente uſu, quā œconomiam vocant, longè differt; ſic & in Medicina artem diſcere, & eis, quæ quis didicit appoſitè uti, haud idem eſt, ut ipſe in tempore interrogare, & diſcere, atque præcipere ſciat.*

§. XI.

De Praxi Miniſtrorum Medicinæ Dogmaticæ.

CVm Medicus Dogmaticus ſcientificus Architectonicus, ſit præceptor eorum quæ pro adjuvanda natura, debent exerceri in morborum curatione, ut hæc poſſint perfici, indiget miniſtris in ſuis artibus mechanicis inſtructis, quorum manuali operatione exequantur, quæ Medicus præſcribit agenda, quæ niſi ab illis rectè exerceantur, nequit curatio perfici: ideo Hippocrates 1. *aphor. 1.* dicit: *Oportet non ſolum Medicum ſe præſtare opportuna facientem, ſed ægrum, aſſiſtentes, & reliqua exteriora*: ſicut in conſtruenda domo, licet Architectonicus Magiſter per ſcientiam de domo præſcribat neceſſaria ad eius ſtructuram, ipſa non rectè perficitur, niſi miniſtri debitè operentur per ſuas artes mechanicas, quæ ab ipſis operanda ſunt; idem in curationibus contingit: Qui autem ſint hujuſmodi Medici miniſtri, docet Galenus, *lib. 6. epidem.* totamque hanc confirmat doctrinam dicens: *Medico multæ artes materias medicas præſtant, uti ipſis quoque cum quibusdam naturæ miniſtris. Quæ enim inter Architectum & ædificatores, lignarios, & fabros, & alios artifices, quibus præeſt: eadem inter Medicos, & eorum miniſtros eſt ratio: ſunt autem ii herbarii, unguentarii coqui, cataplaſmata efficientes, fomenta adhibentes, qui clyſteres infundunt, qui ſcarificant aut venam ſcindunt, cucurbitulaſque affigunt. Quod ſi nos & hæc didicerimus, & etiam faciamus ſimiles erimus Gubernatori qui & remigandi arte peritus ſit, & reliqua*

omnia nautarum obire munera, & ſciat, & faciat. Etenim plerique imperatores arcu uti, jacula vibrare, gladio & haſta pugnare ſciunt, ſed non ut Rex, aut Imperator erat Alexander magnus, aut eius Pater Philippus, hac militaria munera obibat; ſed aliis quibusdam artibus, quæ imperatoria Regiaque miniſtrant. Itaque nos etiam qui medici ſumus cuiſque auxilii qualitatem, quantitatem, occaſionem, utendi modum novimus ut miniſtri vero venam ſcindimus cucurbitulas affigimus & reliqua manibus facimus: quare Ars medicinalis dignitate Medicis antecellit, medicus artibus miniſtrantibus, Miniſtri aliis artibus inſtrumenta materiaſque præſtantibus: Hæc Galenus ubi proponit Artis Dogmaticæ miniſtros qui ſimul cum aſſiſtentibus Medicinæ Praxi incumbunt, & ii omnes quibus Medici indigent ad curationem peritos in ſua arte eſſe oportet, capaceſque ad ſuum munus exequendum: quia ut docet Hippocrates *in lib. præception. Nihil rudibus erit mandandum, ne male factum, in Medici ignominiam vertatur*. Præ reliquis ſex artes deſerviunt Medico, ut colligitur ex Galeno *6. epid.* Pharmacopœa, Phlebotomandi ars, Ars infundendi clyſteres, Ars obſtetricum, Coquinaria, & Famulitia: de omnibus artibus, quæ deſerviunt Medico, ipſe debet habere peritiam: ſic enim & peritiores cognoſcet, & reliquorum fugiet aſſiſtentiam, aut emendabit errata.

Pharmacopœus nominatur, aut Pharmacopola, miniſter Medicinæ dogmaticæ, qui radices, ac ſimplicium medicamentorum materias colligit, vocatur Apothecarius, quia illas recondit: Seplaſiarius etiam à Seplaſia foro Capuæ in quo præſtantiſſima unguenta conficiebantur, ut tenet Ranodæus. Cùm medicinâ cœpit hæc ars exerceri, licet à principio cum minori apparatu Hippocrates in epiſtola ad Cratevam ipſum laudat tanquam radiſecam peritum: Forſan hæc ars illo tempore non ſe extendebat in plura, ſed compoſitiones unguentorum ſe poſtea porrexit: ideò Eccleſ. 38. Unguentarius vocabatur hujus artis Miniſter. §. *Unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis, & non conſummabuntur opera ejus: Pax enim Dei ſuper faciem terræ.* Pharmacopæa à qua nomen deſumit, eſt ars quæ modum docet medicamenta ſeligendi, præparandi, & miſcendi, eſt duplex; alia antiquior apud Dogmaticos, ad quam pertinet electio, collectio, repoſitio, conſervatio, trituratio & coctio, materiæ medicæ alia eſt Spagyrica, quæ ſua medicamenta vi ignis quam maximè perficit, ad quam maximè pertinent corpora naturalia compoſita, ſive concreta in ea, ex quibus naturaliter conſtant reſolvendi, reſolutaque pura, & viribus validiſſima reddendi, ut utilia medico præbeant remedia, ut ſupra diximus: Varii ſolent eſſe Pharmacopolæ errores; vel enim quid pro quo vendunt, vel ſine medici ordine ſuis utuntur medicamentis; vel ab ignaris materias medicas emunt, vel vilioribus utuntur ſimplicibus in compoſitionibus, vel ſervant ſimplicia ignorantes an ſine debitis conditionibus colligantur, vel quia avari omittunt in compoſitis utiliora.

Phlebotomi ſeu venam ſcindentes erant Chirurgi, hodie abiit ad Barbitonſores hoc exercitium, quod pluribus indiget miniſtris, ideò per ipſos divagatur; ad quos ſimul pertinet cucurbitulas affigere, & ſcarificare, ac hirundines apponere; pertinet ad illos cognitio venarũ, quæ in mor-

bis ſcindi petunt, & etiam inſtrumentorum: fiunt venarum inciſiones ſcarificationibus, ſanguiſugis, ſcalpello, ut diximus *in Reſolut. Medicis.* Sanguiſugæ applicantur venis hæmorrhoidalibus, venis frontis naribus, & aliis quibuſvis partibus inflammatis. Scalpello quadraginta aperiuntur venæ in ſuprema regione; vena occipitalis in occipitio; Suſanna, ſeu recta in fronte; duæ temporales in temporibus; duæ angulares in oculorum angulis; duæ parotides in externa auricularum parte, duæ aborides in interna, una phrenetica in narium extremitate, duæ ſolares intra narium cavitates; quatuor in labiis, duæ ſtranguriæ majores in ſuperiori; duæ minores; duæ leonicæ ſub lingua; duæ organicæ in collo. In regione mediâ phlebotomantur venæ brachii, quæ ſunt decem in unoquoque brachio quinque; tres in flexurâ quæ ſuperior dicitur Cephalica; quæ inferior baſilica; quæ inter has media totius corporis, ſeu communis vocatur: aperitur alia capitalis dicta in carpo manus, alia in manu inter digitum minimum, & annullarem: & hæc in dextrâ manu dicitur Salvanella, ſeu vena jecoris; in ſiniſtrâ dicitur ſplenetica, ſeu vena lienis; alia præter has in humero humeralis ſolet phlebotomari, quam omittunt phlebotomi quaſi communem brachio in regione infra renes; Octo venæ ſcinduntur, pauciores alii numerant: duæ ſub genu in cruribus, quatuor in pede ſaphenæ nominatæ in parte internâ malleoli; vel uterinæ Virginales; duæ in externâ parte, quas vocant Sciaticas; adduntur ab aliis duæ empercipes dictæ in ſuperna parte pedis ad digitum majorem terminatas.

Errant igitur Barbitonſores iſti, vel quia ignorant venas ſecandas; vel quia penetrant ad arterias, aut nervos; vel quia ſine medicorum decreto ſanguinem mittunt? vel quia ſine medicis per ſanguinis miſſiones; vel per alia remedia morbos curant, vel quia redduntur empirici, & Agyrtæ, & ſe medicos eſſe profitentur, veros contemnentes medicos, cum ipſi nec ipſam barbam tondere didicerunt.

Clyſteres infundentes ſunt Pharmacopolæ; ſed neceſſitas hujus exercitii artem tranſtulit ad populares viros, & fœminas; Et quia hæc ars non multum ingenii, aut exercitii petat ad ſui peritiam. Erant ii miniſtri addendo herbas pro decoctionibus, quæ violenter ſolvunt, & flatum ab inſtrumento non diſcutientes; vel cum majori, aut minori calore, aut frigiditate illos injiciendo; vel dum ex libito apponunt ſine horarum electione in acceſſionibus, vel ſtatim à prandio, aut cœnâ.

Ars obſtetricum apud aliquas nationes cum dedecore utriuſque ſexus exercetur à viris communiter, & mulieribus: apud veteres hæc ars & tota mulierum morborum curatio à mulieribus exercebatur, quæ artis medicæ ſtudioſæ erant, & plures ſcriptis ſuis medicinam locupletarunt, ut latè proſequitur Tiraquellus. Noſtris temporibus à rudioribus, vilioribuſque muliercul is exercetur; & cum illarum munus ſtet in recipiendo fœtu, ſcindendo umbilico, & involvendo infante: dum proprium ignorant munus, quaſi periti ſint Medici, omnes mulierum ægritudines contendunt curare; ſanguinem mittunt in puerperis, de prægnantia certum præſtant indicium, & fœtum in utero diſtinguunt, fœtum tamen ante tempus recipiunt, & violenter matres dilacerant, unde inflammatio-

matio-

mationes cauſantur & mors. Dum ignaræ propii muneris ſe immiſcent miniſterio medicorum.

Coquinaria ars medicis deſervit, quæ docet cibos præparare ut edantur, docet aſſare, coquere, frigere, tundere, condire, formare bellaria, & paſtellitia, ſeu artocreas, exprimere, diſtillare, & alia aliter parare; vel juxta aliquos, qui de hac arte ſcripſerunt, vel juxta ægroti nutum, aut neceſſitatem, aut juxta medici diſpoſitionem.

Sub famulitia arte aliæ plures comprehenduntur ex relatis à Galeno. Hippocrates 1. *Aphoriſm.* 1. vocat hujus artis miniſtros aſſiſtentes, & de iis agit *lib. de Medico*; & in aliis locis Galenus, *lib.6. Epidem.* citato: ad hos pertinet, ut tenet Nunnez lecti parandi modus, in humili, aut ſublimi loco, quòd ſit amplus, anguſtus, mollis, aut durus, lucem metiri majorem, aut minorem cum ventorum copia, quam morbus exigit, parietes ornare pro tempore anni, aut morbi exigentia, ſuffitus auferre, aut addere, & aquarum ductus, viſui grata apponere: Unde Hippocrates laborantibus gratiæ habendæ ergò protulit, & munde docet parare poculenta, & eſculenta, gratiores ægro aſſiſtentes eligendi, qui alacriora loquantur, minuſque grata taceant, qui nec pigri ſint, nec moroſi, qui capaces ſint, ut retineant, quæ à Medico ordinata ſunt, quæ appoſitè ſe habeant ad ea, quæ offeruntur, nec ægrum permittant intemperari.

Chirurgi etiam Medicorum ſunt miniſtri, qui manualem operationem exercent, in eis, quæ ab ipſis ordinantur, ſed quia medici nequeunt illis aſſiſtere ſemper, permittitur illis plerumque ſine illis operari juxta artem operariam Chirurgiæ, quam medici illis in ſcriptis tradiderunt. Pleriqüe tamen eorum cum in levibus morbis juxta illas regulas curationes conſequantur, ſe jam, & ipſorum medicorum Magiſtros judicant; & omnium antiquorum peritiam, & ſcientiam ſuperaſſe contendunt, immò & ſe medicos eſſe, & reliquos morbos poſſe curare autumant, & proſequuntur, præcipuè vero qui ſuperbi ſunt, qui nunquam corrigi poſſunt: nam ut inquit Galenus in libris methodi, indelebile vitium ignorantiæ eſt, præcipuè ſi cum ſuperbia ſit conjunctum.

§. XII.

De Ægrotantium Praxi.

IN Praxi Dogmatica dicit Hippocrates, quod oportet non ſolum Medicum ſe præſtare oportuna facientem, ſed etiam & ægrum: Concurrit æger obediendo præceptis medici: quia ut docet Galenus, *lib. 1. Methodi*, veteres illi Medici ab Æſculapio oriundi, qui tanquam duces militibus, & Reges ſubditis imperare ægris valuerunt: ex hoc imperio oritur, quod æger obediendo medico, & illius præcepta exequendo ſimul cum illo concurrit ad curationem: Docet enim Hippocrates, *lib. 1. Epidem. comm. 2.* munus ægrotantis eſſe una cum medico morbo reluctari, inquit enim. Ars quidem iis tribus conſtat morbo, ægro, & medico, Artis ſeu naturæ miniſtro, ſi æger ſit obediens, medicus oppugnet, ſunt duo contra morbum, ſin minus æger & morbus: vincent medici curam; nec ſolum juvat ad curationem ægri obedientia, cum qua medicus tendit ad morbi curationem, ſed illius de medico confidentia: ex Hippocrate enim ille plures ſa-

Digitized by Google

res ſanat in quo plures confidunt: ideò Galenus, *6. Epidem.* aſſerit, multos ab Hippocrate perſanatos fuiſſe ob ſolam confidentiam, quod maximè conſequitur medicus ſuam ſervando authoritatem, ex qua æſtimationem conſequitur ex Hippocrate, *lib. de præcept.* & Galenus *lib. 6. Epidem.* ad hanc conſequendam conſulit, quod Medici ſermone cum ægrotante ſint graves, non agreſtes, nec ſtolidi, & præcipuè conſulit, quod ſi medicus prudentem, nec timidum ſit nactus ægrũ, vera illi dicere nihil ſubtrahens eorum, quæ in morbo ſunt, ſi ſtultus ſit, & timidus, ea dicat, quæ animum levent, vera autem proferet ejus neceſſariis. Cum igitur tam neceſſaria ſit medici obedientia ad praxim curativam: quam maximè tenetur medicus eam comparare, defectu enim illius docet Galenus, *libr. methodi*, quod Principes & divites difficulter curantur, & ideò eam docet comparandam ab ægris modo quo diximus, & ſæpè optata illis concedendo, dummodo non ſint nimis noxia, nec nimis fiducia illi augenda, ne peccet ſub fiduciâ. Sæpè enim medici eis nimiam de morbo promittens fiduciam intemperantes reddunt, ſæpè omnem illis ſalutis auferendo ſpem: Sæpe quia parvam de medico confidentiam habent; ſæpè quia à mulierculis culpantur remedia à medicis propoſita: Sæpè quia ab indoctis medicis conantibus authoritatem apud ægros acquirere, contradicuntur remedia, quæ utiliora ſunt judicata à Doctoribus; ſæpè quia timide illis aliqua proponuntur, & ideò dubii ægri illa deſpiciunt.

***

CONSVLTATIO VIII.

De Stibii natura, & uſu.

CONTINET

§. I.

Proponitur occaſio conſultationis, & totius diſcurſus ratio.

§. II.

Antimonii natura, & ejus vires inquiruntur.

§. III.

De Antimonii præparationibus in uſum medicinæ.

§. IV.

Antimonii præparationes ad expurgandum corpus proponuntur.

§. V.

Controvertitur an ad uſum medicum debeat Antimonium admitti?

§. VI.

Qualiter liceat Antimonium calcinatum recipere ad uſum dogmaticæ medicinæ.

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I.

Proponitur occaſio conſultationis, & totius diſcurſus ratio

Doctor Villamediana, ex noſtris Diſcipulis unus, in arte ſtrenuus, in ſcientia præclarus, ex eis, quæ in lucem edidit ſatis notus; dum apud Palentinos medicinam exercet, ſuas ad nos miſit litteras, qua ſolet, benevolentia refertas, in quibus

quibus narrat à quodam Agyrta per duos menſes Hermeticum vinum exhibitum fuiſſe octo ægris, & ſeptem vitam cum morte commutaſſe, unumque tantum liberum evaſiſſe, cui contingit paulò pòſt abſumptum vinum illud rejeciſſe, cumque plures Antimonii laudes viderit apud aliquos Scriptores, conſciuſque ſit, quantum invaluerit noſtris temporibus Hermetici vini uſus apud exteros, & quod promiſſa ſuarum utilitatū non reſpondeant in eventu; Conatur à nobis ſcire, quid de illius uſu ſentiamus, & an à dogmaticis medicis debeat aliquando exhiberi. Noſque ut morem geramus Amantiſſimo Diſcipulo, artiſq; præclariſſimo Profeſſori, hanc reſcribere conſultationem decrevimus.

§. II.

Antimonii natura, & ejus vires inquiruntur.

♁ ALcohol apud Hiſpanos dictum cōmuniter, ab aliis cohoſol, à Dioſcoride Stibium, ſtimmi, ſtibi, Platijoph, Thalmon, Carbaſon, Gynecion, Calcedonium, ab Hippocrate Tetragonon, à Galeno ſtibium, ab aliis Aitruad, Achman, Ahiman, Chamalium, Hebraïcè Zadadati, Arabicè Aaitmad, ſeu Atimad, Latinè Antimonium, ſeu ſtibium, Germanicè Spießglaß, Rabuſpieſglas: Barbare Antiſtim, Alcohol, Othi, dictum Ænigmaticè ut tenet Scroderus; dicitur lupus, quia omnia metalla, præter ſolem abſumit; Protheus, quia omnes colores vulcani beneficio induit, Radix metallorum, quia omnibus metallis adjacet: Saturnus Philoſophorū à devorando, vel quia redolet naturæ plūbi, vel quia judicant Philoſophorū lapidem parari ex illo, & ideo magneſia Saturni vocatur etiā, Chymiſtæ de illo agunt ſub nominibus ſtibii, aut Antimonii, & recentiores omnes inter quos Caſſius & citati ab ipſo, Plinius *lib.* 33. *cap.* 6. Dioſcorides. *lib.* 5. *cap.* 53. Mathiolus, *in comm. & cap.* 59. Galenus, *lib.* 9. *ſimpl.* Braſabola, *in examine lapidum*, Agricola, *lib. de natura foßilium*, Cardanus. *lib.* 5. *de ſubtilitate*, Fernelius, *lib.* 6. *Method.* Fallopius, *lib.* 5. *foßilium*. Mercurial *li.* 2. *de compoſit. Medic. c.* 8. Codronchius, *tract. de Antimonio*. Smeſius, *lib.* 2. *c.* 65. Gravinus, *lib.* 2. *de venenis*, Crato, *de vera ratione curandi febrem peſtilentem*, Aldrovandus, *lib. de metallis, cap. de Antimonio*. Scroderus, *lib.* 3. *c.* 17. Lacuna, & reliqui cōmentatores, Dioſcorides, Cortes *in miſcellaneis c. d. Antimonio*, Quercetanus, *l. de medicam. Spagyricis c.* 10. Amerus Popius ſeu Philippus Molterus *in ſua Baſilica Antimonii*, Beguinus, *li.* 2. *c.* 12. & innumeri alii varias de illo proprietates prædicant.

Antimonium veneni, pigmenti, & medicamenti induit rationē, ex genere foſſiliū eſt, ſub quibus ſunt metalla, lapides, terræ & ſucci, ab aliis ponitur ſub metallis, quia liquatur, ab aliis ſub terris quia friabile eſt, Cardanus, Fallopius & Cortes, cum utrumque habeat metallum lapidiū, vel lapidem metallicum eſſe dicunt. Scroderus tenet, quod eſt corpus minerale, naturę metalicæ finitimum. Gorræus, quòd eſt lapis metallicus colore nonnihil ſimilis lapidi plūbario. Plinius quod eſt lapis ſpumæ candidæ, nitentiſque, non tamen tranſlucentis. Smeſius quod eſt ſuccus concretus, qui aqua quam igne commodius liquari, nec malleo lenteſcere poſſit. Eraſtus, quod eſt medicamentum naturæ vitri non expers, ſplendidum & pellucens inſtar vitri, rubrū pariter ac fragile. Braſabolus quod eſt ſpumæ candidæ

Digitized by Google

didæ lapis, nitens non tranſlucens. Grevinus, & Aldrovandus dicunt Stibium eſſe rem foſſilem, quæ Marcheſitam, ſeu Pyritem, vel lapidem plumbarium refert.

Cortes duo genera Antimonii ponit, aliud naturale, aliud artificiale, ſeu præparatum. Stibium naturale, ex Plinio eſt duplex mas, & fœmina, mas eſt minus ponderoſum, minus radians, & eſt ſcabrius; fœmina nitet magis, eſt friabilior, fiſſuris dehiſcens, Andernacus triplicem differentiã proponit, Antimonii naturalis, aliud nigrũ, utile pro auro purgando, aliud album, ſeu plumbeum dictum magneſia, affine cum ſtanno, aliud luteum, aut ſuccroceum reliquis præſtantius. Alii duplex ponunt Antimonium unũ quod exterius plumbi rudioris effigiem ac naturã æmulatur, præditum colore cinericio obſcuro, interius chalybis fracti ſervat colorem. Aliud coloris lucidioris & nitentis, fiſſuriſque longis lucidiſque, ſeu perſpicuis canaliculis conſtans, lineiſque nigrioribus ſecundum longitudinem porrectis: hoc Plinius fœminam vocavit, & eſt quo Chymici utuntur.

Antimonium invenitur in variis regionibus, in ſuis mineris, quod naturale eſt, ut proſequitur Aldrovandus, Cornelius, Sudæus, abundare in Africa tenet. Apud veteres reperiebatur in Bythinia apud urbem Calcedonem, noſtris temporibus repertum apud Germanos & Tranſylvanos laudat Scroderus, potiſſimum creditur ortum Norico in Bythinia ut tenet Agrippa, copioſius oritur Isfeldæ in urciniis, & Triſchini in Calabria.

Antimonii vires prædicat Quercetanus *in tetrab. cap. 3.* dicens: *In Antimonio ſunt ſexcentæ proprietates variæ ac præſtantes, ut præparantes, expurgantes, vomitum concitantes, & id genus alia, ut nunquam ſatis laudari queat hoc medicamentum.* Crudo attribuunt veteres vim adſtringendi, exſiccandi meatus corporis, obſtruendi, excreſcentias carnis abſumendi, cicatrices obducendi, oculorum ulcera, & ſordes mundificandi, unde & ad colyria inprimis commendatur. Has naturalis Antimonii vires tranſtulit Quercetanus ex variis Authoribus, ex quibus Aldrovandus, & reliqui eas colligunt præcipuè Cæſius. Plinius enim, *lib. 33. c. 6.* tenet quod ſtibium habet vim refrigerandi, & adſtringendi, præcipuè circa oculos, cujus fluxiones cohibet, & quod ad recentia vulnera, & contra veteres canum morſus valet. Dioſcorides, *lib. 5. c. 53.* tenet quod ſtibiũ adſtringit, & refrigerat, excreſcentias carnium compeſcit, ulcera ad cicatricem perducit, ſordes, & exulcerationes oculorum purgat; ſanguinis ex mẽbranis cerebri profluvia compeſcit, & quod non ducant cruſtram ambuſtáq; inunguntur cum adipe illi commixto, Galenus *lib. 9. ſimpl. c. de ſtimn.* ob adſtrictionem ſtibium laudat pro ocularibus medicamentis & *lib. 6. de ſanit. tuend.* Palpebris applicatum pro colyrio laudat Antimonium. Agricola *lib. 10. de natura foſſil.* idem admittit. Fernelius, *lib. 6. de methodo medendi cap. 3.* & alii citati à Cæſio & præter hos cuncti juniores qui de illo agunt, Chymicique eaſdẽ Antimonio crudo adaptarunt virtutes.

Ante Paracelſum crudum Antimonium vario modo præparabant, ſeu adaptabant veteres, ut ipſum poſſet applicari juxta diverſos morbos, quos conabantur curare per eius applicationem ad externas corporis partes, juxta diverſas vires quas in illo cognoverant, ut videre eſt in Averroë, *lib. 14. collect.* in Galeno, *lib. de ſimpl. Medic. facult.*

Digitized by Google

facult. in Paulo *lib.* 7. *de re Medica*, Dioſcorides cum recenti adipe admiſcet pulverē: ut in aduſtis cohibeat cruſtam generari, ſi generatur, addit ceram & ceruſam; ut ad cicatricem perducat, *lib.* 5. *cap.* 59. inquit: *Torretur pinſuta farina & carbonibus obrutum, donec carbunculetur cruſtra eximtumq; extinguitur carbonibus ſuccenſis efflatum, quod igni deflagraret. Si enim paulo magis concremetur, plumbum fit*, Plinius, *l.* 33. *c.* 6. aliter ſtibium præparat, dicens: *Uritur autem oſſis bubuli fimi circumſitum in clibanis deinde reſtringitur mulieris lacte.* Teriturq; in mortariis admixta aqua pluviali, ac ſubinde turbida transfuſa ſunt, opertum linteo per noctem relinquitur, & poſtero die quod innatat effunditur, ſpongiaq; tollitur, quod ubi ſubſidet, flos intelligitur, & linteolo interpoſito, in ſole ſiccatur, non ut perareſcat, iterumq; in mortario teritur, & in paſtillos dividitur. Contra recentia vulnera & morſus antiquos canum ſtibium applicat Plinius inſperſa farina, & contra ambuſta additis adipe recente; ſpuma argenti, & ceruſa. Fallopius ſtibium præparat dum ex officinis accipitur ter, aut quater lavando illud cum aceto & pro affectibus oculorum ſtibium extinguit cum larido, ut ejus auferat aſperitatem.

Crudum ſeu naturale Antimonium ad alios uſus deſtinavit antiquitas ad fucum, & aliquarum mechanicarum artium uſus. Pro decoratione ſtibio utebantur Hebræorum mulieres, ut comprobat Aldrobandus ex *lib.* 4. *Regum*, ubi legitur: *Jezabel depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornavit caput ſuum*, Et apud Ezechielem: *Dies venerunt quibus te lavaſti, & circumliniſti ſtibio oculos tuos*, & apud Jeremiam: *cum pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtra componeris*: Et D. Hieronymus *ad Furiam: Non habuit criſpantes myrtas, nec ſtridentes calculos, nec orbes ſtibio fuliginatos*: Præterea Hiſpanæ mulieres Antimonio fucare ſupercilia ſolitas fuiſſe renent Plinius, & antiquiores, nec illud fuiſſe pro pharmaco receptum, tenet Mercurialis, ſed potius ad decorationem, ſimul & ad aliquarum artium uſus; ut fundentes campanas illud ſuperaddunt metallis ut ſonoræ fiant, ſicut patinas fabricantes, & qui globos ex ferro formant pro bellicis tormentis, in funditione ſuperaddunt ſtibium pro liquefactione, & Gemmarii cum aqua ex illo deſtillata maculas adamantes, fœdantes auferunt. Præſtat etiam materiam ut fiat argentum vivum, ut tenet Aldrovandus. Deſervit etiam, ut tenet Poppius iis qui ſpecula metallica poliunt, & litterarios characteres, & typos effingunt.

§. III.

De Antimonii præparationibus in uſum Medicinæ.

Theophraſtus Paracelſus in alios præſtantiores uſus traxit Antimonium, variaſque docuit illius præparationes, ut intus ſumptum, vel ad extra applicatum poſſet prodeſſe, pro diverſis curandis morbis, quem ſecuti ſunt ſui Spagyrici, inter quos, in ordine ad hos uſus illud definit Hamerius Poppius, dicens: quod *Stibium eſt corpus minerale, plumbei coloris, partim ex impuro, bituminoſo, & arſenicali, partim puriſſimo ſulphure ſeu interna rubedine, Mercurio metallico indigeſto, & exiguo ſale concretum, Spagyrica præparatione in nobiliſſima medicamenta cedens.* Pro ſuis præparationibus Chymici Antimonii tripliciter accipiunt, qua minera cruda, qua minera fuſa, & qua regulus, ut tenet Hamerus

merus Poppius *in ſua Baſilica Antimonii.* Minera cruda, ſeu rudis eſt ipſa vena, quæ ex viſceribus terræ eruitur, minera fuſa eſt ipſum antimonium, quod paratur fuſione mineræ per deſcenſum, catinus in fundo pertuſus & minera repletus altera terra obruto imponitur, & ignis adminiſtratur, cujus vi liquatur antimonium ſecretum ab impuritate, & delabitur per foramen catini in ſubjectum excipulum, frigoreque coagulatur; Ex hoc antimonio ab ſpurcitie expurgato fit Regulus ſic. ℞. Antimonii ℔. ſſ. pulver. carbonum ℥. j. nitri puri, tartari crudi ana ℥. iij. ſingula pulveriſentur ſeorſim, miſce in cribulum inter carbones vivos locatum, per vices injice, ut inflammentur, operculum injicietur poſt injectiones, poſt injectam totam materiam ignis adminiſtretur, ut Regulus inferiora crucibuli occupet. Vel effundatur in conum pyramidalem, qui ſeparatur ab ſcoriis ſuperſtantibus poſt refrigerationē; & Regulus ſimplex vocatur, ultra quem datur alter Regulus Martis, ſeu ſtellatus, illi affinis.

Variæ Antimonii fiunt præparationes Spagyricæ ad varios uſus, & ad varias illius formas; ſed præcipue ex Poppio fiunt vel per modum fixionis, ut ipſum appareat magis fixum, ablatâ impuritate, vel per ſeparationem, qua ab impuritate terrena in fundo, portio medicamentoſa ſeparetur. Fixio fit per calcinationem, per quam mixtum in calcem reducitur, ſive fiat miniſterio ignis cæleſtis, vel elementalis, vel per vitrificationem; Scroderus nuper tune proponit præparationes, quibus ſtibium ſubjicitur, quæ ſunt calcinatio, ſublimatio, deſtillatio, liquatio, extractio, infuſio, ſalificatio, & Mercurificatio: Pro quibus quod in officinis proſtat, eſt fuſum liquefactione ex minera effuſum, ut in plurimum in formas pyramidales, ex quo per calcinationem ſiccam fiunt vitra, croci, diaphoretica, Reguli. Per calcinationem humidam fiunt præcipitata, per ſublimationem fiunt flores, & cinnaberis, per deſtillationem fiunt aceta, olea, ſpiritus, per liquationem, fiunt liquor, ſeu balſamus ex ſcoriis Reguli, per extractionem, fiunt ſulphura, & tincturæ, per infuſionem fiunt variæ ſtibii infuſiones, ſub quibus ex Brundelio ſtat aqua benedicta Rulandi, per ſalſificationē fit multiplex ſal antimonii, per Mercurificationem fiunt variæ antimonii Mercurificationes ex Baſilio & Agricola.

Ex iis præparationibus Antimonium varias acquirit medicinales vires: Vitrum Antimonii ejicit humores craſſos, & viſcidos in ventre contentos per vomitum, & alvum, prodeſt in malignis febribus, & putridis, obſtat veneno in aceto exhibitum, eſt diaphoreticum; crocus metallorum prodeſt in doloribus capitis per conſenſum cum ventriculo, in peſte & arthritide, & in colica, diaphoreticum Antimonium reſiſtit corruptioni, mundificat ſanguinem, aufert obſtructiones partium internarum, & morbos ex eis ortos, prodeſt in febribus vi maligna præditis. Regulus antimonii multiplex, ſolaris, diaphoreticus, Regulenus ſeu ceruſa Antimonialis diaphoretica, hæc intus ſumpta prodeſt pro ulceribus inveteratis, movet vomitum, ventrem aut ſudorem: ad extra applicata, adſtringit, abſtergit, aperit. Præcipitata, quæ fiunt per humidam calcinationem, ſunt plura, ex quibus antimonium rubum fixum purgat, æque ſurſum & deorſum; non ſua natura, ſed ob bilio-

ſum

ſum humorem in ventriculo commotum: Eſt etiam præcipitatum vitrum, & præcipitatum antimonii dyaphoreticum, flores & cinnabaris, quæ fiunt per ſublimationem, purgant ſurſum, deorſum, & diaphoreticè per deſtillationem facta aceta, olea, & ſpiritus vario modo inſerviunt. Acetum cum lapide prunellæ deſervit pro febre maligna, prodeſt pro inflammatione orta ex pulvere nitrario cum ſaccharo Saturni, oleum ſaccharatum prodeſt ulceribus, oleū chryſtallinum eſt vomitorium, oleum antimonii compoſitum prodeſt pro vulneribus, liquor & balſamus, quæ fiunt per liquationem etiam ſunt ex uſu, liquor ex ſcoria ferri pro fiſtulis, & fœtidis ulceribus, liquor ex ſale vitri antimonii pro fluxionibus podagricis, vulneribus, & fiſtulis, extractione fiunt ſulphura, quæ ſunt extracta craſſiora, & tincturæ, quæ ſunt extracta magis elaborata. Sulphura movent ventrem, & ventriculum, tincturæ plures fiunt, & pro variis morbis opitulantur, falſificatione fit ſal antimonii utile pro febribus, pro calculo veſicæ, & ulcera mondificans, & aliud deobſtruens.

§. IV.

Antimonii præparationes ad expurgandum corpus proponuntur.

PAracelſus non omnes ſtibii præparationes manifeſtavit, ſed præcipuè docuit Antimonii calcinationem, per quam illud reddidit aptum ad expurgandos humores ſimul vomitu, per ſeceſſum, & per ſudorem, communiter in hunc finem ſtibium exhibetur cum conſerva roſarum vel boraginis, ſed communiſſime exhibetur in vino. Quintilius quidam dictus primus antimonii uſum ad noſtros perduxit contendens cum illo omnes morbos curare, exhibetur à nobis, à gr. iij. ad gr. v. communiter per quatuor aut quinque horas infunditur, in ℥. ij. vini albi ab aliis vinum & antimonium propinatur ſimul, ab aliis vinum poſt colaturam, ſtibio ſeparato quod pro hoc uſu in pulverem reducitur. Vocatur vinum ſic paratum, vinum Hermeticum, ſed exteri ſic Hermeticum præparant. ℞. croci metallorum gr. xvj. infunde in aqua hordei, & vini albi ana ℥. ij. per xxiiij. horas cola.

De hujus ſtibii præparati uſu præcipuè inſtituitur dubitatio conſultationis; ideò varias illius proponemus præparationes quæ inter Spagyricos variæ ſunt, ex antiquioribus Joannes de Rupeſcilla antimonium in pulverem redigit, admiſcet in vaſe plumbeo acetum Philoſophorum, & ſuccum elicit, quem vocat benedictum. Quercetanus, *lib. de ſcorbuto*, inquit: *ut de aliis magiſteriis Chymicis, ita de antimonio dicimus, in cujus ſublimatione ſtibii pulvis liqueſcat, aſcendat nihilominus, quemadmodum pelles parietibus mollarum adhærere cernitur.* Quem præparandi modum ex Paracelſo *lib. chirurgiæ magnæ tract. 3. cap. 5.* his verbis proponit ℞. *antimonii in ſubtiliſſimum alcohol reducti quantū ſufficit, in clauſo reverberatorio, ad ſpatium unius menſis reverberetur, & evadat volatile, leve, primo album, mox luteum, deinde rubrum, poſtremo purpureum, ſeu violaceum, quo facto ab ipſius lilio eſſentia ſua per ſpiritum vini, quo viginti digitis ſuperimmineat, extrahatur, deinde ſeparetur, ſeparatus autem iſte vim ſpiritus nobiliſſimam, pretioſiſſimā, & tantum non divinam lilii eſſentiam ad morbos omnes percurandos præſtantiſſimam continebit.* Et *lib. de perſio-*

perſiccaria ſic componit. ℞. *Antimonii quantum videbitur in alcohol facti, hoc in ſuos flores ad quartum ignis gradum reverberabis igne levi primum, deinceps aucto ſecundum artem.*

Idem ex Dornæo aliam præparationem ſuperaddit dicens: *Scite autem Dornæus in faſciculo Paracelſiſticæ medicinæ tract. 2. de arcanis Alcohol antimonii in volatilem ſuam ſubſtantiam à ſuo naturali colore non immutatam, ſolo ignis & caloris regimine reduci vult, ut poſtquàm vulgariter contritum eſt, philoſophicè tandem atteratur ſublimationibus quæ paſtilla ſunt philoſophorum & mortaria.* Sublimatio autem ex mente Paracelſi *lib. 3. de vita longa c. 6.* per retortam fieri debet ſine omni capite mortuo: ſic demum evadit ſulphur antimonii cum proportionato Mercurio, quod verũ lilium dicitur. Joannes Baptiſta Cortes *in ſuis Miſcellaneis decada octava,* plures alias præparationes antimonii proſequitur ex Matthiolo & Andernaco, quas ſuo ordine proponemus. Matthiolus *lib. 5. cap. 59.* ſic præparat: Eligito ſtibium optimum, quod ut tradit Dioſcorides, ſplendidisſimum eſt, modoque nitedularum emicat, confractu cruſtorum, friabile nihil terræ, aut ſordidi habens. Primum in pulverem facito, deinde in fictile vas, quod amplum ſit, conjicito, denum carbonibus ſuccenſis ad calcinandum (ut Chymiſtarum verbo utar) ſub dio ponito, atque interim cochleari ferreo Spatula in Myropolis appellata continuò moveto: Hoc verò dum fit fumus exhalat tenuis Sulphur, & auripigmentum redolens, qui ſi ore attrahatur crebras interdum excitat vomitiones, quapropter qui verſant, ventris terga opponunt; verſare autem aſſiduè expedit, nam ſi pauloper ceſſat, vel comburitur ſtibium, vel liqueſcit: verſato itaque diligenter quouſque in glebulas concreſcat, quas cum videris ſublato ab igne fictili, quod concrevit, rurſus in pulverem redigito, aſſiduoque verſato: id quod toties repetendum eſt, quoties coaleſcentes glebulæ poſtularint, ita quoque tamdiu verſare convenit, quoad corpuſcula illa, quæ emicant, ſplendorem ſuum amiſerint, vapor omnis ceſſaverit, fætor aboleverit, & ſtibium in calcem converſum ſubalbicantis cineris colorem contraxerit; perfecti autem operis ſignum erit, ſi prunis ardentibus inſpergatur, nihilque prorſus fumi emittat. Poſt hæc ſumito ejuſdem calcis, exempli gratia ℔. ß. chryſocolæ factitiæ ℥. ſſ. Deinde Chryſocolam & ſtibium terito in tenuem pulverem; mox omnia ſimul miſceto, atque in fictili fuſorio, quo utuntur aurifices, igni vehementi admoveto. Vas ſuper laterem, aut teſtaceum aliquod fictilis ollæ fundum prius collocatum, & fictili operculo contectum carbonibus accenſis circumdato, & ne comburatur, tenacula ferrea ſublato cooperculo nonnumquam inſpiciendum, an colliqueſcat, dum colliquatum ſit, eximito vas ab igne, & ſuperinverſa pelvi ex auricalcho facta, qua tonſores utuntur, projicito: quamprimum concreſcet in laminas, quæ colore & nitore chryſopaxicos, quos hyacinthos appellant, atq; etiam nonnumquam granatos referunt. Si velis parvos lapillos facere, guttatim emitte, in pelvim effunde antimonium.

Juniores communiter hac utuntur præparatione, & ex nuperrimis Scroderus *libr. 3. cap. 6.* antimonium rubrum fixum præparat: ſimili modo calcinatione ſicca vitrum antimonii hyacinthinum ℞. Mercurium

rium pulveriſatum, calcinetur in vaſe figulino amplo ac lato non vitriato continuò ſcilicet materiam rudicula movendo, ne concreſcat, quod ſi præter ſpem evenerit, denuo pulveriſare oportet: deducendus eſt hic labor, ignis augendus, donec vas paulatim igniatur, materiaque cinerum ſeu griſeum acquirat colorem, nec fumum (à quo diligenter cavendum:) amplius emittat. Ex hac calce fit diaphoreticum laudabile ac ſingulare peſtis præſervativum, ſi ulterius in aceto igniatur, ut ex albicante colore fiat pulvis ad flavedinem inclinans. Doſis gran. iiij infuſa in vino, datur cum ſucco calendulæ. Calx in aceto benè ſatis fuſa (: quod immiſſo ferreo ſtylo experiri licet :) effundatur in tabulam lapideam, vel pelvim æneam, ut in vitrum abeat. Vitrum ſi adhuc nigrum, aut opacum fuerit, reiteranda eſt fuſio, donec pellucidum, ac hyacinthinum colorem nanciſcatur, in qua fuſione aliquid Antimonii crudi Matheolus admiſcuit.

Cortes ex Andernaco ſex adducit Antimonii hujus purgativi præparationes diverſas; Aldrobandus operoſam ponit præparationem non utiliorem. Spagyrici omnes quam maximè laborant in antimonii præparatione ad humores ex corpore expurgandos, ſed quia ſimul per vomitum violenter movet, Riverius exoptat corrigere vim vomitoriam, ut perfectiſſimum pharmacum ſolutivum remaneat, Scroderus tale illud videtur proponere vitrum antimonii quod præparat ut purget per inferiora tantum, ſed ſecurius Cornachinus alia arte inquit & aliis inſigniis paratur, quam hucuſque paratum fuerit, nam accipiuntur Antimonii optimi pars una, v.g. uncia una, ſalis verò nitri ſic nuncupati partes duæ, v. g. unciæ duæ, ſimul negligenter triturantur: mox in vaſe teſtaceo crubiculum vocant, ſupra carbones ignitos collocato, ponuntur ad comburendum ſeu ut dicunt ad calcinandum, ſed notandum, ut talis calcinatio fiat igne admodum vehementi. Hoc facto iterum tantumdem ſalis nitri, ſcilicet ad uncias duas ponitur & denuo comburitur: tertiò denique rurſus tantumdem ſalis nitri ſuperadditur, videlicet ad uncias duas, & comburuntur. Quoniam verò ſecunda, & tertia vice difficulter admodum combuſtio, ſeu calcinatio ſequitur, ea propter, ut vis ignis quoq; rurſus penetrari poſſit ferro, ſeu carbone ignito, continuo reductæ ſunt verſandæ, donec ex æquo undequaque penitus combuſtæ ſint, id quod ex colore cognoſcitur, nam vel ſubalbæ, vel ſubflavæ redduntur. Et ſi ſuper ignitos carbones iterum ponantur, non amplius crepitum vel fumum emittunt, inſuper idem antimonii pondus vel parum excedens, quod ante calcinationem acceptum fuerit, poſt calcinationem remanere debet: ſuperaddit verò Cornachinus, quod antimonium ſic præparatum, purget ſine ulla virium jactura, licet minus efficaciter, & ſine vomitu juxta reliquas præparationes vero cum moleſtia, & periculo, ut experti ſunt miſeri, qui illo uſi ſunt, hujus doſis poteſt extendi ultra viginti granos.

Nec ſolum Antimonium præparat Cornachinus ad humores ſecurè & ſine accidentibus purgandos per ventrem, ſed etiã ſchammoneum & tartarum: ſchammoneũ ſic præparant. ℞. ſchammonei electiſſimi certam quandam quantitatem, eaque craſſiuſculè trita ſuper chartam exugentem appellatam extendatur, mox ſulphure ſuper

per ignitas prunas injecto, ſuper fumum, qui ex ſulphure attollitur charta jam dicta, euſque detinetur, quouſque ſcammoneum liquari, & chartæ adhærere incipiat, tunc ſtatim à fumo charta removenda eſt, alias vim amittet medicamentum, ſic redditur ſine odore, & ſapore efficax, ad bilem & cæteros calidos humores ac tenues purgandos, blandè, placide, & abſque caliditate & moleſtia.

Ex vini fæce tartarum ſic præparat. ℞. ex tartaro albo craſſo modo pulveriſato, & multiplici aquarum ablutione repurgato, donec clariſſimum evadat ℔. 5. vel 6. indantur in patinam terream vitreatam, inde aquam affunde claram fontanam, ut quinque aut ſex digitos materiam ſupernatet, & bulliant in vaſe per ſpatium duarum horarum: poſito deinde vaſe in loco frigido in ſuperficie concreſcet cremor Chryſtallinus, quem ſeparabis cum cochleare perforato: reiterata ſæpius eadem ebullitione, poſt materiæ refrigerationem, ſemper cremor adimatur, qui in frigido coagulabitur, & fac ut exſiccetur in aëre pro uſu; caret omni odore, & fere ſapore, valet attenuare, & incendere craſſos humores, vias aperire & patefacere.

Ex iis tribus præparatis medicamentis contendit Cornachinus probare quod poſſunt curari omnes morbi pendentes ex humoribus exhibendo illa uſque ad quatuor aut quinque vices ad illos expurgandos, tutè, quia nullam inferunt moleſtiam, nec debilitant.

Ex hoc triplici ſic præparato pulvere nos ſæpè utimur felici ac ſecuro eventu in variis morbis, variaq; humorum congerie, in adultis ad g. xxxiij. ad g. xxxx. ſumendo ex tartaro, g. viij. ex duobus reliquis vel ponimus æquales partes, vel majorem quantitatem Antimonii pro craſſioribus humoribus, pro bilioſioribus majorem ſcammonei adhibemus quantitatem.

Gabriel Fontanus has Cornachini præparationes notans tanquam obſcuriores, alias faciliores promittit, ſed ipſas reperit. Primò pro antimonio præparando: ℞. antimonii optimi ℥. j. ſalis petræ rectificati ℥. j. antimonium craſſo modo contritum, & cum ſale mixtum mox apponatur in magno crucibulo, aut vaſe vim ignis ferente: poſtea cum carbone accenſo, quem ſtatim ſubtrahe, ignem admoveto: hoc facilè ardet, ſed in ſecunda calcinatione duplum ſalis Petræ apponitur ſcilicet ℥. ij. quæ ſimul exacte commiſcenda cum antimonio ſemel calcinato, reponendaque intra ſimile vas teſtaceum, ſeu crucibulum, quòd multò ſit capacius, quam materia intus contenta, aliter major ipſius portio deperiret: hac enim vice ſecundæ calcinationis oportet, ut crucibulum in fornace collocetur inter prunas ardentes, non tamen ſit admodum ardens ignis, ne in regulum abeat antimonium, illudque obſervandum quod in ultima calcinatione difficile comburitur, niſi prius ſal petræ amoveatur beneficio aquæ communis, ſed antequam illud ſeparetur, crucibulo exiſtente intra fornacem, & materia ſit liquata, tunc aſſumetur carbo longus, & conveniens cum voſella, & dicta materia continuo verſabitur, ut bene comburatur ſal petræ, & exhalet: poſteà crucibulum rumpitur, eo ab igne extracto, & frigefacto, colligi debet ſedulo materia, ruſuſque ponderari, eique adjicies denuò ſalis petræ ad duplum: poſtmodum igni admovebitur, ut in ſecunda calcinatione

fortiter

fortiter agitanda cum carbone accenſo, ut dictum eſt, ſed cave quod ſi carbo frangatur colligenda ſunt fragmenta ne materiam inficiant, quam ablues denuò ad ſal. removendum vires. Hoc Antimonium corpus ab humoribus craſſis & frigidis purgat doſis à g. iiij ad xij. & uſq; ad xiiij. vel xvj. cui addit Cornachinus ſcammoneũ cum cremore tartari, hoc ſicut & Cornachinus exprimit Fontanus ſicut & ſcammoneum cum ſulphuris vapore correctum, quod calidos & tenues humores purgat. Doſis à gr. vj. ad xvj. aut xx. & ubi alter alterum exſuperat humorem, pro ratione humoris ſuperantis medicamenti reſpicientis illud, quantitas augenda. Hujuſmodi ſunt antimonii præparationes uſque ad hanc ætatem.

§. V.

Controvertitur an ad uſum medicum debeat Antimonium admitti?

COmmunis eſt hæc controverſia, quæ quæſitis à Domino Doctore reſpondet; illius eſt ratio, quod eventus in uſu hujus medicamenti eſt anceps, & periculoſus, & quod hoc medicamentum antiqui ad uſum medicum non admittebant: inquit enim Mercurialis, *lib. 2. de compoſit. medicam. Antiqui pro ornatu uſi ſunt antimonio uſque ad Paracelſum, qui cepit hoc diabolico medicamento uti, non ad purgandum, ſed ad jugulandos homines*: Antimoniũ autem ut conſtat ex nuper dictis poteſt conſiderari juxta tres ſtatus: Primo Prout crudum eſt, ſecundo prout calcinatum juxta varias Paracelſi, & Spagyricorum præparationes per quas crudum immutat vires, Tertio prout calcinatum iterum præparatum juxta Cornachini, & Fontani præparationes veneficas vires, quas communi calcinatione acquiſivit, amittit, & in benigniorem naturam reducitur, juxta hos diverſos ſtatus controverſia dirimitur.

De Antimonio calcinato hanc movent controverſiam Cortes, Caſſius, Aldrobandus, Grevinus, Giorovius, & alii, & partem affirmativam defendit Paracelſus, qui primus ſtibium ab orco revocavit in uſus medicos, illiuſque docuit calcinationem, qua aptum redderet ad expurgandos humores illudque laudat & exaltat ſupra omnia medicamenta, *lib. 1. magna chirurgia, & lib. 2. Archidoxorum, & lib. 2. de Contract. cap. 2.* illum ſequitur Matthiolus non minori conatu contendens præſtantiores de illo laudes, & uſus præconicari, Thomas Bovius in ſuo Hercule ſupra Herculis vires illud exaltat. Petrus Monavius *apud Schol. in epiſtola ad Diduſcium*; variis adductis experientiis ejus extollit præſtantiam. Cuncti Spagyrici in ejus laude, ſe exſolvunt, contenduntque nullum dari morbum materialem, qui illo non valeat curari, nec aliud deſiderari auxilium contendunt Agyrtæ, quibus favet Lanneus; Tum quia Authores qui egerunt de venenis antimonium non ponunt inter venena, leve fundamentum quidem, quia licet antimonium crudum, quod cognoverunt non eſſet venenum, poſſet tale fieri per calcinationem: Tum favet illius uſus, quia illud laudat Matthiolus, vir quidem Doctus, ſed qui potuit falli inſpecto eventu aliquo accidentaliter fælici: Tum quia ſicut plura alia venenoſa exhibentur ad intus medicamenta, poterit & antimonium bene calcinatum, licet venenoſa quædam miſceantur ſuæ præparationi: ſed parum firmam reddit ſuam ſecuritatem, dum fatetur

tur

tur ſuas deleterias vires. Superaddunt Bovius & alii, quod Paracelſus ſtibium judicat homini expurgando aptum, quia expurgat aurum metallorum regem, & ſic debet expurgare hominem regem animalium. Si dæmon eſſet riſibilis cachinnum extolleret, memor tot nugarum, quibus illius imbuit mentem; Tum quia, ſi omnia medicamenta purgantia ſunt venenoſa, cur licet venenoſum ſtibium non erit cum illis ex uſu. Reſpondemus quod non ita corrigitur illius vis venefica per calcinationem, ſic corrigatur, ut à Cornachino fuit conſequutum debet admitti: Sed de Antimonio crudo primo aſſerimus venenoſum eſſe, & ineptum ut intus ſumatur. Conſtat ex antiquioribus, qui licet experti ſunt illud utile in varios uſus, ut diximus, ipſo pro medicamento ad intus ſumpto non utebantur, nec ipſi Paracelſiſtæ ſine præparatione eo utuntur, nec in alium uſum fore utile judicaretur niſi ad purgandum ad quod nullas habet vires cum potius ante calcinationem vi adſtrictoria polleat. Præterea Grevinus illud ut ſic judicat venenum, cui aſſentitur Aldrovandus, quia hydrargiri eſt particeps, quia eſt aſſinis plumbo, quod ex Dioſcoride eſt venenum, quia intus ſumptum infert vim naturæ more veneni. Cæſius plures ſuperaddit rationes idem confirmantes, nam venenoſam ejus naturam indicant effumationes, quæ ex illo elevantur in calcinatione in quibus venefica manifeſtatur vis, tum quia frigiditas & ſiccitas ejus in quarto gradu neceſſario vim veneni habent, & quia experiuntur venefica accidentia quæ abſumunt crudum antimonium. Alias Gierovius & Grævinus ſuperaddunt rationes.

Aſſerimus ſecundò: quod antimonium à Cornachino præparatum, de cura regulari, poteſt admitti in uſum medicum ad craſſos præcipue expurgandos humores, ipſe plurimis experimentis conatur ſuadere hanc doctrinam, ſed magis confirmat illam, quod jucundè & tutò, ſine aliqua noxa, nec ſenſibili alteratione purgat blandè, placide cum fælici eventu, ſine ventriculi anxietate nec vomitu, ex quibus evidenter convincitur quod per Cornachini præparationem amiſit venenoſas vires, quas per calcinationem communem acquirit, & per quas conturbat omnes humores, & ventriculum commovet, irritat ac perturbat, nec minus apparet benignitas illius in doſi quam permittit hæc præparatio, cum extendatur ad tres aut quatuor partes ultra doſim communem, in qua exhibetur antimonium communiter calcinatum, & in hac majori doſi ſine vomitu, conturbatione aut ſuperpurgatione operatur.

Aſſerimus tertiò: quod Antimonium communiter calcinatum ex quo fit vinum Hermeticum, de cura regulari, non debet intus ſumi ad purgandos humores: comprobant hanc doctrinam præclariſſimi Authores, tam Dogmatici, quam Spagyrici, qui illius venenoſas vires experti, ipſius deteſtantur uſum, ſimulque ejus aperiunt incommoda. Mercurialis, *tom. 3. conſiliorum cap. de oculis orientalibus. Ad ſtibium*, inquit: *orationem converto, de quo quæris an a rationali Medico, quemadmodum à pleriſque aliis fit, uſurpari debeat: an potius tamquam venenum, vel venenoſum ſit rejiciendum, (& ut liberè loquar) vidi plurimos illius uſos, quorum omnes ſemper per unam vel alteram diem incredibili turbatione, & mentis*

mentis & animi affecti ſunt . aliqui ſtatim interempti, pauciſſimi qui diu ſupervixerint. Riolanus *in apologia quadã adverſus Quercetanum* inquit de antimonio, quod a diabolo ſit inventum in ruinam generis humani: *Serpens illa maligna excogitavit pro bonis, quæ ſuo clienti Paracelſo communicavit in vulgus diſpergenda.* Crato ſuperaddit: *Scio etiam quibuſdam medicis perſuaderi antimonium eſſe ſingulare alexipharmacũ contra infectiones : ſed quia arſenico non valde diſſimile eſt , & natura ab eo tanquam à veneno abhorret , & cum inutilibus humoribus etiam bonos exturbat, fieri poteſt ut in tanta agitatione, & hypercatharſi corpus eo veneno liberetur, & putredo propter fortem exſiccationem deſinat ; carere autem periculo, vel omnibus tuto præberi poſſe non facile adducor, ut credam; nam certo certius eſt præcipitatum & antimonium eſſe peſtifera Pharmaca.* Gravenius agens de antimonio *in lib. de venenis* inquit: *Statim cùm intra corpus fuerit, & ſupra & infra hominem defatigat : idque ut plurimum , idque in diverſis morbis, in omni ætate, ſexu , & quovis anni tempore, nullo adhibito diſcrimine exhibetur, & ſtatim ſuas exercet vires & tam in tabido , quam aqua inter cutem laborante , ſerum educit, tam in ſano, quam in ægro, melancholico, bilioſo, aut pituitoſo.* Et addit: *Fieri non poteſt, ut tam parva medicamenti portio in tam exiguo tempore , & ſupra & infra corpus exagitet.* Godefredus *libr. 1. c. 11.* ait [*Plurimi medici clariſſimi antimonii uſum damnant, neſcio an majori Paracelſi hujus remedii authoris , ejuſque aſſeclarum Agyrtarum plerumque unico hoc remedio paratu facili omnium morborum curationem pollicentium odio, an ſymptomatum, quibus ſumentes affligit magnitudine: eſt enim valde venenatum, ut plurimos interficiat.*] Geroſinus *decad. 1. quæſt.* 1. inquit: *Aſſeveramus Antimonium calcinatum exitioſa ſua & venenata tum ſubſtantia, tum qualitate, moleſtiſſimè naturam irritare , communi quadam tractione, non ſolum pravos , ſed etiam optimos ducere ſuccos.* Dum namque naturæ humanæ, ac præſertim cordi veneficâ ſua vi inimicum eſt, illudque ſuo vapore, & facultate malefica lædit , neceſſario cordi veniunt in adminiculum ſpiritus, qui dum potenter contra malignam qualitatem belligerantur, non ſolum inutiles & pravi , ſed utiles & alimentarii univerſo in corpore commoventur, Cortes *decad 8. in miſcellaneis* , tenet nemini dubitandum antimonium calcinatum venenum eſſe. Bertinus *de natura medicament. cap.* 14. ait: (Antimonium Arabicè, ſtibium Græcis refrigerat, adſtringit, exſiccat, maligna ulcera reprimit, & oculorum colyriis intermiſcetur, à Theophraſto Paracelſo in claſſe medicamentorum purgantium recenſetur: ſed quia maligna & deleteria facultate omnes humores moleſtè & incommodè cum naturæ jactura educit, vireſq; potius dejicit, quam tutò facili tolerantia & levamine expurgat, omninò repudiandum eſt.) Eraſtus *in miſcell.* aſſerit, quod ſtibiũ quadam virtute deleteria agit, ſine neglectu omnes humores attrahit, vires ſua venenoſitate irritando, ſicut præcipitatum ſeu ſublimatum. Fernelius *lib. 5 meth. c. 24.* inter noxia & inutilia purgantia ponit antimonium. Euſtachius Rudius idem aſſeverat , *tom. 4.* Aldrobandus *lib. 1. muſei metallici c. 9.* inquit *Cum igitur hoc medicamentũ terribilem in modum corpora humana perturbet, Theologi diſputant, num medici tuto in foro conſcientiæ ejuſmodi pharmaca poſſint præſcribere.*

Cæſius validis hanc Doctrinam confirmat authorum fundamentis, tum ſtibium fuit omni ætati cognitum, & Principibus medicinæ patebant illius virtutes & uſus, abſtinuerunt ab ejus uſu ad purgandum: ex quo patet, quod fuit inutile ad regularem curam, & ſi quando eo uſi ſunt, exolevit ab uſu, ob ſui incommoda, & abſtinuerunt ab eo tradentes regulam curandi modum, cognoſcentes, quod illo utentes violentia ejus perirent ſtatim, aut in longum vitam protrahere non poſſent. Tum antimonium ex inſuavi odore quem exhalat, dum calcinatur, conſtat venenoſam induere naturam, quod conſtat, quod ſemper inſerat vim naturæ, nec unquam valeat ab illa devinci. Tum Argentum vivum ex Dioſcoride, *lib. 5. cap. 64.* venenum eſt; ſtibium autem particeps eſt argenti vivi & more illius ita violenter, tam varios, tam craſſos, denſoſque humores movet ſurſum, & deorſum, quod alienum eſt à medicamentis, quæ de cura regulari poſſunt offerri, præcipuè cum per calcinationem vitro naturam aſſequatur ſimilem, quod inter venena recipitur, & præter craſſos humores quos educit, ſanguinem nudat à ſero, & intra horam dimidiam ab ejus ſumptione, maximum educit ſeri copiam, cauſatque ſymptomata lethalia, quæ in cura regulari ſemper ſunt vitanda: Tum de cura regulari exhiberi debet medicamentum, quod purget ſelectivè ſolum peccantem humorem: ſtibium autem calcinatum indifferenter evacuat omnes humores, etiamſi pro nutritione ſint apti, ſine delectu, ex quo apparet, quod in cura regulari, & Rationali, illo non debeamus uti. Firmant hanc doctrinam ex ſpagyricis Scroderus, qui *lib. 3. cap. 7.* ubi de antimonio rubro fixo dicit quòd purgat æquè ſurſum, & deorſum, idque non tam natura ſua, quam humoris bilioſi circa ventriculum ſtabulantis. Quercetanus *lib. de medicament. ſpagyricè præparatis cap. 10.* id confirmat dicens: *Nequis autem exiſtimet, me de illo antimonio vitro verba facere, quo hodie multi imperiti maximo cum damno utuntur perniciosum enim eſt medicamentum, quod ſui acrimonia facultatem irritando expultricem, per ſuperiora & inferiora magna cum perturbatione ducit. Quod ego probare nullo modo poſſum, non enim violentis quibuſvis purgationibus morbi omnes curantur, ſed convenientibus, Nam ut inquit Hippocrates, 1. Aphoriſm. purgentur, qualia purgari debent, confert & facile ferunt, non minus contra.* Ex quibus conſtat, in cura regulari & dogmatica Hippocratis Doctrina non eſſe utendum antimonio calcinato adhuc ex ipſo Quercetano Spagyricorum Duce.

Ratio fundamentalis hujus Doctrinæ deſumitur ex Hippocrate, *in lib. Epid.* ubi docet curam regularem à Medico Dogmatico debere fieri per medicamenta tutò, citò & jucundè operantia; ſed per antimonium calcinatum nequit curatio fieri tutò, citò & jucundè; Ergò non debet exhiberi alicui de cura regulari: Minor patet ex dictis & præcipuè comprobatur ex ipſis Spagyricis, primiſque antimonii tutoribus, ex quibus illud eſſe venenoſum, & exitiale convincitur, ex propria natura, fit enim per calcinationem, per quam acquiritur caliditas in quarto gradu, ut docet Villanova, & cum in eodem haberet prius ſiccitatem, per utramque qualitatem fit venenum ex Galeno *7. ſimpl.* & admittunt chymiſtæ, & fatetur vitrea natura in quam mutatur

mutatur venenoſa ut tenet Reſnerus *libr. de antimon. calcinatione*, dicens calcinando nihil horum præſtari poſſe, quin materialis terra, magis cum balſamo antimonii confunditur, & ſic penitus Medici actio inturbatur: Gemma idcirco ſtibii Dogmaticis ſuſpecta eſt, cujus tamen uſum cum multorum funeribus in rempublicam Aſclepiadeam Paracelſiſtæ introduxerunt: ſed Quercetanus *lib. adverſus antimonium, cap.* 3. *de vitro antimonii* inquit, *antimonium vitreum, & præcipitatum à me prorſus explodi, ac damnari, eaque ab uſu meo, & medendi ratione quam aliena ſint, ſatis docent pharmacopæa mea dogmatica, tum conſilia à nobis edita.* Et ſuperaddit: *Quis enim prudens Medicus vitrificatum illud antimonium tot ſymptomatum exitialium parens, & Mercurium præcipitatum, tot ſpiritibus acribus, & rodentibus ferociteniē laudaverit, ut apud me, & veros Philoſophos, qui aſſiduè acclamant: cavete à vitrificatione, iſta probentur & in uſum veniant.* Et *infra* ait: quod eſt pernitioſum, quod ſuo arſenicali ſpiritu irritando expultricem per ſuperiora, & inferiora, magna perturbatione educit, & evacuat. Confirmat intentum, quod nulla eſt vitriati antimonii calcinatio quæ ante Cornachinum corrigat illius venenoſitatem, quæ enim præſtantior judicabatur, fuit quam ex Mathiolo fere omnes receperunt, & cum qua ipſe gloriatur antimonium calcinaſſe plura miracula operans. Hæc autem peſſima eſt, admiſcet enim chriſocolam & ſalem chriſocola ex Dioſcoride, *lib.* 5. *c.* 54. annumeratur inter ea quæ vomitiones excitant, & necem cauſare valent: eſt enim quæ naturalis dicitur putrefactum æris metallum & ſal petræ, ſimilem, etiam irritandi ventriculum vim haber, & approximandi antimonium ad vitream naturam per quam venenoſius fit, & ſi in famoſiori Spagyricorum calcinatione tot ſunt incommoda, quæ timenda non veniunt ex infinitis aliis minus ſecuris, quibus Agyrtæ paſſim utuntur: præcipuè cum Reſnerus eorum defenſor fateatur antimonium plures interimere, quam curare, & ſi quis curetur, eam poſt ſe relinquere calamitatum farraginem, ut vix, & non niſi longo tempore ſe in priſtinum reducat ſtatum.

§. VI.

Qualiter liceat Antimonium calcinatum recipere ad uſum dogmaticæ medicinæ.

RESolvendum pro quæſito, quod de cura coacta quandoque licebit Dogmaticis, qui non ſint præcipitati judicii uti antimonio calcinato, ſeu vino Hermetico cum quibuſdam cautionibus, ſic Rudius, Maſſarias, Rondeletus, Marcatus, Cortes, Horatius, Augenius: & tenet Caſius, cum junioribus. Probatur ex Hippocrate *libr. Aphor. Extremis morbis extrema & exquiſita remedia ſunt adhibenda*, ex quo ſequitur, quod ſi quando non proſint leniora purgantia, poſſumus vehementiori hoc uti pro interturbandis, & movendis humoribus, quia ubi ratio non juvat, temeritas prodeſt, tum quia, ſi quando licet contra communiſſimam indicationem conſervandi partes viventes, illas amputare, ne totum animal pereat, non minus licebit, ſi communiora pharmaca de cura regulari indicata non ſufficiunt, uti antimonio pro deſperata ſalute utrumque periculis pleno. Paracelſus forſan in hunc finem antimonium

Digitized by Google

in uſum medicinæ reduxit & calcinavit, qui in ea fuit opinione,ut liceret quandoq; ad irrationalia recurrere medicamenta, ſi ſecuriora non prodeſſent.

Pro uſu hujuſmodi medicamenti varias adducunt cautiones, qui illo quandoque utendum judicant. Aldrobandus poſtquam tenet cum Sayro *libr.* 1. *Clavis regiæ cap.* 10. quòd de cura regulari hujuſmodi pharmaca in foro conſcientiæ non debent adhiberi: Superaddit: *Quoniam verò affectus interdum ſunt contumaces, & facilioribus remediis reluctantur: Medici interdum ad ambigua etiam præſidia,veluti ad ſacram anchoram confugere coguntur.* Deinde cum antimonium ſua violentia cathartica paucis prodeſſe, & pluribus obeſſe videtur, ut longa certorum exemplorum ſerie Eraſtus Mercurialis, & Grevinus oſtendunt: ideò aliqua præcepta proponenda;ex parte ægri & ex parte medicamenti: Ex hoc requiritur præparatio ſecura, & longa experientia comprobata, cum doſi coaptata naturæ ægri,ejus viribus & temperiei. In morbis poteſt exhiberi pro febribus chronicis melancholia, hypochondriaca, aut contumaci obſtructione,& morbis ex melancholia,& pituita ortis; præcipuè in meſenterio & primis venis ſtabulato. Mercatus in melancholia affectis admittit: Crollius,quantumvis Spagyricorum tutor,ſuas ſuperaddit cautiones.

Adhærens his Cæſius inquit: *Non temerè cuiq; circa electum exhibeatur: neq; enim illis qui anguſto ſunt thorace, qui ad vomendum ſunt difficiles,nec aſſueti: quiq; graciles & macri eſt propinandum, neq; illis qui dejecto & puſillo ſunt animo, neq; iis qui conſuevere vel deliquio deficere, vel ore ventriculi & torminibus affligi, nullo autem pacto utero gerentibus; cum vires ejus hepar non tranſcendant: Miniſtrandum dumtaxat ad medelam morborum, qui ſedem ſuam habent in ventriculo,inteſtinis, meſenterio,& primis illis venis: ea propter in melancholia hypochondriaca pro mirabili præſidio comprobatur: uti etiam in diurnis febribus, quæ ex obſtructionibus validis, & humoribus craſſis, frigidiſq; multum ad illas partes oriuntur, atq; in plurimis aliis deploratis & longiſſimis morbis, ex pituita vel melancholia, vel utroque genitis; ſuperadditur, quod via reddantur expedita,& humores ſcindantur,& attenuentur.* Alias plures cautiones plerique ſuperaddunt ſpagyricè corrigentes quæ ſubſequuntur ſymptomata.

Ego verò in vehementiſſimis morbis ortis ex craſſis humoribus in caput irruentibus & firmatis, ſenſuſque ſtupefacientibus, ut & in apoplexia utilem judicavi uſum antimonii: illum tamen maximè deteſtor in ardentibus febribus, in internis inflammationibus, aut flogoſi viſcerum. Vidi enim Agyrtas hoc contra indicans aſpernentes, qui exhibito vino Hermeti cō plures interfecerunt.

CONSVLTATIO IX.

De Tertiana intermittente.

CONTINET

§. I.

Proponitur conſultationis occaſio & totius diſcurſus.

§. II.

Tertianæ propria præſcribuntur genera,& determinatur,quæ morbi ſpecies.

§. III.

§. III.

Tertianæ intermittentis proponitur diagnoſis & curatio.

§. IV.

De prognoſi tertianarum intermittentium.

§. V.

De febribus intermittentibus, quæ quia pernicioſæ fiunt lethales.

§. VI.

Qualiter variat curatio lethalium Tertianarum.

CONSULTATIONIS DECISIO.

§. I.

Proponitur conſultationis occaſio & totius diſcurſus.

EX Diſcipulis Doctor Texero in arte ſtrenuus præclariſſimuſque Medicus, quandam expertus tertianarum conſtitutionem in Populo graſſantem, tam intermittentium, quam continuarum, variis eventibus diverſam, à continuis enim liberabantur plures, ab intermittentibus, alii liberabantur, plurimi in primis periodis ſecuri apparebant, poſt primam ſeptimanam in lethalia incidebant accidentia, & aliqui inopinato eventu moriebantur, vel malignis apparentibus ſymptomatibus, vel pernicioſis; Scire à nobis cupit, an vera ſit judicanda Hippocratis aphoriſtica ſententia, qua ſancivit, quod quocumque modo intermiſerit febris, periculum abeſſe ſignificatur. Contrarium enim videtur atteſtari experientia in intermittentibus tertianis, & in quintana febre in quam majori intermiſſione periculum expertus fuit Galenus, cui nos hæc reſcribere placuit.

§. II.

Tertianæ propria praſcribuntur genera, & determinatur, quæ morbi ſpecies.

FEbris de qua plura putavimus *p. 3. Reſolution. Medicar.* ex Scaligero à verbo *febrico*, ex Divo Iſidoro à verbo *Ferveo* dicta, ab Hippocrate ignis nominata: morbus eſt communiſſimus humano generi infeſtiſſimus, ſub morbis in calida intemperie conſtitutus, non in imaginaria Vanhelmonis fictione de ſpiritu deturbante Archeum, nec in Paracelſi ſubterfugio de ſulphureis morbis, nec in adſtrictis, aut laxis morbis contenta, ut ſomniarunt Methodici: ſed in calore præternaturali ſiſtens ut Hippocrates, Galenus, & Avicenna firmarunt, & tenent omnes Dogmatici Apollineæ artis Sectatores. Hæc, inquam, ſub ſe continent tertianam quæ eſt febris orta ex bile intra corpus uſtione aut putredine alterata periodicans per tertium ex ſua natura, licet ob alias cauſas plures intra illas repetat acceſſiones. Continet tertiana plures ſub ſe differentias, alia eſt continua, quæ continuò affligit, alia intermittens quæ pervenit ad infebricitationem quantum eſt ex ſe, licet per ſubingreſſum contingat non pervenire, intermittens alia eſt legitima, & exquiſita, quæ ex ſincera fit bile, alia eſt notha, ſeu ſpuria, quæ provenit à bile non ſincera, ſed pituitæ, aut melancholiæ, commixta: illarum verò alia eſt ſimplex cujus paroxyſmi tantum ſuperveniunt, tertio quoque die, alia eſt duplex, cujus paroxyſmi, vel unoquoque die fiunt, vel

duo in uno die, & in alio nullus. Alia eſt tertiana triplex, quæ uno die bis repetit, & ſemel in alio. Præterea tertiana intermittens: alia periculo caret, alia eſt periculoſa, hæc alia eſt peſtilens, ſeu maligna, alia eſt pernitioſa, ſub hac Mercatus, & ex illo Sennertus, Maroxa. Jonſtonius varias conſtituunt differentias. De tertiana intermittente præcipuè ſub hac conſultatione pro quæſito reſolvemus.

§. III.

Tertianæ intermittentis proponitur diagnoſis & curatio.

SUb intermittente tertiana continentur exquiſita & notha, in utraque prædominium bilis debitos illi ſervat periodos: differt modus in illis, ſicut & cauſæ variant, utriſque locus eſt idem ex Galeno *libr.* 1. *ad Glauconem*, *& de different. febr.* cauſa eſt alia in utraque, fit exquiſita ex ſimplici, & ſincera bile: in æſtate fervida, in flore ætatis ex Galen. *lib.* 4. *aphor. comm.* 59. fit ſpuria ex bile pituitæ commixta, aut melancholiæ ex Avicenna: Bilis ſincera prorumpens extra venas materialis eſt exquiſitæ tertianæ, cauſæ antecedentes ſunt illius productionem juvantes, æſtus ambientis, apta alimenta pro bile, & quæ acria, merum, inedia, vigilia, curæ, labor immodicus, calida & ſicca medicamenta ut tenet Aëtius *libr.* 5. *cap.* 75. fit tertiana notha ex bile mixta pituitæ & dicitur majoris famæ & mixta melancholiæ, & dicitur minoris famæ, fit utraque plerumque duplex, propter copiam humoris, & eorum inæqualitatem, ut tenet Aëtius *libr.* 5. *cap.* 79. differunt hæ tertianæ in accidentibus propriiſque ſignis, exquiſita enim repente cum rigore invadit, quo corpus concutitur, & extimæ frigeſcant partes, breve ſi pervenit calor acris, & mordax, pulſus in principio paroxyſmi parvus eo currente fit magnus celer, frequens, lotium incipit ſine contentis cum tenui, ignea, vel flava, aut ſubſtantia mediocri, ſupervenit nebula & intenſior color: incipit acceſſio plerumq; cum ſeceſſu, aut vomitibus bilioſis, augentur circa ſtatum ſicut æſtus, & difficilis reſpiratio, jactatio, ſitis inexhauſta, linguæ ſcabricies, oris amaror, inapetentia, vigilia, & capitis dolor ſuperadduntur. Brevis eſt acceſſio, uſque ad horas duodecim, in plurimum perfectè ſolvitur febris, nec ultra ſeptem periodos porrigitur, juvat cognitionem cauſarum cognitio, ut præcedentis victus, vitæ inſtitutæ, ætatis, temporis aut graſſantium morborum ex Hippocrate 6. *Epid.* ex Galeno *lib.* 3. *de criſibus cap.* 3.

Tertiana notha pituitæ, aut melancholiæ bili commixtæ præſefert ſigna, invadit cum rigore mitiori, & diuturniore, quam exquiſita, in frigidis Regionibus eſt frequentior, in otioſis & ingluviei deditis, calor eſt remiſſior, paroxyſmus longior ſudore deſinens: pulſus eſt tardior, tempora febris longiora, particularia, quam univerſalia, hypochondria, & in illis contentæ partes patiuntur ex Galeno *libr.* 1. *ad Glauconem. cap.* 8.

Curatio in variis medicinæ ſectis vario modo tentatur, ut diximus, *p.* 3. *Reſol. Medic. diſp.* 5. *ſect.* 4. à Dogmaticis perficitur refrigerantibus, & humectantibus per ſe, aut per accidens, victus humidus ex Hippocrate febricitantibus omnibus competit, has indicationes proponit Galenus *lib.* 1. *ad Glauconem cap.* 9. Per ſe refrigerant, & humectant alimenta frigida, & humida,

& quæ

& quæ eiſdem prædita qualitatibus offeruntur medicamenta. Per accidens, quæ bilis vacuationem moliuntur, fit vacuatio: ſi fiat refluxio ad ventriculum vomitu, ſi ad inteſtina per dejectiones, ſi fluat ad renes, per lotium, ſi fluat in ambitum corporis, per ſudores, juvanda natura pro iis evacuationibus: ſtatim à principio, ſi præcedat ciborum cruditas ex Galeno *libro 9. methodi*, vel ſpectata coctione: vel per clyſteres, dum parva eſt cruditas, vel per leniens pharmacum, dum hæc reſiſtit magis, ſi confluat copia humoris biliofi in ventriculum, ex quo ſequantur oris amaror, nauſea, faſtidium cibi, & hypochondriorum dolor, cum ſigna appareant cacochymi redundantis in prima regione humoris, ſtatim conſulo illius per leniens pharmacum evacuationem; ſufficit ſine ſelectivo pharmaco: hoc requiritur, ut ſelectivè à venis attrahat humores, leniens, ut contentos in prima regione evacuet, quidquid alii intendant proponendo ſelectiva pharmaca: de ſanguinis miſſione in tertiana exquiſita Galenus non meminit. Hippocrates *lib. 6. epid ſect. 3. p* 44. dominante bile ſanguinem mittere vetat. Avicenna *fen. 4. 1. c. 2.* in febribus præcalidis timet ſanguinis miſſionem, diſputant plures, & nos diſputavimus *in Reſol. medicis*, an in intermittentibus tertianis, mittendus ſanguis, ſed ſemper reſolvendum; quod ſi bilis ſit ſanguini commixta, eſt indicans mittendi ſanguinem, & ſic nullus ex Dogmaticis eſt, qui ſanguinem in tertianis non judicet mittendum eſſe: egimus de indicante miſſionis ſanguinis *in Reſolut. Medicis*.

Concoctâ materiâ ſelectiva purgatio convenit in exquiſita tertiana, cum levibus apparentibus coctionis ſignis, quandoque perficitur, in notha non niſi cum bono ſedimento, nec in hujus longa conſtitutione ſufficit ſemel purgare; ſed ſæpè pluries expedit paulatim concoquere, & paulatim evacuare propter heterogeneitatem humorum, & craſſorum naturam renuentem coctioni.

In exquiſita tertiana vomitus bilioſus, in principio acceſſionis permittitur, ſæpe bilis acrimonia in ventriculo miteſcit, exhibitâ aqua calida naturali, vel capitum roſarum rubrarum, vel bugloſſæ, vel granis granatorum: ſi perfluat bilis in acceſſie ad id ventrem, permittitur fluxus: ſi inteſtina corrodat clyſteribus attemperantibus, ex decoctione hordei, lacte, aut ex aliis frigidis herbis decocto uti licet. Pro ſudore in fine acceſſionis ſuperveniente confert, quod corpus non fuerit per acceſſionem ab ambiente refrigeratum, quod leniter cooperiatur: non tamen nimis concitetur calidis, ne ultra relictum in acceſſione morboſum quid aliud diſſolvendo evacuet.

Superveniunt præcipuè in tertiana notha, quæ proximior eſt continuis, varia alia accidentia, quæ dum cauſæ induunt rationem, exigunt curari, aut leniri; ut ingens capitis dolor, vigilia, aut delirium, pro quibus utimur revellentibus, repellentibus, derivantibus, reſolventibus, & anodynis, quæ perficiuntur cucurbitulis, frictionibus, clyſteribus, ſcarificationibus, oxirhodinis, imbricationibus, pedum lotionibus, aut in plantis applicatione carnis cucurbitæ, aut foliorum ſemper vivæ, aut lactucæ contuſorum; quæ proſunt in tremoribus convulſivis, qui ſolent in delirium terminari, ſitis ingens

gens

Digitized by Google

gens accidit in tertianis pleriſque, prodeſt frigidus inſpiratus aër, tacere, os claudere, frigidus potus, ſal prunellæ, fruſtum liqueritiæ contuſæ, in oxicrato maceratæ, grana granatorum, vel quæ frigida poſſunt in ore retineri, hæc proſunt pro faucibus aduſtis, ſicut emulſi, lapides ſeminis ſiplii, & citoneorum extractæ in aquis frigidis, conferunt, gargariſmata præcipuè ex lacte communi, vel ex Amygdalis extractum, in aqua hordei, vel ex frigidis ſeminibus: ad extra confert oleum violatum, butyrum recens: Pro iis attemperant maximè panni lintei madefacti ex ſuccis roſarum rubrarum, & cichorii cum aceto roſato, ſæpè ſupra jecur appoſiti, cum tepore. Nec aliter ſunt ex uſu pectoris inunctiones cum refrigeranteGaleni, unguento roſaceo, aut cucurbitæ, quæ temperata applicentur. Hæc, quæ apponuntur ad extra poſſunt &applicari, ingenti renum ardore, & dolore, & in vehementi æſtu lumborum, ſi in ventriculum confluant acres humores, granatorum acrium prodeſt ſuccus, & agreſtæ, aqua capitum roſarum rubrarum, & ad extra mica panis cum ſucco agreſtæ, vel folia portulacæ macerata ad formam cataplaſmatis, Somnus ſupervenit maximè in tertiana notha in principio acceſſiones maximè nocivus, frictionibus, & cucurbitulis revellendus vapor aſcendens, acetum naribus applicatur cum thymo aut pulegio, nares apprehenduntur, avelluntur pili.

Præter ſanguinis miſſionem, & purgationem quæ per accidens refrigerant, & per ſe contrariantur cauſæ, febri etiam per ſe ſunt contraria, quæ refrigerandi vim habent, potus aquæ frigidæ potiſſimus eſt: conferunt ſyrupi, & apozemata, refrigerantia, aër inſpiratus frigidus, & quæcumque ambientem valent attemperare.

Solet iis non obſtantibus, notha tertiana prolongari per plures menſes, & quandoque uſque ad quatuor porrigitur, & in longa hac duratione pluribus indiget aliis auxiliis: Utuntur medici plerumq; remediis indicatis à cauſis durationis morbi, plerumque amuletis aliiſve à tota ſubſtantia operantibus. Pro indicatis attenditur Galeni doctrina, *lib. 3. prognoſt.* qui docet, febres prolongari ex triplici cauſa ex indebita victus ratione, ex intemperie relicta in aliquo viſcere, præcipuè in jecore, vel ex obſtructionibus meſenterii aut partium vicinarum: ſi ex indebita victus ratione perduret febris, hæc mutanda, ſi ex intemperie, hæc alimentis contrariæ temperiei, ac medicamentis corrigenda: ſi ex obſtructionibus, huic curandæ confert reperita per epicraſim purgatio: niſi nimia calida intemperies, aut tranſitus in hecticam impediat: conferunt jura refrigerantia & deobſtruentia cum cryſtallis tartari, ſicut in inveterata obſtructione ex chalybe pulveres præparati cum oleo vitrioli: prodeſt infuſio rhabarbari in aqua endiviæ per plures dies mane oblata, vel potus ex aqua endiviæ, cum rhabarbaro, proſunt diuretica, ſicut fomenta, & inunctiones ad extra in partibus obſtructis, utuntur plerique amuleris, & aliis febrifugis à tota ſubſtantia, de quibus alibi latius egimus, ſed noſtrum febrifugium ex pulveribus de corticibus arboris de quarango, quæ feruntur ex Indiis, de quo *in conſultationibus* egimus, ſecuriſſimum, eſt & ex quo ſolum vicibus repetitum, omnes vincit longas febres, etiamſi ex calida foveantur intemperie, flogoſiq; internarum partium.

§. V. *De*

§. IV.

De prognoſi Tertianarum intermittentium.

DE Diagnoſi & curatione Tertianarum intermittentium egimus. De prognoſi illarum eſt præcipua hujus conſultationis difficultas, demonſtrant eventus plures eſſe lethales: ſancivit Hippocrates *lib.* 4. *Aphoriſm.* quòd quocumq; modo intermiſerit febris, periculum abeſſe ſignificatur: ideo nos *p.* 3. *diſp.* 5. *ſect.* 4. *Reſolut. medicar.* inquirimus de Tertiana intermittente, an ſemper periculo vacet. Mercurialis, Verri, Cæſar Benedictus, Petrus Salius, Caldera, Martianus & Zacutus de omni febre intermittente dubitant; an ex doctrina Hippocratis tenendum periculo vacare. Plerique affirmativam partem tenent: ſed doctiores ſancierunt contrarium ob varias rationes fatentes poſſe intermittentes febres fieri lethales. Mercurialis intelligit ſecuritatem in ſolis febribus verè intermittentibus, vel in iis quæ cum continuæ ſunt, intermittentes fiunt. Riverius dicit, quod ſecuritas intelligenda eſt in intermittente febre: dum non fuerit maligna aut peſtilens. Perdulcis dicit intermittentem vacare periculo, quia monſtrat abeſſe inflammationem, quod docuerat Galenus *in Comment.* prædictæ ſententiæ Hippocratis; tum quia quietis locum naturæ relinquit: ſed aliunde quàm à febre poſſe periculum ſupervenire conſtat, ut à viſceris alicujus inflammatione, aut affectione, deſtillatione, aut virium imbecillitate. Liebutius *in ſcholio ad Hollerium, in comment. ad lib.* 4. *aphor. ſentent.* 43. periculum in febribus intermittentibus confirmat ex Hollerio dicens: *Sic enim teſtatur Hollerius vidiſſe duos ſenes Tertiana intermittente mori, & in juvene quodam ſyncope correpto in acceſſione, & in viro in quartana intermittente à catharro ſuffucato initio acceſſionis.*

Sed nos aſſerimus, quod præter rationes ſupra adductas Tertiana & quævis febris intermittens poteſt fieri lethalis, vel quia ſimul eſt peſtilens, aut maligna, vel quia ſit pernicioſa; ſic deducitur ex Cæſare Benedicto, Verri & Mercato, ex quibus comprobatur ſimul.

Quod tertiana & quævis febris intermittens poſſit eſſe peſtilens aut maligna: patet tum ex Hippocrate *lib.* 3. *Epidem. comm.* 3. *text.* 64. referente febres peſtilentes & malignas in illa conſtitutione graſſantes: Inquit: *Multa & aliæ febrium populata ſunt formæ, tertianarum, quartanarum, nocturnarum, continuarum, longarum, errabundarum, implacidarum, inconſtantiũ.* Galenus *in comment.* ait: *Meminit autem, & intermittentium quidem, quæ omnes tres ſunt, quotidianarum, tertianarum & quartanarum.* Ex quibus patet inter malignas, peſtilentes ac lethales febres annumerari ab Hippocrate & Galeno omne genus intermittentium. Tum *lib.* 7. *Epidem.* Hippocrates inquit: *Febres intermittentes quandoque malignæ fiunt, & ad acutos morbos perveniunt.* Valleſ. *in comment.* ſuperaddit: *Addit nunc Hippocrates has febres in æſtate ortas, aliquando malignas fieri, & in febres continuas, & acutas mutari, ac proinde cavere oportet, id eſt, timere, & curare cautè, neq; quidpiam erroris committere; & ſi principio exiguus prorſus morbus, & contemplabilis eſſe videatur, maximè tamen tales morbos arguere inquit quintam, ſeptimam aut nonam circuitionem: nam intermittentibus non eſt*

Digitized by Google

dierum numeratio, ſed circuitum. Et ſuperaddit, *ibid. Uſque dum hæ dies exactæ ſunt, cavere oportere, hoc eſt, cautè eos curare, nihilque permittere, ut delinquant, ſuſpectos habentes ſuper morbos, qui aliqui ob propriam figuram videantur eſſe ſecuri.* Tum Hippocrates, *lib. de morbis num.* 3. dixit: Tertianam non eſſe morbum lethalem, niſi quid accidat, id eſt ratione ſui, niſi accidat illi, quod fiat maligna, aut pernicioſa? Tum Hippocrates, *lib.* 7. *Epidem.* donec quod febris incipiens cum horrore, poteſt fieri maligna, quia denotat augmentum pravitatis in humoribus ex Galeno, *lib.* 3. *Epidem. comment.* 3. ſed plures tertianæ intermittentes, immo major pars intermittentium notharum incipiunt cum horrore: ex quo apparet, quod poſſunt malignæ & lethales fieri: Tum probat ratione Petrus Salius diverſus ex Hippocrate, multa nocent mota, quæ ſi non moverentur, non nocerent, dum conſopitam inhibent venenoſam qualitatem, aut naturam, ſed plerique humores illam retinent: ergò dum in acesſionibus moventur, neceſſe eſt, ut lethali ſua vi ægrum perimant. Probatur minor ex communi Galeni doctrina docentis in noſtro corpore generari venena, quæ commota venenoſas in cor, & partes principes elevant lethales ac deleterias qualitates, ſicut ex fimo commoto elevantur fœtidi vapores, qui antea non percipiebantur, qui illo quieſcente iterum ceſſat fœtor, donec iterum commoveatur, quod in humoribus per acceſſiones commotis à ſimili contingit. Hoc confirmat Cæſar Benedictus ex Saxonia, *lib. de febribus cap.* 39. qui in tertiana obſervavit exanthemata nigra, ex Sennerto, *lib. de febribus*, qui in quavis febre poſſe reperiri aſſirmat & putredinem, & malignam, ſive peſtilentem qualitatem ex putredine ſubortas, & quod harum ratione adhuc cum parva putredine febris: licèt intermittens, poteſt fieri lethalis. Tales enim ſunt febres, quas Hippocrates parvas, & malignas vocat: Et Cæſar Benedictus huic Doctrinæ adhærens inquit: [*Non eſt mirandum hujuſmodi humores à putredine per acceſſionem tertianam genita commotos non raro malignos, unaque cacoëthis effectus producere; illa enim mala qualitas, ut vult Salius, à putredine citata violentiam in cor infert, ſimulque læſionem admodum periculoſam, hæ enim qualitates malefici, quas Chymici ſub genere cauſarum entis venena conſtituunt, dum ad cor erumpunt, protinus non raro mortem inducunt, ſicque in qualibet intermittentium circuitu quid obſtat malam qualitatem commotam ad aliquod ex viſceribus præcipuis mortem portendere.*] Zacutus, *libr.* 1. *Medic. Hiſtor.* inquit: (*Quid obſtat, quo minus pars aliqua ita ſit affecta, ut alimentum ſibi commiſſum in malam qualitatem convertat, & acceſſionis tempore mittat in focum, vel in aliam præcipuam partem, in qua deleterius humor conculcatus majori labe coinquinetur, ex quo vapor fœdus elevatus inficiat viſcera tabe dira.*) Nec ſolum lethales hi eventus ſuperveniunt ex humoribus, per acceſſiones commotis, dum ob pravam naturam occultam habent malignas qualitates, ſed etiamſi moveantur à medicamento purgante: inquit enim Sennertus, *lib. de febribus*; *Compertum eſt quoſdam, cum purgationem, qua corpus à morbo præſervent, uſurparent, ac fomitem febris malignæ jam circumferrent agitatis humoribus in febrem malignam incidiſſe, maculas*

maculas

Digitized by Google

culæ erupiſſe, & intra paucos dies mortuos eſſe. Immo & quotidie experimur intra ſanitatem ex commotis venenoſis humoribus mortem ſupervenire, ut Hippocrates *in Epidemiis* obſervat contigiſſe commota bile, ex quo ipſe elicit hanc ſententiam, quod multa nocent mota, quæ ſi non moverentur, non nocerent: Tum firmant eventu Authores. Hollerius *ſuprà* relatus, tres vidit peſtilente aut maligna vi morbi mortuos in febribus intermittentibus, & Cæſar Benedictus obſervat vidiſſe in Mauſonio Aquilano: Salius vidit plures in tertianis intermittentibus cum horrore mortuos fuiſſe. Zacutus *lib.* 1. *princip. Medic.* Hiſtoriarum, idem obſervat, nec aliter Schenrius, *libr.* 5. *de febribus*, Hippocrates, *lib.* 3. *Epid. comm.* 3. narrat ex febre continua mutata in intermittentium, erraticam obiiſſe ægrum quintanam, ideò licet intermittentem lethalem judicat Hippocrates, & ex illo timet Galenus, non tam quia intermittens, ſed quia horrifica, aut maligna.

§. VI.

De febribus intermittentibus quæ quia pernicioſæ fiunt lethales.

Diximus lethales fieri febres intermittentes; quia malignæ aut peſtilentes, & quia pernicioſæ: De malignis probavimus, de pernicioſis reſtat agendum. Mercatus primus docuit illarum naturam, diverſitatem, & curationem ita accurate, ut poſteri Sennertus, Maroxa, Cardoſo, & Petrus Michaël agens de illis, vel nihil invenerunt ſuper addendum, vel ut aliquid agere viderentur, inutilia prodiderint: Præcipuè Petrus Michaël nuperrimus. quæſtiom adduxit in Mercatum ſugillationes futiles & indignas, ut à cordato homine in præclariſſimum virum in lucem ederentur, ſi quid dignum, ut admittatur ab illo tranſcripſit. Docuit Doctiſſimus Mercatus in cathedra primaria Avicennæ Valliſoletana noſter anteſignatus; quod tertiana pernicioſa eſt febris quædam, quæ ſimulata tertiam, circuitus effigie lethalis, & mille accidentibus pernicioſiſſimis implicata exiſtit, inquit Petrus Michaël, diceret melius, eſt febris quæ intermittentiâ periculum occultat, ſed ſimilis reprehenſio definit Mercatus tertianam intermittentem pernicioſam: ponit rationem genericam, quam omittit Michaël; ſuperaddit differentiam ſpecificam, per hoc quod ſimulatus tertiam circuitus effigie, lethalibus ſit concomitata accidentibus: ergò adæque definit, & non per ſolam rationem differentialem. Homo enim melius definitur quod ſit animal rationale, quam dicendo quod eſt rationalis: Præterquam quod ſi diceret, febris quæ intermitientiâ periculum occultat: hæc enim definitio convenit quintanæ, & aliis lethalibus, intermittentibus, & de ſola tertiana lethali contendit Mercatus agere, ſubſcribit ex Mercato ſex differentias tertianæ pernicioſæ, & unicuique opponit ſuam ſugillationem. Primò fit pernicioſa tertiana, & lethalis, dum in tertiana movetur humor tanquam in proprium focum, in aliquam partem principem: ſuperaddit Petrus Michaël: *Verum maledicit, quod ex quavis læſione partis principis uitæ periculum immineat, diceret melius læſionem magnam neceſſario fore*: Sed Mercatus ex levi læſione non conſtituit febrem pernicioſam, cum prius cum Galeno; *lib. de differentiis febrium*

Digitized by Google

brium, plura accidentia referat, & ventriculo, & aliis partibus ſupervenientia, quæ non conſtituunt illam pernicioſam. Præterea in definitione tertianæ pernicioſę dicit quod periculoſisſimis complicatur accidentibus, ex quo apparent duo, quod fruſtra conatur hanc particulam excludere à definitione Petrus Michaël, cum hæc excludat febres parum periculoſas, & quod in differentiis asſignandis ſemper proponit tertianas periculoſisſimas, & non agit de illis in quibus nondum eſt periculum.

Ponit ex Mercato Michaël ſecundam differentiam dicens, quòd ſecundo redditur febris pernicioſa ob ſummam humoris tenuitatem, & magnam putredinem, qualis eſt tenuisſima bilis multo jecore plena, ratione cujus ſyncope ſupervenit ob ſubſtantiæ nutritivæ, & ſpirituum reſolutionem, & illi opponit, quod eſt addendum huic Mercati doctrinæ, quod ille humor tenuis activus nimis eſt, & vim reſolvendi, extenuandique non levem participat, alias tanta ſpirituum erroridæ ſubſtantiæ reſolutio & diſputatio non fiet, ſed fruſtranea eſt hæc admonitio, cum Mercatus poſuerit pasſivas cauſas, reſolutionis in tenuitate, & magna putredine. Nec debuit abſurdum proponere, quod ſcilicet humor tenuis nimis activus eſt; nam, quia tenuis minus activus cenſendus, cum multitudo materiæ juvet ad agendum, & quia tenuitas non reſolvit: ſed calor intenſior ex nimia putredine ortus, cujus meminit proponens putredinem tanquam præſtantem cauſam agendi, & tenuitatem præſtantem aptitudinem ad reſolutionem.

Ponit Michaël ex Mercato tertiam differentiam tertianę pernicioſæ dicens quod fit ob cauſæ pravitatem, quando nimirum bilis vitellina, æruginoſa, praſina, & quæ confinio atræ bilis eſt, ſive ob alimentorum pravitatem, ſive ob alias cauſas uſtionem ſanguinis creantes ſerumq; conſumentes, eorum naturam attemperantes, & venenoſi fiunt: hujuſmodi humoris hic conatur evertere opinionem dicentium, quod hi humores non putreſcunt, quia prius expelluntur à natura ab illis irritata, quam perveniant ad putredinem: ſed licet aliqui in hunc perveniant ſtatum, Mercatus loquitur de illis, qui non ita ſint depravati, ſed tertianam valent efficere; lethalem tamen ob pravam naturam humorum à quibus dependet, de quibus Hippocrates 7. *Epidem.*

Quartò; Petrus Michaël tranſtulit ex Mercato quartam differentiam tertianæ pernicioſæ, ortam ob maximam copiam humoris crudi, & inæqualis crasſitiei, cujus ratione more febris ſyncopalis, humoroſæ, tertiana etiam efficitur, quæ non raro, ſicut illa cordis, hæc totius corporis calorem obruit; Et carpit Mercatum dicens, quod talis febris debet eſſe quotidiana, quia fit ex copia humoris crudi, ſed fruſtra, nam ſi repetit in tertium, ut ſupponit Mercatus, tertiana eſt, & non quotidiana. Præterea quia commixta bili pituita, bilis naturam refert, & tertianam efficit, & ſi ſuperabundet, ut apparet in tertiana notha, quæ per quatuor menſes durat, & cujus acceſſiones extenduntur ultra decem, & octo horas, cujus excedens cauſa ſecundum quantitatem eſt pituita bili commixta, quæ licet in minori quantitate prædominat in virtute, & efficit tertianam ob prædominium activioris virtutis, licet in minori materia. Sic contingit in homine & mixtis, in quibus licet plus ſit de ele-

de elemento terreo, eſt temperamentum à prædominio calidum, quia licet terra prædominet molle, vincit ignis in virtute, ut dixi *in Reſolut. Medicis.*

Quintò Petrus Michaël quintam ponit differentiam tertianæ pernicioſæ, quæ talis fit, quia ſupervenit in illa confluxus humoris in aliquam partem, ex quo ſupervenit periculum. Objicit, quod Mercatus non ponit differentiam in hac ſpecie cum prima, ſed illam ipſe Michaël adducit pro Mercato: quia in prima ſpecie tertianæ ſit defluxus humoris in partem, dum humor movetur pro paroxyſmo, in hac differentia, quia à calore liquatur humor in acceſſione, & fluens confluit in partem in qua ſupervenit accidens, quod periculum minatur.

Sextam tranſcribit ex Mercato tertianæ pernicioſæ differentiam Petrus Michaël, dum illi ſupervenit, quod illam concomitetur maligna, aut peſtilens qualitas, ſed opponit quod Galenus, *lib. 4. Aphor. comm.* 43. dicit carere periculo febrem intermittentem; quia non eſt in illa inflammatio aliqua, nec maligna qualitas; ſed *ſuprà* probavimus poſſibilitatem, & ipſe non repugnare fatetur, & quod Galenus refert id quod vidit, non quod eſt poſſibile ut videmus quod ex illo licet colligere, *lib. 4. Aphor. 48. Dignum* inquit, *animadverſione eſt: numquid hujuſmodi caſus poſſit in febre fieri intermittente, ego enim neque vidi, neque animo capio, videntur ſiquidem ſolis accidere in febribus quæ cauſones ab incendio nominantur, pernicioſis, vel ſi aliter libeat appellare, maligniſſimis.* En Galenum in intermittentibus perniciem, & malignitatem fateri, licet fatetur non vidiſſe.

§. VI.

Qualiter variet curatio lethalium Tertianarum.

Ex dictis conſtat tres dari tertianas intermittentes lethales, quibus jungitur maligna qualitas, quibus jungitur qualitas peſtilens, & quibus ſuperveniunt lethalia accidentia pernicioſa: differt in iis curatio, quantum differunt cauſæ ex quibus fiunt lethales.

Pro tertianis peſtilentibus inſtituenda curatio juxta conſtitutionem peſtis, quæ graſſatur. Pro malignis ex Mercato, Angelutio, & aliis inſtituenda curatio pro febribus malignis tradita. Tertianæ pernicioſæ ex Maroxa fiunt pernicioſæ, quia ſunt aptæ, ut incidant in ſyncopem: vel ſunt tertianæ intermittentes pernicioſæ, quibus ex ſupervenientibus accidentibus accidit, quod ægri incidant in ſyncopem, aut properentur ad mortem: Mercatus primus harum febrium naturam & differantias aperuit, ita accuratè, ut poſteri qui conati ſunt diſcedere ab illo, in graviſſimos errores inciderint. Sennertus illi adhærens, de iis febribus nihil ultra ab ipſo enumerato cognovit. Maroxa non diſceſſit ab illo, nec receſſit à veritate. Verri, & Cæſar Benedictus pauca ab ipſo tranſtulerunt. Jonſtonius Laconice aliqua collegit. Cardoſo rectum ordinem propoſuit: Petrus Michaël de pernicioſis tertianis, quidquid cognovit, id didicit à Mercato, ſed oſtētandi ingenii gratia, aut odio contradicendi, nullum proponit Mercati verbum, quod non irruat, & quot oſtentat ſugillationes, tot ſui demōſtrat errores: Præcipuè circa remedia magna tertianarū quæ pernicioſæ fiunt per decubitū in par-

tes principes, dum intendit invertere doctrinam Mercati, errores proponit punibiles; pro curandis tertianis perniciosis ſumuntur variæ indicationes à cauſis ex quibus ſupervenit periculum in illis evacuandi, revellendi, derivandi, vires conſervandi, & corrigendi accidentia, quas Mercatus doctè & accuratè proſequitur, & poſt illum non invidi *Scriptores*, in febribus tertianis perniciosis per decubitum in partes principes, præcipuè in ventriculum coincidunt duæ indicationes: altera mittendi ſanguinem deſumpta ex bile ſanguini commixta, à qua fovetur tertiana, altera purgandi deſumpta à bile confluente in partes ſeparata à ſanguinis mixtione, & ideò cacochyma facta: de quibus quæ præſtantior ſit, concertat Michaël contra Mercatum. Hic enim prævalere indicationem purgandi judicans ſtatim in principio harum tertianarum exhibet purgans medicamentum, omittens indicationem mittendi ſanguinem: ſiſtit Carreirus in hac opinione & juniores: Petrus Michaël illam improbabilem judicat, & irrationalem, & ignarus lethalis erroris in quem incidit, contendit in quavis tertiana perniciosâ à principio ſemper inſiſtendum in ſanguine mittendo, & contra Mercatum plura adducit fundamenta: licet tandem ſui oblitus, iterum coincidit in doctrinam Mercati, & anceps, & dictorum oblitus, purgationem in iis febribus non recuſet.

Primum Petri Michaëlis fundamentum eſt, ſi decubitus in partem principem cogit purgare ſtatim, ſi permanet in ſubſequentibus acceſſionibus iterum cogeret; quia eadem eſſet indicatio, ſecundum indicatio ſumpta à parte affecta, non mutat indicationem ſumptam à cauſa antecedente, ſed ſolum medicamenta localia: ex quo apparet, quod ex indicatione humoris, in parte non impeditur indicatio mittendi ſanguinis ſumpta à cauſa antecedente. Tertium poſt purgationem in hac tertiana admittit Mercatus ſanguinis miſſionem, quia erat indicata: ergo prius debuit illam admittere. Quartum ſi humor confluat ad jecur, timetur inflammatio, quæ ne ſuperveniat à medicamento purgante, illius exhibitio vitanda ex Galeno, *lib.* 13. *Methodi cap.* 11. §. *Hac itaq; ratione.* Nec ſi ventriculum, aut inteſtina phlegmon occupare jam cœperit medicamine, quod alvum dejiciat, uti convenit. Quintum decubitus in quamcumque partem petit revulſionem, quæ ſecurius ſanguinis miſſione, quam purgatione fiet. Sextum Hippocrates *libr. de loc. in homine,* damnat purgationes in obſtructionibus. Mercatus admittit has febres cauſari ob obſtructiones, ideò ſanguinis miſſio convenit, quæ deobſtruit, revellit, inducit ventilationem, attemperat, tollit plenitudinem. Septimum Magiſter Carreirus admittens purgationem in principio harum febrium: non reddit rationem; ergo quia hujus praxis doctrina irrationalis & inopinabilis eſt.

Dico primò, quod tertiana intermittens in qua decumbens humor in ventriculum, aut partes internas, non cauſat perniciosa accidentia aut ſyncopem, non impedit ſanguinis miſſionem, & ſi hæc accidentia aliunde poſſent timeri.

Probatur primò ex Galeno *libr.* 1. *Aphor. Comment.* 22. dicente: *Neque vero cum in ore ventriculi, humores mordaces aliquando fuerint, vel prius in ipſo concervatio, vel qui*

Digitized by Google

qui in ipſo remedii uſu ad ipſam confluxerunt, cauſam dederint animæ defectionis, ſolent enim & eo tempore eam pati, non tamen ejuſmodi animæ defectio eſt ſufficiens menſura evacuationis, quæ nonnunquam citra neceſſitatem contingit, ſicuti febricitantes plerique, vel inter ſurgendum, vel reſidendum, animo deficiunt: ob quam cauſam accumbentibus ipſis ſecamus venam. Ex iis patet doctrina tradita.

Secundò patet ex communi praxi ab omnibus recepta, mittendi ſanguinem in omni tertiana exquiſita non perniciosa, & ſi ſuperſit in illa anxietas, inquietudo, ventris morſus, bilioſus vomitus, bilioſa dejectio, & alia plurima accidentia ſubſequuta ex bile defluente in ventriculum, inteſtina, & internas ventris partes.

Probatur tertiò ex Valleſio, qui in hiſtoria Nicolai pueri, cui ex potatione rigor ſupervenit nocte, poſtridie vomitus bilioſus cum febre, cum Hippocrates non narrat ſanguinem miſiſſe, miratur dicens, quod exiguus vomitus non contraindicabat, ergo confluxus bilioſi humoris in ventriculum, & internas partes, ſi ex illo non ſequatur accidentia perniciosa, non impediunt ſanguinis miſſionem.

Dico ſecundo, quod ſi tertianæ intermittenti per defluxum humoris in partem principem, præcipuè in ventriculum ſuperveniant perniciosa accidentia, duplex ſupervenit indicatio, alia mittendi ſanguinem deſumpta à bile ſaguini commixta fovente tertianam, alia ab humore confluente ad partem principem ſeparato à ſanguinis commixtione, à quo indicatur purgatio, cujus indicatio prævalet indicationi mittendi ſanguinem.

Probatur primò, quod ſi ex confluxu humoris in ventriculum, & ventrem, ſuperveniant perniciosa accidentia prævaleat indicatio purgandi hunc humorem, ad indicationem mittendi ſanguinem, quę ſumitur ab humore ſanguini commixto. Ex proceribus medicinæ tum ex Galeno *lib. 1. de ſanguinis miſſione, cap. 1.* §. *Tertii rut dijudicent, quæ innoxiè hanc fermè evacuationem poſſint, quippe cum ſæpè fiat, ut aſſectio venæ ſectionem deſideret, cæterum laborans eam ferre nequeat, ſive propter animi temptus, ſive propter regionis naturam, ſive ob os ventriculi vitiatum, & lib 9. Meth. cap. 1.* §. *quibus os ventris. aut amara bilis abundat, aut imbecillum eſt, aut ſupramodum ſenſibile, hæ quidem indicationes ſunt, quæ ſanguinem detrahendum impediunt*: Et *lib. 1. ad Glauc. cap. 14.* §. *Age enim quis febricitet, ac morſum ſentiat, afflictumque os ventriculi, vel ſi etiam humorem aliquem malum evomuerit & in hujus tranſitu non parum fuerit offenſus, ita ut graviter ſe habeat atque anxie*: In quo caſu docet prohiberi ſanguinis miſſionem indicatam; Tum Avicenna, *Fen. 4. t. c. 20.* *Et tibi etiam cave, ne ſubtilitatem oris ſtomachi habentem phlebotomes, & infælicem ex generatione cholera rubra.*

Probatur ſecundò, ex Hippocrate *ſect. 1. coacar. verſ. 79.* §. *Dolores circa latus citra notas venæ ſectio læſerit, ſive cibum averſetur æger, ſive hypochondrium ſublimè habuerit*, Ubi Martianus ex illo noſtram confirmat doctrinam, dicens: *In febribus ſive humor bilioſus ſit in ventriculo, ſive tranſmittatur ab hepate, ſemper venæ ſectio lædit*: Tum ex Hippocratis doctrina, & obſervatione manet noſtra comprobata, *lib.* enim *7. Epidem.* in Filio Pyrhonis, correpto febre magna à qua indiçabatur ſanguinis miſſio, illam omiſit

omiſit, quia delapſus in ſomnum cum vocis interceptione & ratione decubitus humorum in partem principem, uſus eſt medicamento purgante bilem, quo exhibito febris mitior facta fuit, ſopor ſedatus, æger rectè judicatus. Unde Valleſius in Commentario ſuperaddit: Ex iis verò illud intelligere licet, Hippocratem nomine turgentiæ, non ſolum intelligere eam reciprocam à partibus in partem motionem, quam Galenus interpretatur, ſed etiam vergentiam humorum in evacuationis vias, præcipuè in alvum, qualis in quibuſdam ſignificatur hypochondriorum murmure, in hoc alia tumeſcentia, poſt ejus deonerationem redeunte, ob talem enim ſuccorum urgentiam expurgare licet etiam ante coctionem, quia quæ ſponte fluunt, facilè trahuntur. En qualiter Hippocrates, omiſſa ſanguinis miſſione indicata, ob urgentiorem indicationem fluentis humoris purgat, & illius commentator conatur, quod ſufficit ad purgationem ante coctionem humorum vergentia, dum ex illis pernicies timetur.

Probatur tertio. Pernicies ſupervenit bilioſis febribus plerumque ex prava humorum natura, qua incoctiles ſunt, & apti ægrum perimere, ergo antequam firmentur in partes principes, debent tamquam turgentes purgari. Probatur antecedens ex Hippocrate, *lib. 7. Aphor. text. 81.* ubi tenet ex eſu carnis porcelorum pori, cepe, & ſimilium pravos creatos humores, ex quibus intermittentes febres peſtilentes ortæ, & Avenzoar 3. *Theizir. cap. 7.* inquit: [Sed febris illa, quæ fit ex cochlera praſina, vel æruginoſa eſt fraudulenta, & deceptibilis multum, & ejus accidentia ſunt difficillima, & pernicioſiora, atque fraudulenta valde, & majori parte non cadunt infirmi, quin moriantur, & qui evadunt, liberantur cum difficultate, & poſt longum tempus]

Probatur quarto: Ratione, dum ſuperveniunt diverſæ indicationes ex Galeno, *lib. 1. ad Glauconem*, id quod magis urget præferendum, ſed indicatio purgandi humores cacochymos confluentes ad partes, & minantes periculum vitæ magis urget, quam indicatio mittendi ſanguinem deſumpta à cauſa fovente febrem intermittentem, quæ abſque pernicioſis ſymptomatibus non minaretur periculum ex Hippocrate: ergo iis concurrentibus purgatio præferenda eſt ſanguinis miſſioni.

Probatur quinto: ſanguinis miſſio exercenda eſt ex Galeno *lib. de ſanguinis miſſione*, dum adeſt præſentia poſtulantium, & abſentia impedire valentium, ſed in caſu poſito adeſt præſentia valentium illam impedire, tum quia dum confluunt humores bilioſi in partes principes, eſt ob magnam illorum ebullitionem, quæ augetur ſanguinis miſſione, & ideò Avicenna *Fen.* 4. 1. docet, cavendum in ſanguinis miſſione, ne ægrum deducamus ad cholericorum ebullitionem, tum quia ſi abundant in prima regione cholerici humores, contraindicant ſanguinis miſſionem, quia ob illam traherentur ad venas, & augerent cauſam febris, & ſanguinem conſpurcarent: Tum quia ſi confluentes humores in partes principes cauſant pernicioſa accidentia: ob illam minantur ſyncopem, & vitæ periculum, quia vires ab illis delabuntur, & ſanguine miſſo, ipſis magis refractis periret æger. Ex quibus contraindicata manet ſanguinis miſſio, & non impedita purgatio.

Pro

Digitized by Google

Pro fundamentis dico tum pro primo quod ſicut non inconvenit pluries repetere ſanguinis miſſionem indicatam, ſimiliter nec indicatam purgationem, per quam nos ter, vel quater repetitam plures liberavimus laborantes pernicioſa tertiana. Tum pro ſecundo; quod utraque indicatio ſumi tur à cauſa morbi mittendi ſanguinem à bile commixta ſanguini, purgandi à bile ſeparata ab illo cacochyma facta: quæ quia urgentior, præferenda. Tum pro tertio, quod ſi per purgationem ceſſet confluxus humoris in partem principem, & accidentia pernicioſa ſubſequuta ex illo, exercenda eſt ſanguinis miſſio, ut docet Mercatus, quia non eſt impediens, quod prius impediebat illam exercere. Tum pro quarto, quod Galenus prohibet purgationem, dum partes internę ſunt inflammatæ. Nos verò conſulimus illam dum humor confluit quaſi turgens in illam, ut docet Galenus, *lib.* 4. *Aphoriſ.* ne decumbat in partem principem, quæ ratio movet Hippocratem, ut turgentem humorem purget ſtatim eadem die. Tum pro quinto; quod revulſio humoris ſanguini commixti petit fieri per ſanguinis miſſionem, quæ indicatur ab illo, revulſio humoris cacochymi petit fieri per purgationem, dum urget neceſſitas, revellendi, ſin minus purgatio exercenda evacuatoria dum cacochymos humores natura juvat purgare per urgentiam in aliquam partem, qualiter contingit dum movet humores ad primam regionem, quos ducere oportet quo maximè natura vergit, per loca conferentia, docuit Hippocrates, *lib.* 1. *Aphor.* 20. Præcipue cum revulſio per ſanguinis miſſionem ſit contra indicata. Tum pro ſexto; quod Mercatus obſtructiones pororum, & viarum, per quas deberet bilis ferri in ambitum corporis, ponit inter cauſas pernicioſæ tertianæ, quæ non ſanguinis miſſione, ſed frictionibus, inunctionibus, cucurbitulis, & aliis remediis ab ipſo propoſitis auferuntur, non ſanguinis miſſione cujus laudes decantat Michaël adductas ab Authoribus pro auferendis obſtructionibus ex plenitudine oris: Mercatus verò non de iis loquitur, ſed de ortis ex craſſis humoribus, in poroſitatibus inculcatis, vel ex obturata cute ſubortis. Tum pro ſeptimo; quod ſunt plura quæ ſupponenda, quia ſunt prima principia, & non probanda, nec potuit Magiſter ejus credere, quod ille incideret in hoc abſurdum, ut conaretur ſuadere lethalem hanc doctrinam purgandi humores in prima regione ſuperfluos, & contra indicantes ſanguinis miſſionem, quales *ſuprà* propoſuimus, & proponit etiam Galenus, *lib.* 9. *methodi* dicens: *Quod ſi præcedat ciborum cruditas venæ ſectionem differre jubebis, donec coctio præcedat aut excrementa deſcendant, & lib. de ſanguinis miſſione, ſanguinis miſſionem impedire cruditates ventriculi docet.* Avicenna idem docet, ne crudum deferatur ad venas ut Gentilis tenet *in comment.* & præſtet morbo materiam, quod magis timendum eſſet ſi ſuperflui eſſent humores in prima regione calidi, apti perniciem inducere, à quibus ſurſum delatis, commotis & agitatis coinquinaretur iterũ maſſa ſanguinis quæ cœperat ab illis expurgari, unde mors timenda, nec hæc communia principia voluit Magiſter proponere, quia judicavit non ignoranda ab aliquo ex ejus diſcipulis: Unde quia hæc tacuit Carreirus nihil concludit Heredia; immo contra ipſum

ſum concludit Zacutus, *libr.* 3. *obſervat.* 17. quod in febre anxioſa ob humores vellicantes ventriculum nocuit ſanguinis miſſio, licet à plenitudine eſſet indicata, & profuit purgatio, inquit enim: Huic ægro præter alexipharmaca, venæ ſectio adhibita: Nam cùm furente humore multa ſanguinis copia erat in venis commixta, hac facta cum cacochymia etiam juxta ventriculum eſſet, quod à pravis mordebatur humoribus, ob quam cauſam oritur etiam anxietas ex Galeno, 1. *Prorit. ſect.* 2. *comment.* 44. & vomitus infeſtaret inanis: licteo attracto à prima regione ad venas jecore, febris exacerbata, quod timuit Avicenna, *Fen.* 4. 1. *cap.* 20. Et cave ne ægrum ad cholericorum ebullitionem perducas; Quamobrem levibus clyſteribus pugnatum eſt, ſed cùm is humor in tunicis ventriculi immerſus non cederet, purgatione exhibita, ſuccubuit. Medicari ergo in valde acutis, ſi materia turgeat eadem die, tardare verò in talibus malum, prius quam robur corporis diſſolvatur, vel febris caliditas augeatur, vel ad aliqund principale membrum decumbant ii, qui per corpus vagantur humores.

CONSVLTATIO X.

De muliere hæmorrhoidum vehementiſſimos dolores patiente.

CONTINET

§. I.

Hiſtorica enarratio proponitur, & varia ſubſequuta accidentia ex retentis menſtruis.

§. II.

Qualiter menſtrua purgatio ſit fœminis naturalis.

§. III.

Quæ imminuant menſtrua illave abolita faciant, & loca diverſa per quæ erumpunt.

§. IV.

Hæmorrhoïdum propago, qualis fluxus, & ejus retentio, in illis utilitates, & noxa.

§. V.

Supervenientis doloris cauſæ aperiuntur & aliqua auxilia, ac doloris natura.

§. VI.

Hirudinum qualis uſus pro hæmorrhoidibus aperiendis & earum applicatio qualis.

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I.

Hiſtorica enarratio proponitur & varia ſubſequuta accidentia ex retentis menſtruis.

Mulier quæ decumbebat circa Martyrum noſtrorum templum ab eruptione menſtruorum per plures annos periodicas, & ordinatas habuit eorum eruptiones. Poſt dimidiam juventutem tradita eſt ſedenteriæ vitæ, plurimo utebatur cibo, gelidiſq; potationum variis generibus obſtructa apparuit, menſtrua comminuta ſunt, poſtea ſunt retenta, immutarunt naturalem locum, & periodicè per hæmorrhoidales venas ſuperveniebant, adhuc per illas recluſæ ſunt evacuationes, tantuſque dolor ſupervenit in illis, ut ad deſperatio-

ſperationem ferri videretur, nullis aliis proficientibus auxiliis devenimus ad venas illas aperiendas appoſitis hirudinibus, ſubſequuta fuit inevitabilis evacuatio, quæ ægram in ſummum deduxit periculum, à quo divina ope & auxiliis Medicis evaſit.

§. II.

Qualiter menſtrua purgatio ſit fœminis naturalis.

MUlier ferè ſola ex animantium fœminis, inquit Nancelius, menſtruas habet purgationes, reliquæ enim illas abſumunt in pilos, & tergus, aut copioſioribus ab exercitiis evacuationibus, ipſa enim degit ſedentaria, & otioſa, leniori exercitio dedita, nullo vehementiori agitata, multis ſe ingurgitans cibis, non ſatis pro illis perſpirabili cooperta cute, ob quæ illi redundat ſanguis, qui dum tempore, nec pro nutricatu, nec augmento requiritur, nec reſolvi poteſt ab illius debiliori calore quam qui reperitur in viro, ſuperabundans in fœminis menſtruus dicitur, & eſt excrementum ultimi alimenti partium carnoſarum, quod certis temporibus, & ſtatis periodis, moderata quantitate ad uterum fertur ad fœtus generationem, & nutritionem, aut ut per ipſum expurgetur, ſi ad hæc non deſerviat, incipit fluere, in plurimum à decimo ſecundo, aut quarto uſque in quinquageſimum aut quinquageſimum quintum annum, repetens unoquoque menſe, per trium, aut quatuor dierum ſpatium iis quæ debita fruuntur temperie, quo tempore ægra ipſa valetudine fruebatur, debita fruebatur debitis conſequutis menſtruis periodicis evacuationibus, quibus deficientibus imminuta eſt ſalus, & varii ſubſequuti ſunt morbi, quia ut docet Hippocrates *lib. 5. Aphor.* 57. menſtruis largius fluentibus morbi eveniunt, non fluentibus autem ex utero morbi contingunt. Poſſunt ex utero innumeri ſupervenire morbi, inquit enim Democritus: uterus eſt vehemens malum infinitarum ærumnarum cauſa alii ſuperveniunt in ipſo, alii ob illius vitium fiunt in toto; in ipſo fiunt, alii in cervice, alii in ejus corpore, in cervice ſuperveniunt cauda, tentigo, hemorrhoïdes, condolema, anguſtia, puſtulæ, hydrops, Schirrus, vulnera, ulcera, procidentia, in corpore accidunt dolor, imbecillitas, menſium ſuppreſſio, mola, furor uterinus, morbus virgineus, menſium ſtillicidium, decoloratio, menſium fluxus, gonorrhæa, ſterilitas, ex utero proveniunt, ſi menſtrua large fluant ob innatum diminutum calorem, ut refert Hippocrates, *lib. de mulieribus*, cachechiæ, hydropes, decolorationes, ſi menſes non fluant, fiunt febres, cutis vitia, fiunt maculæ efflorefcentes, papulæ, ulcera, præcipuè vexantur hujuſmodi fœminę febribus anxioſis, horridis, oculorum doloribus, capitis gravitate, paraplexiis, pleuritide, eryſipelate, carbunculo, epilepſia, linguæ incontinentia, aphonia.

§. III.

Quæ imminuant menſtrua illavè abolita faciant loca diverſa per quæ erumpunt.

CUm ex Galeno *lib. de cauſis ſymptomat.* omnis ſanguinis evacuatio ſit præternaturalis, ſolaque naturalis cenſenda, quæ menſtrualis eſt, hæc ſi impediatur, vel menſtura retenta dum detinentur,

Digitized by Google

varios pariunt morbos ſupra relatos, vel impetu erumpunt per varia alia loca, ſunt autem retentionis cauſæ variæ, ſupprimitur menſtrua purgatio, vel quia abſumitur, vel quia retinetur, abſumitur ſecundum naturam ob conceptus formationem, ob fœtus procreationem, nutritionem aut augmentum, ob lactationem, in hos fines, ob calidam & ſiccam conſtitutionem, aut nimium exercitium, quæ reſolvunt & conſumunt ſuperfluum, ſine quo deficiunt menſtrua in viraginibus ob reſolutionem eorum, in obeſis quia mutantur in nutricatum, in ſenibus, quia adaptatur nutritioni, quia menſtrualis ſanguis parum ſuperfluit, qui etiam deficit ex immodicis evacuationibus, ex animi paſſionibus, vigiliis, labore, mœrore & morbo acuto aut diurno, pravave diatheſi viſcerum ex Aëtio, *cap.* 51. *tetrab.* 4. *ſerm.* 4. in ægra aliæ fuerunt cauſæ enumeratæ à Galeno *lib.* 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 4. quia ob ingluviem, & ſedentariam vitam, repleta fuit craſſis & viſcidis humoribus, qui vias obſtruxerunt, facultatem expultricem imbecillem reddiderunt, ſolent impedire illius actionem uteri clauſura ſive à natura, ſive à morbo ſuperveniat. A quacunq; proveniat cauſa viæ uteri exſiccantur, & intra ſex menſes incurabilem reddunt hunc affectum. Præcipuè tamen ſi ex obſtructione ſuperflua redduntur menſtrua, procreant varios enumeratos affectus, neutros tamen ſi ex abſumptione.

Licet præſcriptum menſtruandi tempus ſit à natura, ab annis decimo quarto proximis uſque ad proximos quinquageſimo, & locus menſtruandi naturalis ſit uterus, ſive per cavitatem, ſive per externas illius venas, plerumque in prægnantibus luxuriat, tamen plerumque natura, & in aliis ætatibus erumpere facit, & per varia alia loca, ut nuperrimè Verri profert, & ante illum obſervarunt plures in morbis curandis quantum proſint ſupervenientia menſtrua obſervavit ſummus Dictator, *lib.* 6. *de morbis vulgar. comm.* 7. in conſtitutione peſtilenti, quæ ægros tuſſi, febre & angina vexabat: inquit: *Mulieres non laborabant tuſſi, ſed pauca febricitabant, & harum valde pauca in peripneumoniam pervenerunt, atque hæ ſeniores, & omnes ſuperſtites manſerunt.* Cauſabat autem hoc fieri, quia non ſimiliter viris exit, id eſt ut tenent expoſitores, quia menſtruis liberabantur, quod ideo in ſenioribus, & viris non contingebat, idem obſervat *lib.* 1. *de morb. vulgar. comm* 2. *text.* 68. & Galenus, *in comment.* confirmat dicens: [optimo jure minus mulieres ægrotant, quam viri, minuſque in diſcrimen adducuntur, ut quæ per ſanguinis eruptionem judicia efficerent] ſimiliter Hippocrates, *lib.* 7. *Epidem.* meminit uxorem Cleomenis à gravi morbo liberatam menſtruis erumpentibus, & *in eodem lib.* idem contigiſſe tenet Philiſtidis uxori, & *libr.* 5. *Epidem.* mulieri in Pheris cui caput dolebat, nulla proderant remedia, levabatur ſolum menſtruis ſupervenientibus, & dum concipiebat, de Theodori vero uxore gravi morbo correpta, & ſupervenientibus menſtruis levata narrat ex recidua mortuam fuiſſe; quia ipſa ſunt retenta ante debitam indicationem.

Nec ideo mirari licet, quod luxuriet natura in menſibus erumpendis tam in non debitis pro ætate, quam per loca non naturalia, ut variis obſervationibus confirmant Verri, & Moronus deſumptis ex Schentio, qui *lib.* 4. illas deducit ex variis Authoribus,

Digitized by Google

thoribus, & Marcellanus Donatus *lib. 3. de medica hiſtoria mirabili, cap. 19.* ante debitam ætatem menſtrua fluxiſſe obſervat, Schentrius ex Alberto magno *comm. ad lib. 2. phyſic.* obſervat menſtrua ſuperveniſſe puellæ recenter natæ, ex Saxonia quod puella quinque annorum Venetiis ſingulis menſibus habebat menſtruam purgationem: ex Ul ac Luthero quod vidit puellam, cui cœperunt ſimili modo menſtrua à quinto ætatis anno, ex Fernelio *lib. 6. pathologiæ cap. 16.* quod alteri puellæ octo annorum cœperunt fluere menſtrua, ex Gaſpare Wolf ſimilem refert hiſtoriam, & ſicut in iis menſtrua ante debitum fluxerunt tempus in admodum ſenibus, narrat ex Solinandro *ſect. 5. conſ. 15.* quod mulieri annorum 103. menſtrua fluebant, & ex alia quæ ab anno 70. ad 84. menſtrua conſervavit. Noſtræ tamen laboranti hoc peculiare evenit, ut per loca non naturalia per hæmorrhoïdas inquam ſupervenerint menſes, quod & aliis contigiſſe obſervatum eſt. Veſalius, *lib. 5. cap. 15. de corpore humano*, per uteri cervicem; per nares, ventriculum, & anum refert menſtrua fluere. Braſabolus *comm. ad Aphor. 33. lib. 5.* obſervat fœminam vidiſſe quæ per hæmorrhoïdas menſes effluebat, & aliam quæ ſingulis menſibus emittebat per nares, menſes ſolitos fluere per ſedem. Hippocrates docuit, *lib. 2. de morbis mulierum* Galenus *5. aphor. 33.* per nares, & ſedem docet poſſe fieri, vomitu rejectos menſes obſervarunt Horſt, *p. 2. libr. 1. obſervat. 33.* Amatus *centur. 2. curat. 17.* Heldan, *centur. obſervat. 12.* per oculos & aures ſolitos fluere, per nares & os obſervavit Schenchius, per mammas fluxiſſe obſervat Amatus *cent. 2. curat. 21.* per umbilicum vidit Nicolus *ſerm. 2. cap. 8.* per digitum minimum manûs vidit Mercatus *libr. 1. de morbis mulier. cap. 7.* & nos vidimus in Valliſoletana muliere, eos periodicè per menſes fluere per digitum indicem; Paracelſus per vulnus vidit fluxiſſe, per gengivas erupiſſe vidit Zacutus *lib. 2. Praxis hiſtor. medicar. admirand. obſerv. 101.* Per angulum oculi vidit Mercatus *loco ſuprà citato*, lachrymas cruentas ortas ex retentis menſtruis obſervat Skenchius: ex quibus menſtruæ purgationis mutatio in hemorrhoïdalem non incongrua videbatur in hac ægra, ſed iterum & hæc ſuppreſſa alios abiit in affectus.

§. IV.

Hæmorrhoïdum propago, qualis fluxus, & ejus retentio, in illis utilitates, & noxæ.

HÆmorrhoïs Græcè ſignificat ſanguinis fluxum, transfertur ad venas ſanguinem fundentes: Galenus *cap. 5. de theriaca ad Piſonem*, ſedis, & uteri venas præcipuè appellat hæmorrhoïdas, Celſus, *lib. 6. cap. 18. Ora*, inquit, *venarum tanquam ex capitibus quibuſdam ſurgentia, quæ ſanguinem fundunt hæmorrooidas vocant.* Addit *idque in ore vulvæ fœminarum incidere conſuevit*, Paulus, *lib. 3. cap. 59.* idem tenet & ii omnes potius hora venarum, quam ipſas venas vocant hæmorrhoïdas, ut Fabritius notavit. Hippocrates *lib. de hæmorrhoïdibus* tradidit cauſas fluentes ſanguinis per ſedis hæmorrhoïdas, & cur venæ illæ intumeſcant, & aperiantur, vel quia ſanguis craſſus propellitur in illas venas, & confluens tumorem facit, & tandem ora aperit, vel quia bilis à veſica fellea aut pituita à ventriculo

triculo in inteſtinum rectum tranſmiſſa ſi ex mora calefiant & fiant ſalſa, calefaciunt ſanguinem venarum, à calore ſanguis ab aliis trahitur, qui confluens replet, tumores facit, rumpit & fluxum cauſat: in ægra verò non ab iis cauſis tumor, dolor, & fluxus ſupervenerunt: ſed quia natura, ut diximus, cum per uterum menſtrua erumpere non potuerint, immiſit in hæmorrhoïdas ſedis venas, & confluens ad illas dum ora valuerunt aperire, fecerunt ſanguinis fluxum periodicum, dum nequiere aperire illa, doloris fuerunt cauſæ: Habuit enim ægrotans duas hæmorrhoïdum differentias, quas proponunt Galen. *in iſagogicis introductionibus*; Aëtius *lib.* 14. *cap.* 15. qui dividunt hæmorrhoïdas in apparentes, quæ ſanguinem fluunt; & cæcas, ſeu obcæcatas, quæ illum non fundunt, plerumque ſimul ſanguinem fundunt, & tument, ſæpè fundunt moderatè ſanguinem, & non tument, & harum fluxus naturalis ſolet eſſe, & fuit ſimilis in ægrotante. Galenus *lib. de definitionibus medicis*, ſuperaddit quinque differentias hæmorrhoïdum quas deſumit à magnitudine, multitudine, figura, loco, & conſtitutione. Apud Juniores Fabritius, & nuperrimi Anatomici hæmorrhoïdalium ſedis alteram adducunt differentiam in internas, & externas, internas cognoverunt antiquiores etiam prodeuntes à vena lienis à porta deducta, recta deorſum propagine ad rectum, inteſtinum tendentes, in quo inſeruntur: externæ proveniunt à propaginibus, venæ cavæ, quæ ab oſſe ſacro, & coxendice efformata producitur, & duo rami ad anum propagantur, alter in dextera, alter in ſiniſtra parte diſſeminatæ per muſculos ſedis, & inteſtini. Angelutius varias refert in hac re opiniones, ſed hæc doctrina licet ab antiquis non elaborata, apud recentiores pro certa habetur, & à Fabritio probatur: nam uſus venarum quæ in inteſtino ſunt, ob eundem ſunt uſum, ac reliquæ, ſcilicet, ut ſanguinem contineant ad partium nutritionem; ſed duæ partes conſtituunt anum, inteſtinum eſt ſphyncteræ muſculus, quæ diverſo ſanguine petunt nutriri, inteſtinum ſanguine fæculento, à liene deducto, ſicut reliquæ partes meſenterii quod à portæ ramo ſuppeditatur, ſeu à ſanguine fæculento à liene genito, in illarum partium nutricatum. Muſculus verò pars carnis præſtantior in quo facultas ſenſitiva, & locomotiva reſident à cava nutriri petunt ex ſanguine defecato à jecore producto, & per venæ cavæ propagines deducto. Hoc confirmat, quia omnia membra contenta in abdomine, quæ venas habent à porta, & ab ea nutriuntur tantum à peritoneo comprehenduntur, quæ verò à cava per emulgentes, & ideò uterus, qui nutritur à cava, quæ apud os ſacrum & veſicam, hæc à peritoneo non concluduntur.

Sed per quas hæmorrhoidas, menſes deſcendebant in ægrotante iſta, nondum conſtat, ego verò judico quod per venas externas ſe exonerat ab illis natura. Per internas enim deponit particularem lienis & meſenterii plenitudinem, per externas verò univerſalem omnium venarum plenitudinem, ad ipſas enim recurrunt menſtrua: inquit enim Hippocrates *de morbis virginum*, quod ſi per uterum erumpere non poſſint, confluunt ad jecur, ad cor, ad caput, & per univerſum venoſum genus, ideo una interna vena à porta erumpit ad inteſtinum, duæ verò à cava, & majores

jores ad muſculos protrahuntur nutriendi & evacuandi plenitudinem deſtinatæ; ideo & hæ totius ſubveniunt, morbis & majori profuſione illę morbis à melancholia & in prima regione ſubortis: itaque duos uſus hæmorrhoidum ſedis habent, & partes inteſtini nutrire in quibus inſeruntur, & corpus expurgare à ſuperfluis ſuccis, ipſumque liberare à plenitudine, ſi pro horum neceſſitate moderatè fluant; inquit enim Galenus *libr. de venæ ſect. adverſus Eraſiſtratum cap. 5. Venæ hæmorrhoidales ſanguinem fundentes ſervant hominem ſanũ.* Hippocrates latius enumeravit morbos, qui curantur, aut præcaventur per hæmorrhoidas *lib. 6. Aphor. 11.* inquit: *Hæmorrhoides ſupervenientes atra bile vexato bonum: lib. de indicationibus & baph: Nephriticis & vitio renum laborantibus hæmorrhoides ſupervenientes bonum; & lib. 3. de humoribus, & 6. de morb. vulgarib.* inquit: *Qui hæmorrhoides habent, ii neque dolore lateris, neque pulmonis inflammatione, neque furunculis, neque phagedena, neque tormentis, neq; lepra, neque fortè aliis corripiuntur.* In noſtra ægrotante cum hæmorrhoides menſes ſupplebant à graviſſimis etiam præſervabant morbis, quos ex ipſis ſuppreſſis poſſe ſupervenire ſupra diximus: Dum verò ſupervenit hæmorrhoidalis ſuperflua evacuatio, neceſſe erat in graviſſimos morbos trahi, quia inquit Aetius *libr. 14. cap. 5.* hæmorrhoidas tum deformitatem, tum vitam miſeram, tum interdum mortem afferre; deformitatem; quia nimia inanitione univerſum corpus decoloratur, vitam miſeram, quoniam perpetuæ imbecillitati occurrendum eſt, mortem, quia coneinere affecto aqua inter cutem ſupervenit; ſed inter ſymptomata ſupervenientia hæmorrhoidibus recluſis nullum dolore infeſtius, de quo nuper agemus.

§. V.

Supervenientis doloris cauſa aperiuntur, & aliqua auxilia, ac doloris natura.

Cum redundans ſanguis, nec per uteri venas erumpere valuerit, nec refluens ad hæmorrhoidales venas illarum aperire orificia, cœperunt venæ illæ fieri tumoroſæ ob congeſtum ſanguinem in illis illas replentem & inflammantem, indeque ſubſequutus fuit vehementiſſimus dolor, ob quem timebatur gangræna & ſtiomenum; ideo coëgit properare ad plura auxilia, jam enim dolor non ſolum attendebatur ut ſymptoma, ſed ut cauſa lethalis morbi. Pro hujus urgentia cum Galeno triplici ſumpta indicatione auferendi cauſam fluentem, opitulandi muliebri anodinorum uſu, & ſtupefaciendi partis ſenſibilitatem: Pro prima indicatione uſi fuimus omni genere revellentium, præcipuè ſanguinis miſſione revulſoria à diſtinctiore parte, derivatoria à proximiori; & evacuatoria ab eadem per ſanguiſugas, à quibus immedicabilis ſanguinis fluxus fuit ferè ſubſequutus, de quo poſtea agemus. Pro anodinis uſi fuimus oleo amygdalarum dulcium, oleo nucleorum Perſicorum, linimento ex vitello ovi, oleo roſaceo & violaceo cum unguento populeonis & axungia gallinæ & pulpa pomi cocti, ſuperaddito vitello ovi & croco. Uſi fuimus butyro agitato in mortario plumbeo, & pomata recente, linimentum paravimus ex linaria herba cum floribus cocta, ſuperaddito adipe porcino, & ovi vitello. Tentavimus

Digitized by Google

mus reſolutionem cum radicibus porri decoctis, ſub prunis, & cum butyro piſtatis; applicavimus folia ſambuci viridis, cocta ad putrilaginem, quæ cum non prodeſſent gradum fecimus ad ſtupefacientia, quale oleum buxi, à quo ad oppiata provenimus, nec conſequuti ſumus, quod mitis fieret dolor; vehementiſſimus enim hoſtis eſt hæmorrhoidarum dolor, ut ex practicis omnibus colligere licet, & ut Moronus refert, obſervarunt varii Scriptores Amatus *centur.* 2. *cur.* 91. Germis *Conſil.* 21. Dodonæus *obſervat.* 50. Faventinus *conſ.* 3. Frambeſarius *f.* 371. Lælius à Fonte *conſ.* 113. Guarinus *Conſil.* 79. Horſtius *obſerv.* 42. Mercurialis *tom.* 1. *conſil.* 41. Moccha *conſil.* 123. Plater. *lib.* 2 *f.* 42. Scholtz *conſil.* 206. Hugo *conſil.* 87. Moccha *conſil.* 126. Montagnana *conſil.* 168. Conch. *libro quarto obſervat.*

Sed non parum licuit divagari per diagnoſim hujus affectus, inveſtigando doloris naturam; licet enim ab omnibus fuerit expertus, tanta eſt intellectus debilitas, ut forſan illius eſſentia adhuc maneat impenetrata: varii enim plures fuerunt nullo definiendo: Zachias *lib.* 3. *tit.* 2. *qu.* 4. *tom.* 1. dolorem dicit eſſe triſtem ſenſationem, & formaliter pertinere ad omnes ſenſus externos; quia eſt communis ſenſatio illis omnibus, ſed tanto viro indigna eſt ratio: nam licet ſenſatio ſit communis & generica ratio, particula triſtis, id eſt objecti triſtitiam inducentis competit potentiæ cognoſcenti de objecto, non ſolum quod ſenſibile eſt, ſed per ſpeciem inſenſatam, quod diſconveniens & triſtabile eſt: fateor doloris rationem analogice dici de quacumque potentia cognoſcente diſconveniens, ſeu moleſtum, & ſic dolor largo modo ſumptus, ſeu materialiter, ſeu præſuppoſitive præcedit in omni externo ſenſu, ſed dolor propriè ſumptus eſt actio quæ ſpecificatur à doloroſo objecto, & hoc ex Hippocrate, eſt quod ſubito & affatim naturam corrumpit; corrumpens autem objectum ſubitoque illud alterans: pertinet ad ſenſum tactus, ideoque objectum propriè doloroſum, debet eſſe tactus corruptivum ſubitò, & affatim. Alii dicunt eſſe dolorem id quod ſentitur à potentia ſeu objectum doloroſum. Forſan annuentes Hippocrati *libr.* 2. *Aphoriſm.* 6. *Quicumq; dolentes parte aliqua corporis dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat*, ſed ineptè; Galenus enim *in comment.* dolorem ponit pro partis diſpoſitione, ſeu pro objecto doloroſo, & ex Galeno *c.* 3. *de differ. ſymptom.* dolor eſt ſympt. quod eſt poſterius morbo, & hic poſterior cauſa cum qua ii dolorem confundunt, Alii formaliter conſtitui dolorem inſenſatione tactus judicant, percipientis objectum doloroſum, forſan ducti ex Galeno *de differ. ſympt cap.* 2. §. *tactus egregium præter cæteros ſenſus in actione ſua poſſidet dolorem*: Sed cum tactus ſolum cognoſcat per ſpecies ſenſatas, non autem per inſenſatas repræſentantes convenientiam, aut diſconvenientiam; ideo dolor formaliter ad altiorem potentiam pertinet, qualis eſt æſtimativa, ſeu cogitativa, & appetitus iraſcibilis, qui fertur in ſui objectum: ideò alii per actum cogitativæ, ſeu æſtimativæ; alii per actum appetitus definiunt dolorē. Avicenna *l. de anima p.* 4. *c.* 4. timor autem, dolor & triſtitia ſunt de accidentibus iraſcibilis: adhærere videntur D. Thomæ 1. 2. Vega 2. *de loc. c.* 3. Martines *lib.* 2. *tr.* 3. *ſect.* 4. Carreirus *lib. de loc. c.* 51. & prius Ariſtoteles 1. *Ethic. c.* 5. §. *Non eſt in ſenſu mente q; dolor.*

Plato

Digitized by Google

Plato appetitui dolorem tribuit, & Theologi morales: At vero Galenus *l.1.de cauſ. ſimpt.c.6.l.2. de loc. patientibus, c.2.* in ſenſatione triſti dolorem conſtituit,& cõmuniter medici illi adhærent. Nos tenemus dolorem formaliter ſumptum pertinere ad internam potentiam,quæ habet verſari circa objectum doloroſum, ut tale, & quod eſt actus cogitativæ ſeu æſtimativæ cognoſcẽtis doloroſum objectũ,ſeuappetitus iraſcibilis renuentis illud, appetitu fugæ; hic eſt dolor pro formali, alter eſt pro materiali ſeu præſuppoſitivè,& eſt actio tactus cognoſcentis objectum doloroſum,ut tangibile formaliter ſumptus; dolor etiam eſt duplex, alter pertinens ad appetitum,alter ad cogitativam,ſeu æſtimativã, ille eſt actus appetitus iraſcibilis præſuppoſita objecti doloroſi cognitione,fugientis illud,hic eſt actio ęſtimativę ſeu cogitativę,cognoſcẽs objectũ doloroſum, ut tale. De dolore pertinente ad appetitum, Theologi & Philoſophi morales magis agunt; de pertinẽte ad cogitationem, ſeu æſtimativam pertractant Medici, magis ſpeculantes actiones naturales aut læſas, quam hominum mores.

Nec adhuc manet cognita natura doloris, nec cum præternaturalis rès ſit, ſub quo genere, aut ſpecie illarum debeat locari; morbum enim eſſe ante Galenum tenuit Olympicus, & apud juniores Conciliator *differ.* 73. quia lædit operationes dormiendi & coquendi, & alias alii; nec læſam eſſe actionem contendunt, quia quælibet actio habeţ proprium terminum, & dolor nullum reſpicit proprium. Argenterius naturalem actionem eſſe admittit,quia eſt triſtis ſenſatio, ex Galeno, ſeu actio cognoſcitiva objecti ſubũo, & affatim corrumpentis naturam, & actio, quæ objectum percipit qualiter in ſe eſt, naturalis eſt; Magloca admittit dolorem eſſe actionem læſam non ratione facultatis, ſed ratione objecti atrohos, ſeu confeſtim agentis in potentiam, illamque immutantis, & corumpentis: ſed ſi actio cognoſcitiva objectum percipit quale eſt in ſe, etiamſi ſui organi corruptivum ſit, naturalis eſt; nam percipit de objecto, quidquid illius ſpecies cum potentia cognoſcitiva conjunctæ debent repræſentare; ſed Galenus de dolore formaliter ſumpto qui eſt actus cogitativæ aſſerit, quòd eſt actio depravata *lib.de ſympt. differ.c.3.l.1. de cauſ.ſymp.c.6.l.1.methodi,c.6.8.& 9.* ſequuntur illum, Mercurialis *lib 1.de affectibus c.2.* Altimarus *c.10 l de morb. medendis*, Augenius *l. 1.epiſt.1.* Roſellus *in l.Galeni de morbo & ſympt.* Carreirus *de loc.affectis diſp.* 50. Martines *lib.2.ſect.* 4 Mercatus *lib. 3. claſſe* 1. Rudius Vividius & omnes fere Practici, ſed ii non ſatisfaciunt ſuprapoſitæ rationi, quod ſcilicet actio cognoſcens objectum, qualiter in ſe eſt, eſt naturalis & non læſa, nec depravata; nam licet aliqui dicant, quòd cognoſcitur objectum doloroſum magis moleſtum, quàm inſe eſt, contra ſtat, quod cognoſcitur objectum per ſpecies quas mittit ad potentiam, & cùm nemo det quodnon habet,ſpecies ab objecto emiſſæ non valent majorem objecti repręſentationem facere, quàm quæ recepta eſt ab illo: totum enim ſuum eſſe entitativum & repræſentativum recipiunt ab illo, nec ultra agendi habent vim.

Ego verò dicendum judico, quod ad dolorem, prout eſt actio cogitativæ, ſeu ęſtimativę, prærequiritur actio tractus cognoſcentis objectum doloroſum, ut tangibile

gibile per alterationem realem, & per alterationem intentionalem; per illam corrumpitur organum: per hanc recipiuntur ſpecies, quæ objectum repræſentant; hæc intenſior recipitur, quam alteratio realis, & ideo non ſolum repræſentat corruptivum in organo receptum, ſed illud quod eſt in objecto corrumpente illud; ex quo oritur, quòd ſi manus calefiat, ſubitò à nobis avertitur ab igne, judicantibus concrematam fuiſſe, poſtea reſpicimus non tantam fuiſſe læſionem, qualem ſentiebamus; quia fit cognitio per ſpeciem repræſentantem, non tantùm qualitatem alterantem, quæ eſt recepta in manu, ſed illam quæ eſt in objecto alterante organum; ſic enim à natura ordinatum: quod corrumpens objectum intenſius repræſentetur antequam organum corrumpat, ut poſſit à nobis imminens damnum prius cognitum vitari: cognitum per ſui intentionales ſpecies ab objecto, in majori intenſione emiſſas, quam fuerit realis alteratio recepta in organo: Cum igitur cogitativa cognoſcat objectum, quod ſubito & affatim corrumpit organum tactus, & per ſpecies, quæ non ſolùm repræſentant objectum, ſecundum quod iam corrumpit, ſed ſecundum vim quam habet corrumpendi, & ulterius eſt corruptivum, ſtat depravata actio in hoc quod totum illud corruptivum, & doloroſum quod cognoſcitur à cogitativa, judicatur à potentia; ut jam receptum in organo, non ſolum ſecundum eſſe intentionale, ſed ſecundùm eſſe reale, & quaſi jam organum corrupiſſet, & per hoc fit actio depravata intenſius repræſentans damnum in organo receptum: quàm quod receptum eſt, non tamen ſine ſpecie eius repræſentativa: ab objecto enim emittitur doloroſi illius objecti repræſentativa ſpecies, licet nondum in organo ſit recepta alteratio realis imminens, quæ ab objecto communicari valet; & appetitus inſurgit ad averſionem intenſius, ac vehementius, quàm petit receptum periculum, & in hunc finem dolor à natura ſenſitivo viventi tribuitur ut ex hac cognitione, & fuga ſervet continuitatem partium, à qua unitas earum fit, & ex qua omnes animalis partes unum fiunt animal.

§. VI.

Hirudinum qualis uſus, pro hæmorrhoidibus aperiendis & earum applicatio qualis.

Cum nullis ceſſerit vehemens dolor hæmorrhoidum auxiliis, ne pars in mortificationem abiret ad cauſam evacuãdam, in illis contentam., applicavimus ſanguiſugas, ex quibus ſubſequutus fuit ſanguinis fluxus ita copioſus, ut nullis cedens auxiliis ægram ad ſummum periculum deduxerit, ob ſubſequutum ex illis fluxum ſanguinis, qui periculoſus affectus in illis ſolet eſſe, dum fit nimius, ut ex Moronio conſtat obſervaſſe plures inter quos Cermiſon *conſil.* 20. Claudinus *conſ.* 28. Epiphanius *hiſt.* 16. Favent. *conſ.* 33. Fernelius *conſ.* 44. Genarh. *Decada.* 4. *d iſp* 9. Gradi *conſ.* 57. Guarinonius *conſ.* 8. Horſt. *epiſt. ſect.* 10. Lelius à Fonte *conſ.* 96. Cotich *obſ. l.* 4. Mercurial. *tom* 3. Montagnana *conſil.* 273. Fonſeca *tom. conſil.* 27. Scholz *conſ.* 205.

Trinca-

Trincabell. *conſ.* 163. 27. Venuſtus 1. *par. conſil.*80.

Deveniendum fuit nobis ad hirudinum applicationem in venis hæmorrhoïdalibus; quia ut tenet Saxonia *l. de febribus*, c.24. quod ſi ſuppreſſæ ſint, expedit mittere ſanguinem, prætermittere ſanguinis miſſionem, & tentare per hæmorrhoïdales magis quæ urgebat in hoc eventu, dum non proderat ſanguinis miſſio, & urgebat, non tam univerſalis plenitudo, quàm particularis harum venarum, quæ evacuationem ab illis, urgente neceſſitate, properanter, indicabant, hæc ſcarificatione, apertione per ſcalpellum, vel applicatione hirudinum perficitur: cum ſit ſecurius; ſunt enim hirudines, ut tenet Capivacius *lib. 6. de febribus, cap.*16. materiæ quæ pungendo aperiunt ora venarum, & per ſe ſenſibiliter, licet paulatim, ſanguinem evacuant; & ſuperaddit, quod per hirudinem evacuatur potiſſimum ſanguis contentus in illis venis, quibus applicantur, & præcipuè debere applicari hæmorrhoïdibus ad auferendam ab illis plenitudinem; conſtat: quia ſanguinis miſſio ex illis per ſcalpellum periculoſe fit; quia poſtea difficulter unitur ſolutio continui facta ex illa, nec poſſunt cucurbitulæ ad ſcarificationem applicari: ideo Galenus *lib. de hirudinibus, cucurbitulis, & ſcarificationibus cap.* 21. inquit: [Eas in illis uſurpamus hominibus, qui ſcarificationum inciſiones pertimeſcunt, vel in illis partibus, in quibus cucurbitulæ propter earum parvitatem vel gibboſitatem, & inæqualitatem aptari non poſſunt]

Quales debeant eſſe hirudines protulit Avicenna *libr.* 1. *doctrin.* 5. *cap.* 21. inquit enim quòd aliæ ſunt venenoſæ, aliæ vero minimè, priores ſunt magna habentes capita, quarum color eſt antimonialis, id eſt, color plumbo ſimilis, & niger, aut viridis, aut lanuginem præſeferentes, vel colore aſſimulato lapidi Lazuli; malæ ſunt etiam illæ, quæ in aquis habitant limoſis & lutoſis, minimè verò venenoſæ ſunt illæ quæ in aquis colliguntur fluidis, & in illis quibus lenticulæ ſupernatant, color ipſarū ſit ſimilis colori viridi, & veluti tenduntur ſuper ea fila duo, colorem arſenici habentia, ſintque rufæ, rotundæ, & coloris hepatis, quæ etiam aſſimilantur parvæ locuſtæ; & caudæ muris, ſintque minutæ, parva capita habentes, & tandem eligendæ ſunt illæ quæ habent ventrem rubeum, & dorſum viride, per diem antequam applicentur, conſtringantur ventres donec vomant, quod in eis eſt, tribuatur eis ſanguis agni antequam applicentur, abſtergatur earum ſordicies, & viſcoſitas cum ſpongia, & laventur in aqua clara, & dulci.

Galenus, *libro de cucurbitulis, & ſcarificationibus, cap. vigeſimo primo*, ponit modum amplicandi illas, dicens: Cum eis uti volumus, locus, cui hirudines amplicandæ ſunt, nitro prius fricandus ac ſanguine alicujus animalis inungendus, vel fovendus, vel unguibus ſcalpendus, promptius enim apprehendent, atque ubi inhæſerint, oleum tepidum particulæ, ne frigeſcat, infundemus, quod ſi etiam eis, ubi repletæ fuerint, uti oportuerit, vel quia paucæ hirudines, præſto adfuerunt, vel quia paucæ apprehenderint, earum caudas forcipe incidere opor-

Digitized by Google

oportet; nam effluente ſanguine trahere nunquam deſinent, quouſque nos ſalem, nitrum vel cinerem earum oculis inſpergamus.

Ablatis hirundinibus, permanſit ſanguinis fluxus ob confluentem humorem in partem, ob inflammationem & dolorem, qui nullis poterat auxiliis cohiberi; utebamur ſanguinis miſſione, frictionibus, cucurbitulis, ligaturis & revulſoriis, ac derivatoriis aliis quibuſcumque deveniremus ſtatim ad manualem operationem, deligationem, ſectionem, & uſtionem, quas conſulit Hippocrates *de rat. vict. in acutis, & lib. de hæmorrhoïdibus*, quam etiam Fabritius conſulit lib. de Chirurgicis operationibus, & Maſſarias expertus fuit felici eventu; ſed nullus erat expertus chirurgus pro hac operatione; ideo ægrum collocavimus ſupra menſam; exprimebat podicem ad extra, ut poſſent cataplaſmata applicari adſtringentia, ex pilis leporinis, telis aranearum, alumine, & tandem vitriolo uſto, ſeu colcothari cum quibus cœpit cohiberi, dũ parabamus oleum vitrioli & aquam fortẽ ad cauterizandas venas.

DOCT.

DOCT. MED.

D. GASPARI

BRAVO DE SOBRE-

MONTE RAMIREZ

TYROCINIUM

PRACTICUM ARTIS CURATRICIS HOMINIS.

Google

AD LECTOREM.

Unum te monitum velim, Lector, primam nimirum, & ſecundam Tyrocinii hujus Practici Partes, eſſe ferè eaſdem cum Conſultatione ſeptima ſuprà pag. 274. edita; quam, paucis immutatis, & nonnullis additis, ad Authoris intentum conferentibus, hic ideò repetitam habes, quòd pars hujus Tractatus ſit potiſſima, ac proinde nullatenus omittenda.

Digitized by Google

DOCT. MED.

D. GASPARI BRAVO DE SOBRE-MONTE RAMIREZ

TYROCINIUM PRACTICUM ARTIS CURATRICIS HOMINIS.

PROPOSITIO HUIUS Tractatus.

Conſtat ex dictis antecedentibus quod medicina, quæ in ſua latiori acceptione eſt Ars curatrix, varias habet analogicas, & improprias acceptiones. In latiori ſui acceptione ſumitur pro qualibet Arte, quæ valet ad antiquum ſtatum amiſſum aliquid reducere;& ſic divagatur per omnes Scientias,& Artes, & per quoſlibet prudentiæ actus: de qualibet enim re, quæ nequit reduci in priſtinam perfectionem, vulgariter dicitur, quòd nequit mederi. Sumitur pro inſtrumentis medendi, & ſic dicimus de aliquibus Pharmacopæis, quod non habent optimam Medicinam. Sumitur pro eo, qui languores Reipublicę valet curare: ideo Dynaſta quidam Rex factus voluit Artaphax nominari, id eſt Medicus, & languorum Reipublicææ curator, quaſi Regia poteſtas ſit Ars curatrix illorum: ſumitur pro arte curatrice morali; in qua acceptione Sancti Patres vocati ſunt Medici, & Paſtores eorum, qui in ſuis Eccleſiis ſunt illis commiſſi, quorum relapſos mores dicuntur curaſſe: ſumitur etiam Medicina pro cultoribus plantarum, herbarum, & florum

florum, & ſua cultura dicuntur illa curare, & in priſtinam ſanitatem reducere : ſumitur etiam pro arte curatrice brutorum, quorum morbi variis artificibus committuntur curari : Ut morbi equorum Veterinariis, morbi boum, ovium, caprarum & aliorum animalium, quæ ſunt ex uſu hominibus, committuntur Oeconomis, aut paſtoribus eorum, à quibus curari ſolent per remedia ex uſu cognita, vel tradita ab Autoribus, qui de re ruſtica ſcripſerunt.

Medicina verò hominis curatrix, quæ ſimpliciter, abſolutè & ſine addito medicina dicitur ; multiplex etiam ars eſt juxta diverſas ſui ſectas : alia enim eſt Empirica, alia methodica, alia Paracelſiſtica, & ſuo modo alia eſt Vanhelmonis dicta, quæ omnes ſectæ ſunt ſeu hæreſes, quæ deviant à medicina rationali ſeu Dogmatica, quæ eſt vera medicina, ut ſupra demonſtravimus.

Non contendimus ſub hoc Tyrocinio methodum tradere medicinæ, quæ impropriè, & cum addito talis dicitur : ſed ſolius medicinæ; quæ propriè ſic dicitur, & eſt ars hominis curatrix, & præcipuè prout eſt ſcientia naturalis dogmatica ac rationalis, quam rationales homines tantum profiteri tenentur: Sectæ enim ſeu hæreſes quæ ab illa deviant, ſuis propriis deturbantur nominibus & Profeſſoribus, rationali ſcientia indignis; ſub quibus indigniores alii conantur introduci, ſub Medici nomine Pſeudo-Medici quidam, qui nullis inſiſtentes principiis, quædam vulgari populo remedia vendunt, & vulgari mulierculärum applauſu, populares fallentes eorum inſidiantur vitis.

SECTIO I.

De Tyrocinio practico Sectarum, quæ ſub medicina deviant à rationali.

Reliquæ medicinæ ſortes, quæ à rationali diſcedunt ; majori ex parte ſunt ſectæ, quæ in aliquibus principiis inſiſtunt illi ſectæ communibus, & juxta illorum cohærentiam methodum curandi tradunt, ab iis diſcedunt Pſeudomedici, deperditique homines qui ſe medicos fingunt: qualis cuique horum ſit praxis, ſub hac ſectione proponemus.

CAPUT I.

De Praxi, qua utuntur, qui fingunt ſe Medicos.

In omni ætate fuere plures, qui licet nullam profiteantur ſectam medicinæ, ſe medicos fingunt, & ſine arte & methodo remediis utuntur, de quibus dicit Hippocrates *lib. de arte*, quòd cum medici non ſint, perſonam medici agunt, & repræſentant, & ii ſunt ex omni genere Gentium : nam ut ſupra diximus:

Fingit ſe Medicum quiſquis idiota profanus
Judæus, Monachus, hiſtrio, Raſor, Anus.

Eorum qui ſe medicos fingunt, alii aliqua ex parte medicinam ſalutarunt : alii nulla ex parte ; qui aliqua ex parte, inepti facti, vel otio & inertia detenti, quam à limine ſalutarunt artem, reliquerunt ; & ſolo nomine contenti, ſine principiis nec Dogmatibus illam exercent apud vulgum, de quibus loquitur Hartmannus dicens : *Noſtra*

ſtra hac ætate ſordido quæſtu, fœdiſque voluptatibus ita contaminata ſunt omnia, ut Arti nullus ferè locus concedatur, major enim Medicinam factitantium pars contemptis, & repudiatis veris curandi Præceptis, morborum nomenclatura generali, & receptarum aliquot decadibus contenti ſunt, ideoque eruditorum colloquia fugiunt: & interim nihil, niſi empirias ſuas, morte infinitorum comprobatas jactant, de mercede, ſutorum inſtar, cum ægris paciſcuntur. Hujus ſunt ordinis quicunque Philoſophiæ, & Medicinæ inſtitutionibus vel nihil prorſus, vel non ſatis imbuti, morborum, quos nec cognoſcunt, nec cognoſcere ſtudent, curam in ſe recipiunt, & ſanitatem plenis buccis pollicentur; ii nempè, qui empto, vel falſo adſcripto Doctoratus titulo, tantoperè gloriantur. His ægri meritò occinant. Quod Ariſtoteles ſuo Medico dixiſſe fertur, dum ei præceptum injungeret: Ne, inquit, *ut bubulum me cures, ſed prius veram cauſam ediſſere tua præceptionis, & morigerum habebis ægrum*: De iis etiam loquitur Foeſius dicens: *Hujus ætatis Medici quidam, qui in cumulandis ſimplicibus medicamentis nullum planè modum faciunt.* Quos tanquam receptarios reprehendunt Solinander, & Freytagius, quia eis utuntur ſine indicatione, ratiocinio, analogiſmo: ſed ſolum quaſdam ex antiquis abrumpendo ſententias, & ii, cum nullam obſervent methodum, nullamque dogmaticam ſequuntur viam, nullum habent Practicum exercitium, quod imitari, aut proponi debeat.

Qui Medicinam exercent, cujus limina nulla ex parte ſalutarunt, ſunt quædam deperditæ gentes: Parabolani, Agyrtæ, Circulatores, Dentarii, Salutatores, Vulnerarii, Incantatores, Empirici, Spagyrici, & innumeri alii, Judæi, Saraceni, Paracelſiſtæ, Arabes, Hermetici, de quibus dicit Hartmannus, quod omnium morborum curationem hodie æſtu fallaci aggrediuntur, pleniſque buccis pollicentur. Judæi perfidi Myropolæ, barbitonſores, circumforanei, Alchymiſtæ, anus ſurdaſtra, veſani nonnulli, & maleferiati Sacerdotes, de ovis, quam ovibus magis ſolliciti, & omne fere perditorum hominum genus, è fœce ſceleratorum conflatum, huc tanquam ad ſacram anchoram confugit. Quivis enim flagitioſisſimus vel ſtupidisſimus ſi, ob perpetrata facinora, à bonorum conſortio exulare cogitur, vel laborum pertæſus, honeſtis rationibus victum quærere gravatur, confeſtim Medicum vel Chirurgum ſimulat, & vel morbos curat, vel hernias incidit; vel veſicæ calculos eximit: tantaque, & tam aperta impoſtura, ut nulla major eſſe poſſit. Hujuſmodi autem Profeſſores, ſeu impoſtores, ſicut nullam profitentur artem, nec Medicinæ ſectam, nullis ita principiis inſiſtunt, nec methodum ſervant, practicumvè præceptum, ſed in ſuis impoſturis ſiſtunt, quibus plebem, mulierculas, rudioreſque gentes fallant: hanc medicaſtrorum multitudinem, mores, & vitia, ac ineptitudinem detegit Epiſcopus Zamorienſis, *ſuprà* à nobis citatus dicens; *in ſpeculo vitæ humanæ*: *Vidi ego plurimos heri Aromatarios, hodie gravium morborum Cenſores, heri herbas cæteraque materialia in Pharmacopolis miſcentes, hodie in Principum Aulis morbos judicantes: ſi enim etiam ſanando vix nomen boni Medici quiſque aſſumit, quonam pacto necando medicandi titulum vendicabit.* Quibuſdam itaque iis ſimilibus, atque remedia pollicentibus, ſed & cauſas morbi judicare conanti-

nantibus, illud ad Philippum, ut in Actis Apoſtolorum legimus, dicebatur; *Putaſne intelligis quæ dicis*, quibus dicentibus, etiam ego iterum cum Eunucho addebam; *Quomodo ſcire poteras; nemo te docuit?* [Mira certe res eſt, ut inquit Hieronymus, fullones, metallarii, fabri, lignorum cæſores, ipſa quoque vilia officia exercentes, abſque Doctore eſſe non poſſunt, nec experiri audent, quæ non noverunt, ſola eſt medendi Ars, quam ſibi paſſim unuſquiſque vendicat: Alii à cerebro, infirmitatibus addiſcunt medicinam; alii ab infidelibus audiunt, ut fidelibus noceant: alii neſcio in quibus libellis legunt, ut in miſeris corporibus uniformiter exequantur, & uno collyrio, iis nihilominùs incognito, omnium oculos curare volunt: quo fit ut cæcus arte videntem natura faciat cæcum. Hi Medicinam neſcientes, Medicinâ abutuntur, & Artem egregiam, quam non noverunt, profitentur, Medicina excellenti, & egregio nomine gloriantur, & quæſtus gratiâ, pecuniam, ut finem quærunt. Viris excellentibus plerumque in hac Arte non creditur, & eadem turpiter abutentibus præmia dantur.] Ex iis ſatis appoſitè manent diffiniti pſeudo-medici, deperditique homines, qui ſe inſerunt medicatrici arti hominum ſine aliquo principio, & ideò & ſine aliqua Methodo, quâ praxim valeant exercere.

Sed quia nebulones ii omnes ſunt impoſtores, ſi quæ methodus invenienda, hæc neceſſaria eſt, ut illos doceamus diſtinguere à veris Medicis. Freytagius, à Reyes Rodericus à Caſtro, & alii egerunt de horum impoſturis, ex quibus cognoſcuntur, & à veris Medicis diſcernuntur: hoc enim difficile vulgaribus apparet, quia eiſdem utuntur remediis: & ideo eodem modo Medici apparent pſeudo-medici, & illi qui verè Medici ſunt: differunt tamen ex modo eis utendi: nam veri Medici cognoſcunt remedia, modum utendi illis, occaſionem, quos, quibus, & quando debeant applicari: pſeudo-medici, ſine horum cognitione eis utuntur, inquit enim Plato *in phædro*, [*Si quis dicat: Ego quidem illa ſcio corpori admovere, quibus & caleſcat pro arbitrio meo, & frigeſcat, & vomitus, & dejectiones, & alia expurgationes perficiantur, & hujuſmodi plurima teneo, quibus cognitis & Medicum me eſſe profiteor; quid aliud reſponſurum autumas. Phædrus, Nil aliud quam percontaturum, numquid etiam ſciat, quibus, quando, & quouſque ſingula horum ſint adhibenda. Quod ſi neſciat, neceſſum eſt eum inſanire, qui, quod, quidquam audierit, vel in medelas nonnullas inciderit, medicum evaſiſſe ſe putet, cum nec artis aliquid intelligat.* En veram methodum ex Platone diſtinguendi medicos à Pſeudo-medicis.

Sed dices: quomodo cognoſcemus qualis Medicus hæc cognoſcat? Dico, quod hoc ulterius diſcernitur ex cognitione perſonarum, nam Pſeudomedici ſunt homines deperditi ſine ſtudiis à vilioribus officiis in medicinæ exercitium introducti, circumforanei, & impoſtores, Medici verò ſunt educati in univerſitatibus, experti, docti, à Doctioribus approbati, virtuti, & literis traditi, gradibus, honoribus, & præmiis, Protomedicorum approbationibus condecorati, nec ex mulierecularum approbationibus, ſed ex ſuis actionibus cogniti.

* * * *
*

CA-

Google

CAPUT II.

De Praxi Methodicorum.

GAlenus, *libro de ſectis*, agit de ſectis Methodicorum, & Empiricorum, quæ ſub dogmatica medicina tanquam hæreſes ſubcreverunt. Eſt igitur Methodicorum ſecta, ut diximus, quam ſui Profeſſores vocabant Contemplatricem, aſſerebantque eſſe methodum eorum, quæ communia ſunt morbis, hæc, contemptis ſignis, & cauſis non inſpectis, omnes morbos in duo genera reducebat, ſeu in duas communitates, in laxum nempe, & adſtrictum, quibus ſuperaddebant medium inter hos. Primus illius inventor fuit Themiſon Laodicæus Syrus, qui ob odium Aſclepiadis Medici Dogmatici diſceſſit à Rationali Medicina, quam primo profitebatur, cui ſubſequutus fuit impudentisſimus Theſſalus in carpendis lanis, ut tenet Galenus in libris methodi ad hanc ſectam deductus. Illam profesſi ſunt Trallianus, Maſſæus, Antipater, Archigenes, Agatinus, Proclus, Olympicus, Mileſius, Minemachus, Soranus, & alii. Horum Sectam Galenus, *lib. de ſectis, & lib. methodi*, ex toto exterminavit, refutavit, & confutavit, donec Proſperus Alpinus Doctisſimus rationalis, ac Dogmaticus Medicus librum de ipſa conſcripſit, in quo illius ſuſcitavit præcepta, & illius longiorem deducit originem, illamq; præclarisſimam fuiſſe ex ſuis demonſtrat Profeſſoribus, & quia ſummo cum honore illam profesſi ſunt per trecentos ferè annos à temporibus Marci Antonii, & Cleopatræ, uſque ad ætatem Severi Imperatoris, in quibus ſucceſſivè floruerunt ſui Profeſſores dogmaticorum omnia aſpernantes præcepta, omittentes cognoſcere naturam corporis humani, quod curaturi erant, omnes contemnentes illius cauſas, partes affectas, ætatem, conſuetudinem, Theſſalus ſummo faſtu ſub Nerone hanc profitebatur Sectam, quique gloriabatur novam condidiſſe ſectam præſtantiorem quacunque alia, quæ præceſſerit, & in monumento Victorem Medicorũ ſeipſum fuiſſe conſcripſit, Vectius Valens nobilitavit hanc ſectam, & ipſe, ut tenet Plinius, nobilitatus fuit adulterio Meſſaniſſæ uxoris Claudii Imperatoris: Dyoniſius, ſive Mileſius, ſive Samius fuerit fuit magnæ authoritatis inter methodicos, & honorificè de illo loquuntur Galenus, Celſus, & Aëtius, Proclus etiam citatur à Galeno, ſicut & Antiparer; Soranus Epheſius, Suida Authore in magno fuit honore, & illius opera id conteſtantur, quem Aurelianus Methodicorum judicavit Principem, Julianus Apollonides plura compoſuit medicamenta, quæ dogmatici receperunt, Aurelianus Sicenſis præclarus ſterit, & ſuæ Sectæ immiſcuit plura dogmaticorum remedia, & in eorum doctrina non parum fuit verſatus, & alii aliis temporibus hanc ſectam præclaram reddiderunt, illam reliquis indicarunt clariorem, & Theſſalus ſex menſium ſpatio poſſe addiſci, gloriabatur.

Horum tamen Authorum deſiderantur opera, ex quibus ejus methodus posſit proponi, *in libr. introductorio cap.* 30. hæc ita delineatur: Methodica communitatibus, & ſimili ſpeculationi adhæret, omnes enim particulares affectus ad generales duos reducunt, nempe adſtrictum, & fluentem, quas communitates vocant, cognoſcunt

gnoſcunt eas ex obortis circa corpus affectionibus in utroq; evidenter conſpicuis. Quare notas non deſiderant: exempli gratia: adſtrictum inde oriri, quod corpus denſatum ſit, profluvium ipſius ſiſtatur, omniſque evidens excretio impediatur. Fluentem verè inde: quod ſumma corporis cutis rara evaſerit, & cujuſque corporis particulæ excretiones ſenſibiles intenſæ ſint. Duplicem igitur curationis ſpeciem generales duo corporis morbi ſibi indicant, nempè ſi corpus adſtrictum eſt, laxandum eſſe; Si profluvio laborat, comprimendum, ſi vitium mixtum habet, occurrendum vehementiori malo.

Cæterum communitates omnes nominant evidentes, harum alias paſſivas, ut adſtrictum & fluens; alias curativas, ut reſolvere & tenere; quaſdam temporales, initium, incrementum, vigorem, ſeu ſtatum, & declinationem. Porrò Medicina, quæ manu medetur, communiter in ejus ablatione quod alienum eſt conſiſtit. Duplex enim alienum eſt, vel extrinſecùs, vel in corpore: extrinſecùs ſimplex illius, quod in corpore eſt tres numerantur ſpecies. At quod extrinſecus ut ſpiculum, telum, & quodcunque aliud id genus exiſtit, perfectam eductionem oſtendit eorum quæ in corpore ſunt, aliud loco alienũ, ut ſuffuſio, eluxatio, & fractura, quæ tranſpoſitionem, vel reſtitutionem in proprium locum indicant. Aliud magnitudine ut abceſſus, & omnes ſcroti tumores, Acrochordones, id eſt penſillæ verrucæ, phymata, & condylomata. Quorum nonnulla diviſionem requirunt, nonnulla ſummam ſuperfluorum præciſionem demonſtrant. Aliud defectu alienum, non ut ſupervacuum, ſed veluti deficiens dicitur cujuſmodi ſunt mutilia, & curta omnia, ſicut in labris oculiſque cernimus, unde quidam leporinos oculos & leporina labra habentes nominantur, pari modo etiam ſe habent fiſtulæ, & vitia profunda, quæ Græci vocãt hypophora, ſinus, ulcera, aliaque hujuſmodi omnia, quæ ex defectu repletionem deſiderant, atque indicant. Ut verò propter quatuor Chirurgicorũ communitates & ſpecies, quam præſervationem appellant. Apponitur autem & ipſa ut communitas in deleteriis, & toxicis, beſtiiſque omnibus, quæ virus inſpuunt, tùm venenoſis, volatilibus & terreſtribus, aquatilibuſque. Nam commune omnium genus, ut ſint exitialia, non tam ad adſtrictum, & fluens referuntur, ſed aliud eſt præter hæc genus. Quare & curatoria ipſorum communitas alia præter illam habetur, dicta Prophylautica. Methodicam quoque Sectam primum ſculpſit ſimilis in evidentibus, conſideratio. Sed non in latentibus, & abditis, quemadmodum in rationali ſecta. Hoc unum intercedit diſcriminis, quod in illa quoque ſimilium inſpectio, ſed in obſcuris conſiſtit. Secundum, quod ex ſimili in evidentes affectus, auxilia, tempora; particularia omnia ad generalia reducit. Attamen non evidentia tantum Empiricorũ more animadvertunt; Sed peculiaribus nullo generali cognito inſiſtunt. Ex his patet, qualis Methodicorum fuit praxis, & quam aliena ab ea, quæ exercetur à Dogmaticis.

*****
**

CAPVT III.

De Praxi Empiricorum.

MEdicinæ altera ſupervenit ſecta Empirica dicta, quæ ut tenet Freytagius eſt duplex, alia ab antiquis illius ſectatoribus exculta, alia à Modernioribus uſitata, hæc, non eſt alia ab ea, quam diximus *cap.* 1. exerceri à Pſeudo-medicis, quam ipſe Freytagius ſic proponit, Sciendum eſt longe fuiſſe aliam veterum, (quam modernorum hodie ſit) Empiricorum conditionem. Illi ſe Empiricos ab Empiria, experimentatores ab experimentis cognominabant, & arbitrabantur tantum per experientiam à Medicis veram cognitionem aucupandam, & quemadmodum illis ex plurimis experimentis tota conflabatur Ars; ita ſingula experimenta ex variis conabantur conficere experimentis, cenſentes nihil conferre artificioſa præcepta, & rationem ad Artem Medicam. Noſtri verò moderni Empirici nomen illud Empiricorum anxiè fugiunt, quod ſciant apud bonos, & eruditos, malè audire eos, quare cum ſimplicibus in Empiricos unà invehuntur, ſuaſque Thraſonicè venditant ſcientias, & rerum cognitionem, & verba ſermoni ſuo nonnunquam inferunt Latina, eaque contremiſcentibus Ciceronis manibus ebuccinant, frequenter verba male intellecta: Si autem à literatis, & eruditis qualem exercent artem interrogentur, ſyncere quaſi fatentur, ſe literas ignorare, nec magnoperè eruditos, nec Doctores eſſe, nihilominus ſibi quædam cognita eſſe experimenta, quæ à Magiſtro ſuo Empirico ſeu uſu didicerunt. Ex his conſtat, hos nebulones deperditos eſſe quoſdam homines, qui nec artem, nec ſectam profitentur, nec methodum ſervant, nec praxis aliqua habent præcepta.

Antiquiores vero Empirici, ſectam profitebantur Empiricam, & eam judicabant præſtantiorem eſſe medicinâ dogmaticâ, ſolis experimentis utebantur, & poſthabita indicatione ad ſyndromen ſeu concurſum ſymptomatum reſpiciebant, incognitâ cauſa; & ut diximus alibi morbos curabant utentes memoria, inſpectione, & hiſtoria, & tres ſpecies ſub hac Artis ſecta admittebant. Prima reſpiciebat accidentia dum inconſultò ſuperveniunt ad experiendum: Secunda Empirica ex propoſito dicebatur, dum ex inſomniis, aut alterius operatione ducti experiebantur aliquid: Tertia dicebatur imitatrix, dum proſequebantur auxilia, quæ aliis opem tulerant, vel dum Profeſſores declinabant ea, quæ noxia fuerant. Horum antiquorum Empirica ſecta non omninò fuit deſtituta aliquibus principiis, ut patet ex dictis, nec aliquibus Authoribus, qui ipſam conati ſunt defendere, & ſuis ſcriptis fulcire. Plinius illam judicat reliquis fuiſſe antiquiorem, inventamque fuiſſe ab Acreone, Agrigentino; conſtat tamen primum Authorem fuiſſe Philinum Coum, qui etiam diſceſſit à rationali medicina, quam fuerat profeſſus ob odium Herophili, cujus fuerat Diſcipulus. Ipſum ſecuti ſunt Creto, Philiſtion, Menodotus, Serapion, Marcellus Empiricus, Leonellus Faventinus, Glaucias, Appollonius, Diodorus & alii in illa celebres, qui omnes hujus Sectæ excellentiam prædicabant, quaſi à natura ipſam edoctam fuiſſe contenderent, quæ

docet ad ſimilia ex ſimilibus transire, ſed nos illius nullam eſſe methodum pro praxi utilem judicamus, & ipſam artis rationem non habere ex Freytagio convincimur, quia ars debet conſtare ex principiorum contemplatione: Empirici non procedunt ex illorum cognitione, aut contemplatione, ſed ex experimentis ſenſibus obviis, & ab ipſis inventis; Tum quia Empirici docti judicant fieri, quia remediorum farraginem cumulant ex diverſis ac ſingularibus experimentis inventam; ſingularia autem habitum certum non generant; ſed inconſtanti eventu infirmum illum reddunt; quam incertitudinem Galenus docet contra ipſos *in fragmento* dicens: *Maximus Empiricorum error eſt, exquiſita ignorantia, ac excellens quadam impudentia & ſtupiditas, ipſam fere pecudum ſtoliditatem ſuperans.* Reprehendit enim quod incertam experientiam, & mutabilem pro ſcientia habeant. Tum conſtat ex Platone: Inquit enim, ſi quod ſtudium, materiam circa quam verſatur, cognoſcit, id ſanè ars eſt: ſi non cognoſcit, experientia; ars verò nequaquam; ego verò artem nequaquam vocarem, quæ ſine ratione eſt; tum ars Empirica eſt obſervatio eorum, quæ ſæpe ſimili modo contingunt, experientia enim componitur ex multis ſingularibus; ſed ſingulare eſt inartificioſum, ergo & illud quod fit ex illo erit inartificioſum: Tum quia remediorum ignorant vires, cauſarum & morbi ſpeciem, tempus & occaſionem applicandi illa, aut cur, vel quomodo debent applicari: ergo nec artem, nec methodum ſervant.

***

CAPUT IV.

De Praxi Secta Paracelſi ſeu Severiana.

APud Juniores novæ aliæ medicinæ adauctæ ſunt Hæreſes, ſeu Sectæ: Paracelſiſtica, ſeu Severiana, Spagyrica, & Vanhelmonis deliramenta, Paracelſiſtica ſecta, quæ à Philippo Theophraſto Paracelſo, de quo ſupra plura edidimus, fuit Dæmonis ope confecta, in ſuis ſparſis & malè concinnatis libellis, quos conjunxit, & in aliquem ordinem reduxit Petrus Severinus, à quo ideò hæc Secta Severiana fuit vocata, ſed à Paracelſo præcipuè nomen & originem ducit, qui contra Hippocratem & Galenum, Avicennam & contra omnes Dogmaticos Medicos novam medicinæ ſectam conatus eſt condere, ut latius proſequitur Sennertus, *tomo tertio*, illorumque ſe victricem prædicat, *in præfatione Paragrani,* dicens, Avicennam, Galenum, Rhaſen, Montagnanam, Meſuem, Pariſienſe, Monſpelienſes, Suevos, Miſnicos, Colonienſes, & quotquot Danubium & Rhenum accolunt, Inſulas Maris, Italiam, Dalmatiam, Athenas, Græcos, Arabes, Iſraelitas, ſe monarcham ſapientiæ conſtitutum ſequi debere. Paracelſi Diſcipuli ejus impudentia, & doctrina nutriti, ejus ſubſequuntur arrogantiam, inter quos Crollius audet dicere: *Nullus mortalium in univerſa Philoſophia & Medicina, indubitato cæli favore tam ardua & abdita arcana ſcivit & in publicum protulit ſicut Theophraſtus ille Paracelſus. Vir & Philoſophus omni æternitatis memoria & honore digniſſimus, cujus peritiam nemo inventus, qui attigerit, nedum ſuperare potuerit, verus medi-*

medicinæ monarcha, & primus microcoſmi medicus. Henningius aſſerit, quod doctrinā Hermeticam & Hippocraticam peculiari Spiritus S. aſſiſtentia complevit: ſed à quo Spiritu illam didicit docet Operinus *in ſua Epiſtola* dicens: quod adeo erat ebrietati deditus, ut vix per horam ſobrius potuerit reperiri, & quod nunquam illum viderit orare, nec curabat Eccleſiaſtica Sacra; Bullingerus de illo profert, quod ex omnibus ejus ſermonibus pietaris nihil intelligere de illo potuit, & quod magiæ plurimum fuit deditus, & quod nunquam ingrediebatur Cœtus Sacros. Eraſtus tenet de illo ex Vetero: *Nihil magis metui quoties ebrius erat erat autem frequenter, quam ut agmen diabolorum arceſſeret, quod ſæpe-numero facere voluit:* Et addit; *Cùm ſobrium monerem ut iſthæc miſſa faceret, quod Deum graviter offenderet, quodq́; extremum ſtipendium triſte perſoluere ſolitus ſit famulis ſuis Diabolus; reſpondebat, ſe non multo poſt receptui cantaturum.* Et *in ſuo lib. de Philoſophia occulta,* ipſe Paracelſus protulit: *Medicus non omnia quæ poſſe, & ſcire debet in Academiis diſcere, & cognoſcere poteſt, ſed interdum vetulas, Zigeunos, Necromanticos, Agyrtas, ſeniores Ruſticos.* Et ſimiles addebat: In theſauro Alchymiſtarum dicit ſe literas à Galeno ex inferno accepiſſe, & cum Avicenna in veſtibulo inferni de lapide philoſophorum & aliis diſputaſſe; Ex hoc ſpiritu diabolico ſuam didicit ſectam medicinæ, quam impiis præceptis cumulavit, & ut impia dogmata poſſet occultare, adjunxit ſuæ Sectæ artem Spagyricam, quæ cum illo antiquior ſit, & à ſuis principiis diverſa, de ipſa ſeorſim agemus, proponentes tantum *in hoc capite*, Paracelſi à Dæmone edocti artem novam, & impias propoſitiones, quas illi immiſcuit, novaq; deliria. Paracelſus licet ferè ſemper ebrius maneret, nec ullam librorum, aut ſtudiorum ſequeretur lectionem, aut applicationem, cùm Dæmoni eſſet emancipatus, ab ipſo aliqua recepit principia, quibus ſe medicinę exercitio applicavit, quibus adjunxit Dæmon Chymiam, ut in iis duobus plura impia immiſceret hoc ſuum mancipium; immiſcuit enim ex impiis doctrinis plures ſeu ſuſpectas. Eraſtus ſeptem ejus blaſphemias refert & refutat, impiè etiam *libr. 1. de rebus naturalibus* contendit ſine Patre & matre per artem Chymicam poſſe generari homunculum *libr. 1. Philoſoph. ſagacis*, plures homines tenet ſine Adamo Hebræorum Parente, ab alio Adamo fuiſſe procreatos, quam opinionem impiè ſuſcitavit noſtris temporibus ſuſpectus quidam Hebræus, lapſum primorum parentum tenet in quibuſdam fabulis contineri, *libr. principiorum*, tenet Adamum in paradiſo ſcientias non habuiſſe, *lib. Philoſophiæ* tenet, duo genera carnis habuiſſe Chriſtum Dominum, & alias innumeras proponit propoſitiones, quas Eraſtus & Sennertus ut impias notarunt; ſed iis relictis contendens Paracelſus novam condere medicinæ ſectam, novis ſtabilitam principiis, diſcedens à communi Philoſophorum & medicorum principiis, qui omnium mixtorum quatuor elementa ponunt eſſe principia; Paracelſus tria tantum eſſe illorum principia tenet *Sal*, *Sulphur*, & Mercurium.

Commune etiam principium medicum, quod contraria contrariis curantur, conatur evertere, & potius morbos ſimilibus curari tenet: ex tribus à ſe aſſignatis principiis in corpore immu-

tatis

docet ad ſimilia ex ſimilibus tranſire, ſed nos illius nullam eſſe methodum pro praxi utilem judicamus, & ipſam artis rationem non habere ex Freytagio convincimur, quia ars debet conſtare ex principiorum contemplatione: Empirici non procedunt ex illorum cognitione, aut contemplatione, ſed ex experimentis ſenſibus obviis, & ab ipſis inventis; Tum quia Empirici docti judicant fieri, quia remediorum farraginem cumulant ex diverſis ac ſingularibus experimentis inventam; ſingularia autem habitum certum non generant; ſed inconſtanti eventu infirmum illum reddunt; quam incertitudinem Galenus docet contra ipſos *in fragmento* dicens: *Maximus Empiricorum error eſt, exquiſita ignorantia, ac excellens quædam impudentia & ſtupiditas, ipſam fere pecudum ſtoliditatem ſuperans.* Reprehendit enim quod incertam experientiam, & mutabilem pro ſcientia habeant. Tum conſtat ex Platone: Inquit enim, ſi quod ſtudium, materiam circa quam verſatur, cognoſcit, id ſane ars eſt: ſi non cognoſcit, experientia; ars verò nequaquam; ego verò artem nequaquam vocarem, quæ ſine ratione eſt; tum ars Empirica eſt obſervatio eorum, quæ ſæpe ſimili modo contingunt, experientia enim componitur ex multis ſingularibus; ſed ſingulare eſt inartificioſum, ergo & illud quod fit ex illo erit inartificioſum: Tum quia remediorum ignorant vires, cauſarum & morbi ſpeciem, tempus & occaſionem applicandi illa, aut cur, vel quomodo debent applicari: ergo nec artem, nec methodum ſervant.

***

CAPUT IV.

De Praxi Secta Paracelſi ſeu Severiana.

APud Juniores novæ aliæ medicinæ adauctæ ſunt Hæreſes, ſeu Sectæ Paracelſiſtica, ſeu Severiana, Spagyrica, & Vanhelmonis deliramenta, Paracelſiſtica ſecta, quæ à Philippo Theophraſto Paracelſo, de quo ſupra plura edidimus, fuit Dæmonis ope confecta, in ſuis ſparſis & malè concinnatis libellis, quos conjunxit, & in aliquem ordinem reduxit Petrus Severinus, à quo ideò hæc Secta Severiana fuit vocata, ſed à Paracelſo præcipuè nomen & originem ducit, qui contra Hippocratem & Galenum, Avicennam & contra omnes Dogmaticos Medicos novam medicinæ ſectam conatus eſt condere, ut latius proſequitur Sennertus, *tomo tertio*, illorumque ſe victricem prædicat, *in præfatione Paragrani*, dicens, Avicennam, Galenum, Rhaſen, Montagnanam, Meſuem, Pariſienſes, Monſpelienſes, Suevos, Misnicos, Colonienſes, & quotquot Danubium & Rhenum accolunt, Inſulas Maris, Italiam, Dalmatiam, Athenas, Græcos, Arabes, Iſraelitas, ſe monarcham ſapientiæ conſtitutum ſequi debere. Paracelſi Diſcipuli ejus impudentia, & doctrina nutriti, ejus ſubſequuntur arrogantiam, inter quos Crollius audet dicere: *Nullus mortalium in univerſa Philoſophia & Medicina, indubitato cœli favore tam ardua & abdita arcana ſcivit & in publicum protulit ſicut Theophraſtus ille Paracelſus, Vir & Philoſophus omni æternitatis memoria & honore digniſſimus, cujus peritiam nemo inventus, qui attigerit, nedum ſuperare potuerit, verus medi-*

Digitized by Google

medicinæ monarcha, & *primus microcoſmi medicus*. Henningius aſſerit, quod doctrinã Hermeticam & Hippocraticam peculiari Spiritus S. aſſiſtentia complevit: ſed à quo Spiritu illam didicit docet Operinus *in ſua Epiſtola* dicens: quod adeo erat ebrietati deditus, ut vix per horam ſobrius potuerit reperiri, & quod nunquam illum viderit orare, nec curabat Eccleſiaſtica Sacra; Bulſingerus de illo profert, quod ex omnibus ejus ſermonibus pietatis nihil intelligere de illo potuit, & quod magiæ plurimum fuit deditus, & quod nunquam ingrediebatur Cœtus Sacros. Eraſtus tenet de illo ex Vetero: *Nihil magis metui quoties ebrius erat erat autem frequenter, quam ut agmen diabolorum arceſſeret, quod ſæpe-numero facere voluit:* Et addit; *Cum ſobrium monerem ut iſt hac miſſa faceret, quod Deum graviter offenderet, quodq́, extremum ſtipendium triſte perſolvere ſolitus ſit famulis ſuis Diabolus; reſpondebat, ſe non multo poſt receptui cantaturum.* Et *in ſuo lib. de Philoſophia occulta,* ipſe Paracelſus protulit: *Medicus non omnia quæ poſſe, & ſcire debet in Academiis diſcere, & cognoſcere poteſt, ſed interdum vetulas, Zigeunos, Necromanticos, Agyrtas, ſeniores Ruſticos.* Et ſimiles addebat: In theſauro Alchymiſtarum dicit ſe literas à Galeno ex inferno accepiſſe, & cum Avicenna in veſtibulo inferni de lapide philoſophorum & aliis diſputaſſe; Ex hoc ſpiritu diabolico ſuam didicit ſectam medicinæ, quam impiis præceptis cumulavit, & ut impia dogmata poſſet occultare, adjunxit ſuæ Sectæ artem Spagyricam, quæ cum illo antiquior ſit, & à ſuis principiis diverſa, de ipſa ſeorſim agemus, proponentes tantum *in hoc capite*, Paracelſi à Dæmone edocti artem novam, & impias propoſitiones, quas illi immiſcuit, novaq; deliria. Paracelſus licet ferè ſemper ebrius maneret, nec ullam librorum, aut ſtudiorum ſequeretur lectionem, aut applicationem, cùm Dæmoni eſſet emancipatus, ab ipſo aliqua recepit principia, quibus ſe medicinę exercitio applicavit, quibus adjunxit Dæmon Chymiam, ut in iis duobus plura impia immiſceret hoc ſuum mancipium; immiſcuit enim ex impiis doctrinis plures ſeu ſuſpectas. Eraſtus ſeptem ejus blaſphemias refert & refutat, impiè etiam *lib. 1. de rebus naturalibus* contendit ſine Patre & matre per artem Chymicam poſſe generari homunculum *lib. 1. Philoſoph. ſagacis*, plures homines tenet ſine Adamo Hebræorum Parente, ab alio Adamo fuiſſe procreatos, quam opinionem impiè ſuſcitavit noſtris temporibus ſuſpectus quidam Hebræus, lapſum primorum parentum tenet in quibuſdam fabulis contineri, *lib. principiorum*, tenet Adamum in paradiſo ſcientias non habuiſſe, *lib. Philoſophiæ* tenet, duo genera carnis habuiſſe Chriſtum Dominum, & alias innumeras proponit propoſitiones, quas Eraſtus & Sennertus ut impias notarunt; ſed iis relictis contendens Paracelſus novam condere medicinæ ſectam, novis ſtabilitam principiis, diſcedens à communi Philoſophorum & medicorum principiis, qui omnium mixtorum quatuor elementa ponunt eſſe principia; Paracelſus tria tantum eſſe illorum principia tenet Sal, Sulphur, & Mercurium.

Commune etiam principium medicum, quod contraria contrariis curantur, conatur evertere, & potius morbos ſimilibus curari tenet: ex tribus à ſe aſſignatis principiis in corpore immu-

tatis

Digitized by Google

tatis, triplex aſſignat genus morborum; dicit enim dari morbos mercurios, Sulphureos, & à Sale ortos; hos vocat tartareos, & hos per ſimilia remedia contendit curari, per ignem extracta ex Mercurio, Sulphure & Sale, ſeu tartaro; & iuxta has differentias morborum per Chymiam plures ignis vi elicit ſubſtantias, pluràque Spagyrica Medicamenta, per quæ ſuas eliciebat curationes, licèt ipſe ope dæmonis plures conſequebatur, quam ſui Sectatores, quorum alii ſuis manent adſtricti impoſturis, & impiis doctrinis, alii impietate relicta, communiora hæc principia receperunt ab illo, & in remediis Spagirica arte elaborandis ſiſtunt, ipſis fidentes, & omnibus in illis omnium morborum curationem promittentes.

Secta Paracelſi falſis nititur principiis, quia licet evertere conetur antiquorum doctrinam, quod mixta ex elementis fiant, quatenus ex Sale, Sulphure, & Mercurio omnia fieri tenet, dato tamen quod per ignem extrahantur hæ tres ſubſtantiæ; mixtæ tamen ſunt, & ex quatuor elementis unaquæque conſtat, in quæ ultimo reſolvuntur tanquam in prima principia. Nec valuit evertere, quod contraria curentur contrariis. Manifeſte docemur ex ſeſtu, quod à contrariis fit corruptio, & à ſimilibus conſervatio; non enim alteramur à ſimili frigore aut calore, ſed ab iis contrariis, & excedentibus, & ſi qui morbi curantur per Tartarea, aut Sulphurea medicamenta, curatio non fit per Tartari, aut Sulphuris ſimilitudinem, ſed per appoſitas illorum vires morbo, aut illius cauſæ, unde ex iis principiis nullam poſſum obſervare Praxim, aut Methodum curativam, nec ex modo, quo Paracelſiſtæ ſuis utuntur medicamentis Spagyricis: nam licet ipſa valeant vi ignis extrahere, tamquam indocti Empirici eis utuntur, & ſine methodo, & ordine abutuntur illis, de reliquis impiis propoſitionibus & impoſturis, quas Paracelſus injunxit ſuæ ſectæ, non ipſe tanquam Sectæ medicinæ Autor protulit illas, ſed tanquam impium dæmonis mancipium, qui illud non elegit tanquam Medicum, ſed ut ſub prætextu medicinæ plures deteſtabiles ſpargeret propoſitiones, blaſphemias impias, & diabolicæ malignitatis plenas, quæ ideò ut deteſtabiles & damnatæ fugiendæ.

CAPVT V.

De Praxi Artis Spagyricæ ſeu Chymicæ.

ARs Spagyrica, non eſt medicinæ Secta, ſed Ars Dogmaticæ Medicinæ miniſtra, ſub Pharmaceutica contenta. Alſtedius *libr.* 3. *Encyclopediæ*, tenet, quod eſt ars, quæ artificioſa medicamentorum præparatione Pharmaceuticam auxit, & variis ac magnificis majori ex parte vi ignis extractis medicamentis, illam inſtruxit: Spagyrica vocatur à Paracelſiſtis, ab aliis Chemia, Chymia, Alchymia, Philoſophia, Ars Hermetica, ſegregatoria, perfecti magiſterii, deſtillatoria, ſeparatoria, quia præcipuè verſatur circa metalla, & mineralia, ut ignis, ipſa perficiendo, aut ſeparando, ſed Spagyrici juniores circa omnia mixta ſuas igneas exercent operationes, ut puriores ſeparent ſubſtantias, & ſelectiora præparent medicamenta: ipſam definit Sennertus, quod ſit *Ars corpora naturalia compoſita, ſive concreta in ea ex quibus na-*

Digitized by Google

bus naturaliter conſtant reſolvendi , reſolutaque pura , & viribus validiſſima reddendi , ut utilia medico præbeant remedia ; vel Metallorum perfectionibus , & transmutationibus deſerviant.

Hanc artem Paracelſi diſcipuli totam convertũt ad medicamentorũ præparationem , ipſam Spagyricam vocant. Paracelſo aliqui illorum conantur adſcribere ; ſed Sennertus & Libavius vetuſtiorem ex aliis Authoribus ejus deducunt originem. Ioubertus inventum fuiſſe Arabum tenuit : ad Adamum recurrunt alii : Alii ad Tubal Caïnum , ſed poſt diluvium præcipuè ſuſcitata fuit ab Hermete Triſmegiſto , dilucidataque à Salomone ; tractu temporum plures Artem hanc excoluerunt , præcipue per plures annos inquit Sennertus latuit apud Monachos ; inter quos floruerunt Raymundus Lullius , Albertus Magnus, Iob de Rupe ſciſſa , Savaranola , Morienus, Roguerius, Trithemius, Frater Baſil. Valentius;Poſt hos quoad uſum Medicum præcipuè Spagyricam Artem auxit Paracellus à Dæmone magnâ ex parte inſtructus , in inferno enim ipſam ab Avicenna didiciſſe gloriatur , ad hæc adjutus etiam fuit aliorum Chymicorum Scriptis Setthagii Epiſcopi , Erharti Laventarii , Nicolai Hipponenſis Epiſcopi , Matthæi Schachii Suffraganei Freſſingenſis , Abbatis Sphahornii , & aliorum ; illum ſecuti ſunt Petrus Severinus , Alexander Sucrenius, Dornæus , Phædro , Dornheinſetus, Libavius , Quercetanus ; Hamyſinchet , Beguinus , Artmanus, Croderus , & alii innumeri , qui Paracelſi fuêre adſtricti doctrinæ, & impoſturis, ſaltim ſupperaddendo illius doctrinæ, ſi non abſurdas doctrinas , à quibus ægrè deviant , inuſitatas tamen voces, ex quibus obſcuritatẽ pariant, & ſuas involvant operationes , characteres fingunt , qui ut intelligantur ,novo indigent illorum Commento , quo ſua figmenta patefiant, ut latius patet apud Scroderum. Diſcedunt à communi uſu Pharmacopolarum in ſuis nominandis operationibus,vi ignis eliciendis , majorique ex parte , ac præcipuè per ſolutionem , calcinationem, extractionem , coagulationem, & lutationem operantur, per quas eliciunt ſales, flores, magiſteria, tincturas, elixir, balſama, ſpiritus, aquas fortes, extracta, quintaſque eſſentias.

Quoad praxim Spagyricorum attinet, alii non ſiſtunt in ſuis operationibus , alii ſiſtunt in illis , qui non ſiſtunt , ſed ſuis utuntur medicamentis , & cum illis conantur medicinam exercere , Empirici fiunt, ſine arte & methodo eis utuntur , & cum majori periculo , quam reliqui Circulatores ; quia quanto hæc medicamenta efficaciora ſunt in virtute , tanto magis periculoſiora ; cum ab eis ſine arte & methodo applicentur , & ſine dignotione morborum, quibus debeant applicari ; ob iſtos deperditos nebulones hæc ars malè audit, & tanquam peſtifera ab aliquibus vulgaribus , & ab aliquibus medicis Spagyricorum medicamentorum ignaris judicatur. Spagyrici verò , qui ſiſtunt in eis elaborandis Spagyricis medicamentis, Artifices ſunt miniſtri Dogmaticæ medicinæ ſub Pharmacopæa, quam exercent, & operantur tanquam peritiores illius Artifices, & ideò hæc Ars recipienda eſt à Dogmaticis Medicis , ut ſcientificè eorũ utantur medicamentis , ut latius alibi demonſtravimus , & tenent plurimi ibi à nobis citati. Et præcipuè ex claſſicis Authoribus confirmant

firmant, Matthiolus *lib.* 4. *epiſt.* dicit, neminem medicum abſolutum eſſe poſſe, immò nec mediocrem, qui in Spagyrica arte non ſit exercitatus: Libavius in Alchymia triumphante, inquit: *Poſtquam ex Arabica & Græca diſciplina factum eſt unum corpus medicinæ, Chymica in eſſentiam quoque Artis ſunt recepta, adeò ut ſi iterum ſeparanda eſſent, medicinam haberemus admodùm membro mutilatam.* Et ratio convincit: quia Dogmaticus medicus debet omnium medicamentorum vires cognoſcere, quæ utilia ſunt pro morbis curandis, ſi ſcientificè ab ipſis applicentur; Sed Spagyrica medicamenta pro pluribus curandis morbis ſunt ex uſu, ſi debitè applicentur; ergò Spagyrica ars prout eſt pars pharmaceuticæ, docens ſpagyrica medicamenta operari maximè recipienda à Dogmaticis.

Conſtans ergo ſit pro praxi, quod de mineralibus metallis & mixtis agunt Philoſophi tanquam ſpeculatores entis naturalis per habitum ſcientificum ſcientiæ; Agunt Spagyrici per Artem Spagyricam, quæ docet artificioſa operatione, ac manuali ſeparare ſubſtantias, quæ medicamenti vim habent ab aliis; ſicut & alii artifices verſus eadem verſantur manuali operatione per alias artes. Medici vero Dogmatici ſpeculantur medicamenta ab Spagyricis inventa, & ſeparata ſcientificè ſpeculando eorum virtutes medicinales, ut ſcientificè eis utantur pro morbis curandis, tutò, citò, & iucundè, præcipuè dum vires medicamentorum uſualium inferiores apparent ad morbos curandos.

****
*

CAPUT VI.

De Praxi Vanhelmontii imaginaria.

IN *Reſolutionibus Medicis p.* 3. plura propoſuimus Vanhelmontii figmenta, illiuſque delineavimus ideas: fuit enim Medicus idealis varius in doctrinis, conſtans ultimò in ſuis deliriis, quæ typis mandavit. Profeſſus fuit primò Dogmaticam medicinam, & ab illa ſe transtulit in Paracelſiſticam ſectam, recepitque ex illâ quidquid Paracelſus evomuit contra Medicos Rationales; & tandem conatus eſt novam condere ſectam, Paracelſiſticam reliquit, totusque ſe tradidit in deducendis conviciis in Galeni Sectatores, quæ à Paracelſiſtis tranſtulit: poſteà verò in evertendis principiis antiquæ Philoſophiæ ab Ariſtotele traditæ, & antiquæ medicinæ à Galeno & reliquis dogmaticis ex Hippocrate deductæ, quæ omnia promittit in limine ſuorum operum, ſuperaddens interim, *morborum anatomen per veras illorum radices inſtituam, ac nonnullos ſubinde ſubter argumenti occaſionem à communi errore ſequeſtrando, enucleabo*: Et ſuperaddit: *ut non per contraria, neque per ſimilia, ſed dumtaxat per dotata, & appropriata inſtituantur medela, & ſanationes. Quorſum ſane opus fuit totam antiquorum Philoſophiam deſtruere, atque innovare ſcholarum Phyſices documenta.*

Hæc ut deſtruat, omnē Ariſtotelis conatur invertere doctrinam; omnia negare, & impugnare Philoſophorum recepta principia. Pertranſit ad impugnandum Galenum; eius Diſcipulos vocat humoriſtas; negat dari humores in corpore humano

mano, nec morbos ex ipſis poſſe oriri; in febribus, & aliis curandis morbis tenet nulla auxilia à Medicis uſque adhuc recepta poſſe eſſe ex uſu: impugnat ſanguinis miſſionem: purgationem, clyſteres, ænemata, frictiones, cucurbitulas, ſyrupos,& omnia pharmaceutica auxilia, diæterica,& Chyrurgica, ſimul & ſpagyrica auxilia. Ablatis igitur omnibus Philoſophiæ, & Medicinæ principiis& ut ipſe ſomniavit, penitùs ſubverſis, ut novam medicinæ ſectam doceat, incipit delirare, dicitque quod ille ſolus meruit, ut in ſomniis à Deo per revelationem receperit ſcientiam medicinæ,&Philoſophiæ omnibus denegantē ante ipſum, & quærens ſuæ ſectæ nova principia, recurrit ad læſam imaginationem, qua jam laborabat. Morbum conſtituit in depravata imaginatione, à deturbato Archæo, illum aſſerit non eſſe accidens, conſiſtere tamen in depravatione imaginationis, quam ſupponit non eſſe ens: in iis ſtatuendis implicationibus plurimū temporis conſumit, & cum morbū fecerit imaginarium,& hoc ſuæ phantaſiæ conſtituit principium, alterum principium deducit, quod curatio debeat converti ad imaginationis medelam, & ut hoc adinveniat auxilium poſtquam *in lib. de febribus* convictus maneat, quod nullum dogmaticorum remedium ſit utile pro febribus curandis, ille promittit unicum pro omnibus febribus, & tanquam ſpecificum, hocque dicit eſſe diaphoreticum, cum quo omnes febres promittit curare, & etiam hecticas, ſimili enim modo contendit reſolvere emaciatos, & redundantes ſuccos, cumque quæ promittit miracula, & ſanationes, non contingerent, nec impoſtura promiſſorum pateficeret, promittit quoddam ſpecificum febrifugium cum quo omnis febris curetur, ſubterfugit, ne cognoſcantur ingredientia, & manefeſtetur impoſtura, & ideò illorum ingredientia involvit inuſitatis, & nihil ſignificantibus terminis, & cum adhuc ex hoc novo figmento ægri nullam opem conſequerentur, ut ſuos ſequaces dubios ſaltem redderet in ſuis promiſſis, recurrebat ad Deum, aſſerens quod ſuum febrifugium non ſemper habebat vim curandi, niſi dum Deus peculiari auxilio concurrebat ad illius compoſitionem. Subtile quidem inſanientis ſubterfugium, omnia excludit remedia uſualia experta, & naturalia ad febres curandas, & dum exoptatur ab eo remedium ad morbos imaginarios ab illo repertos, recurrit ad Dei Omnipotentiam, à qua ſi velit nemo dubitat, quod eſt efficax omnium morborum remedium. Nec mirari licet impoſtorem, & inſanientem permanere in ſuis fallaciis, impoſturis, cavillationibus, & quod errans in uno in omnibus illi connexis ſimul erret, aut alios conetur fallere; ſed maxime licet mirari, quod ſint homines non inſanientes, qui cum illo inſanire voluerint. De hac praxi imaginaria ſatis conſtat, quantum diſtet à Rationali.

Magis adhuc mirari licebit, quod inter recentiores Riverius Doctiſſimus Medicus Dogmaticus ſapiat naturam imaginariæ Praxis, per plures enim obſervationes fatetur febres curaſſe cum ſuo febrifugio, & Centuria 3. in fine illud proponit dicens: Componitur ergo hoc pretioſum medicamentum ex triplici Hercule duodecim laboribus ad ſummam nobilitatem evecto, quibus tamen quartus Athleta additur, operis complementum efficiens; licet enim in hoc loquendi modo ſe oſtentat

Paracelſiſticum cum rem non proponat, ſed fucata verba adhuc intra imaginationem ſuum febrifugium retinuiſſe videtur.

SECTIO II.

De concurentibus ad Praxim Dogmaticorum.

DE Praxi aliena à Medicina Dogmaticorum egimus: reſtat ut deveniamus ad Praxim Rationalium Medicorum, ad quam concurrunt plures; Natura tanquam morborũ curatrix, Medicus Dogmaticus tanquam ejus adjutor Architectonicus, præſcribens media, per quæ poteſt natura juvari; Miniſtri, tanquam illi ad quos pertinet exercere, quæ ab Architectonico medico præſcribuntur, ut patebit ex ſubſequentibus.

CAPUT I.

Quid ſit natura, & quomodo concurrat ad praxim.

NAtura ex Ariſtotele, eſt *principium, & cauſa motus, & quietis eius in quo eſt per ſe, & non ſecundùm accidens:* Iuxta varias recipitur acceptiones ex Hugone victore ſumitur pro mente Divinâ omnium rerum Opifice; vel ſumitur pro cujusque rei eſſentia: Ariſtoteles ſumit eam pro totâ univerſitate rerum 12. *Metaphyſica*; vel ſumitur pro cauſis naturalibus operantibus juxta inſitam propenſionem: Galenus nativum calorem vocavit naturam, *lib. Art. Medic.* vel ex Seneca. Quid enim aliud eſt natura quàm Deus, & Divina ratio, toti mundo & partibus eius inſerta; huic acceptioni inhæret Galenus, *lib. 6. de morb. vulg.* docens: naturam eſſe Artificem, animalibus conſulere, ac vim quandam eſſe inhabitantem in ipſis corporibus, quæ ab eâ reguntur; & juxta hanc acceptionem, de naturâ dicimus, quòd eſt morborum curatrix, licet juxta alias acceptiones Hippocrates, & Galenus illam corpus gubernare contendant: Hippocrates enim noſtram naturam contendit eſſe quatuor humores; *lib. 1. de morb. vulgarib.* naturam dividit in communem & propriã uniuſcujuſque, & hanc non diſtinguit ab humoribus; alias à temperamento Galenus, *lib. de temperam.* naturam particularem non diſtinguit à ſubſtantia, & temperie, quæ proveniunt ab elementis, idem tenet *de natura facultat. lib. 1. Aphoriſm: Comment.* 15. & *lib.* 11. *Method.* particularem hominis naturam adimplet ex partibus ſeminalibus, & carnoſis, & ex Spiritu. Nos per naturam intelligimus vim cuique rei inſitam ad ſui conſervationem: hanc Hippocrates vocavit Medicatricem morborum, & judicat artificem eſſe animalibus conſulentem, ut inſtinctu operentur per ſudores, per lotium, per dejectiones, & alias evacuationes, præcipuè per inſenſilem halitum humores infectos continuò profundit: Copioſius & majori conatu dum magis gravatur: hæc corpus alit & conſervat alimentum, præparat, concoquit, elaborat, & in aliti ſubſtantiam mutat: hæc docet animal utilia proſequi ad alimentum propelli abortu, noxium fugere; *ut Galen. lib. 6. Epidem.* demonſtrat experientia; Vidiſtis (inquit) cùm viventem capram diſſecarem fœtus ex ipſâ ligata extractus

Digitized by Google

tractus, ut humi depoſitus quatuor pedibus ambulare incœperit à nullo edoctus, ambulandi cauſa membra hæc corpori eſſe ſubjecta: & paulò poſteriùs: ſupervacuum humorẽ quo eius cutis exteriùs circumfuſa erat excuſſerit atque uno iterũ ex pedibus paulo poſt coſtas ſibi ſcalpſerit, ex quo vos omnes præſentes exclamaviſtis primũ quidem quod ipſe ſymptomatis medelam abſque doctore invenerit; ſecundò quòd per hoc membrũ ſolum id fieri poſſit: tertiò quod per hunc modum, quod infantes & reliqua animalia ſine doctrina facere cernuntur. Quæ omnia admirabilem quandam naturæ erga animalia providentiam indicant, per quam & ſecunda valetudine fruentia conſervantur; & ægrotantia morbo liberantur. Hæc Galenus, qui ſimilem referens Hiſtoriam *lib.6.de loco affect.* de hædo ſic diſſecto & delato, ubi erant plures liquores, ſpretis reliquis, tenet, quòd lac doctus à natura abſorbet, & *lib. 1. de uſu part.* obſervat animalia & aves adhuc ſi non perfecta hebeant inſtrumenta ad conſervationem deſtinata, habere conatum operandi per illa ab ipſa naturâ, ut vitulus, qui cornibus, quæ nondum habet feriat; parvus aper cũm dentibus, quos non habet, & canis contendunt mordere, quia natura inſita contendit cujuſque rei naturalem ſtatum: ideo Tullius *lib.1.de officiis* inquit; Principio enim generi animantium omni eſt natura tributum; ut ſe vitam corpuſque tueatur declinetque ad vivendum neceſſaria; ſicut natura contendit animal foveri, & conſervari, & hoc in utero, & partu molitur quàm maximè; ſimiliter, & in amiſſa ſanitate illius contendit adquiſitionem, & tanquam vera miniſtra ſanationis praxi contendit per ſuas facultates ſanitatem adquirere; ideò Hippocrates & Galenus docent naturam eſſe curatricem morborum naturam in omnibus auxiliari, morbos judicare; & ſumma quadam providentia corpori noſtro proſpicere: ideò nos alit, excrementa continuò expellit; in morbis cryſes aggreditur, ut noxios humores morbos cauſantes à corpore pellat; materiam quam concoquere, & regulari nequit in juvativo, concoquit in nocitivo, ut valeat aliqualiter regulari, ab utili inutile ſeparari, & extra corpus pelli, in extenuatis, renutritione morbos curat; in tumoribus contentam reſoluit materiam, aut vertit in pus, cum quo abceſſum rumpit; expellit pus quantum poteſt, & carnem generari contendit in ulceribus, & vulneribus, quæ aliter unire nequit, per vias ſæpè à nobis incognitas docta ſine doctore expellit, & deſperatos vincit morbos; ſi qui ſint parvi morbi, ipſos ſola devincit; ſi qui ſint vehementes exuperantes illius vires, eos Artis adjuvamine vincit; ſi qui inſuperabiles conatus apponit, & mortem differt; & ſemper agit ſecundum ultimum potentiæ, ut animal valeat conſervare. Pullulat ab illa ſola ſanitas pro formali; quæ *eſt diſpoſitio ſecundùm naturam à qua debitè eliciuntur vitales operationes*: hæc autem reſultat ex debita unione partium, debita earum conformatione; & debita temperie; nec eſt à quo poſſit iis poſitis reſultare, niſi ab anima: eſt enim ſanitas paſſio viventis, ut docet Galenus, *lib.de different. morbor.* & ideò à ſola vivente forma valet reſultare, quatenus informat partes fruentes temperie; compoſitione, & unione debitis pro eliciendis actionibus vitalibus.

firmant, Matthiolus *lib.* 4. *epiſt.* dicit, neminem medicum abſolutum eſſe poſſe, immò nec mediocrem, qui in Spagyrica arte non ſit exercitatus: Libavius in Alchymia triumphante, inquit: *Poſtquam ex Arabica & Græca diſciplina factum eſt unum corpus medicinæ, Chymica in eſſentiam quoque Artis ſunt recepta, adeò ut ſi iterum ſeparanda eſſent, medicinam haberemus admodùm membro mutilatam.* Et ratio convincit: quia Dogmaticus medicus debet omnium medicamentorum vires cognoſcere, quæ utilia ſunt pro morbis curandis, ſi ſcientificè ab ipſis applicentur; Sed Spagyrica medicamenta pro pluribus curandis morbis ſunt ex uſu, ſi debitè applicentur; ergò Spagyrica ars prout eſt pars pharmaceuticæ, docens ſpagyrica medicamenta operari maximè recipienda à Dogmaticis.

Conſtans ergo ſit pro praxi, quod de mineralibus metallis & mixtis agunt Philoſophi tanquam ſpeculatores entis naturalis per habitum ſcientificum ſcientiæ; Agunt Spagyrici per Artem Spagyricam, quæ docet artificioſa operatione, ac manuali ſeparare ſubſtantias, quæ medicamenti vim habent ab aliis; ſicut & alii artifices verſus eadem verſantur manuali operatione per alias artes. Medici vero Dogmatici ſpeculantur medicamenta ab Spagyricis inventa, & ſeparata ſcientificè ſpeculando eorum virtutes medicinales, ut ſcientificè eis utantur pro morbis curandis, tutò, citò, & iucundè, præcipuè dum vires medicamentorum uſualium inferiores apparent ad morbos curandos.

CAPUT VI.

De Praxi Vanhelmontii imaginaria.

IN *Reſolutionibus Medicis p.* 3. plura propoſuimus Vanhelmontii figmenta, illiuſque delineavimus ideas: fuit enim Medicus idealis varius in doctrinis, conſtans ultimò in ſuis deliriis, quæ typis mandavit. Profeſſus fuit primò Dogmaticam medicinam, & ab illa ſe tranſtulit in Paracelſiſticam ſectam, recepitque ex illâ quidquid Paracelſus evomuit contra Medicos Rationales; & tandem conatus eſt novam condere ſectam, Paracelſiſticam reliquit, totuſque ſe tradidit in deducendis conviciis in Galeni Sectatores, quæ à Paracelſiſtis tranſtulit: poſteà verò in evertendis principiis antiquæ Philoſophiæ ab Ariſtotele traditæ, & antiquæ medicinæ à Galeno & reliquis dogmaticis ex Hippocrate deductæ, quæ omnia promittit in limine ſuorum operum, ſuperaddens interim, *morborum anatomen per veras illorum radices inſtituam, ac nonnullos ſubinde ſubter argumenti occaſionem à communi errore ſequeſtrando, enucleabo*: Et ſuperaddit: *ut non per contraria, neque per ſimilia, ſed dumtaxat per dotata, & appropriata inſtituantur medelæ, & ſanationes. Quorſum ſanè opus fuit totam antiquorum Philoſophiam deſtruere, atque innovare ſcholarum Phyſices documenta.*

Hæc ut deſtruat, omne Ariſtotelis conatur invertere doctrinam; omnia negare, & impugnare Philoſophorum recepta principia. Pertranſit ad impugnandum Galenum; eius Diſcipulos vocat humoriſtas; negat dari humores in corpore humano

mano, nec morbos ex ipſis poſſe oriri; in febribus, & aliis curandis morbis tenet nulla auxilia à Medicis uſque adhuc recepta poſſe eſſe ex uſu: impugnat ſanguinis miſſionem: purgationem, clyſteres, ænemata, frictiones, cucurbitulas, ſyrupos, & omnia pharmaceutica auxilia, diæterica, & Chyrurgica, ſimul & ſpagyrica auxilia. Ablatis igitur omnibus Philoſophiæ, & Medicinæ principiis & ut ipſe ſomniavit, penitùs ſubverſis, ut novam medicinæ ſectam doceat, incipit delirare, dicitque quod ille ſolus meruit, ut in ſomniis à Deo per revelationem receperit ſcientiam medicinæ, & Philoſophiæ omnibus denegantē ante ipſum, & quærens ſuæ ſectæ nova principia, recurrit ad læſam imaginationem, qua jam laborabat. Morbum conſtituit in depravata imaginatione, à deturbato Archæo, illum aſſerit non eſſe accidens, conſiſtere tamen in depravatione imaginationis, quam ſupponit non eſſe ens: in his ſtatuendis implicationibus plurimū temporis conſumit, & cum morbū fecerit imaginarium, & hoc ſuæ phantaſiæ conſtituit principium, alterum principium deducit, quod curatio debeat converti ad imaginationis medelam, & ut hoc ad inveniat auxilium poſtquam *in lib. de febribus* convictus maneat, quod nullum dogmaticorum remedium ſit utile pro febribus curandis, ille promittit unicum pro omnibus febribus, & tanquam ſpecificum, hocque dicit eſſe diaphoreticum, cum quo omnes febres promittit curare, & etiam hæcticas, ſimili enim modo contendit reſolvere emaciatos, & redundantes ſuccos, cumque quæ promittit miracula, & ſanationes, non contingerent, nec impoſitura promiſſorum pateficeret, promittit quoddam ſpecificum febrifugium cum quo omnis febris curetur, ſubterfugit, ne cognoſcantur ingredientia, & manefeſtetur impoſtura, & ideò illorum ingredientia involvit inuſitatis, & nihil ſignificantibus terminis, & cum adhuc ex hoc novo figmento ægri nullam opem conſequerentur, ut ſuos ſequaces dubios ſaltem redderet in ſuis promiſſis, recurrebat ad Deum, aſſerens quod ſuum febriſugium non ſemper habebat vim curandi, niſi dum Deus peculiari auxilio concurrebat ad illius compoſitionem. Subtile quidem inſanientis ſubterfugium, omnia excludit remedia uſualia experta, & naturalia ad febres curandas, & dum exoptatur ab eo remedium ad morbos imaginarios ab illo repertos, recurrit ad Dei Omnipotentiam, à qua ſi velit nemo dubitat, quod eſt efficax omnium morborum remedium. Nec mirari licet impoſtorem, & inſanientem permanere in ſuis fallaciis, impoſituris, cavillationibus, & quod errans in uno in omnibus illi connexis ſimul erret, aut alios conetur fallere; ſed maxime licet mirari, quod ſint homines non inſanientes, qui cum illo inſanire voluerint. De hac praxi imaginaria ſatis conſtat, quantum diſtet à Rationali.

Magis adhuc mirari licebit, quod inter recentiores Riverius Doctiſſimus Medicus Dogmaticus ſapiat naturam imaginariæ Praxis, per plures enim obſervationes fatetur febres curaſſe cum ſuo febrifugio, & Centuria 3. in fine illud proponit dicens: Componitur ergo hoc pretioſum medicamentum ex triplici Hercule duodecim laboribus ad ſummam nobilitatem evecto, quibus tamen quartus Athleta additur, operis complementum efficiens; licet enim in hoc loquendi modo ſe oſtentat

firmant, Matthiolus *lib. 4. epiſt.* dicit, neminem medicum abſolutum eſſe poſſe, immò nec mediocrem, qui in Spagyrica arte non ſit exercitatus: Libavius in Alchymia triumphante, inquit: *Poſtquam ex Arabica & Græca diſciplina factum eſt unum corpus medicinæ, Chymica in eſſentiam quoque Artis ſunt recepta, adeò ut ſi iterum ſeparanda eſſent, medicinam haberemus admodum membro mutilatam.* Et ratio convincit: quia Dogmaticus medicus debet omnium medicamentorum vires cognoſcere, quæ utilia ſunt pro morbis curandis, ſi ſcientificè ab ipſis applicentur; Sed Spagyrica medicamenta pro pluribus curandis morbis ſunt ex uſu, ſi debitè applicentur; ergò Spagyrica ars prout eſt pars pharmaceuticæ, docens ſpagyrica medicamenta operari maximè recipienda à Dogmaticis.

Conſtans ergo ſit pro praxi, quod de mineralibus metallis & mixtis agunt Philoſophi tanquam ſpeculatores entis naturalis per habitum ſcientificum ſcientiæ; Agunt Spagyrici per Artem Spagyricam, quæ docet artificioſa operatione, ac manuali ſeparare ſubſtantias, quæ medicamenti vim habent ab aliis; ſicut & alii artifices verſus eadem verſantur manuali operatione per alias artes. Medici verò Dogmatici ſpeculantur medicamenta ab Spagyricis inventa, & ſeparata ſcientificè ſpeculando eorum virtutes medicinales, ut ſcientificè eis utantur pro morbis curandis, tutò, citò, & iucundè, præcipuè dum vires medicamentorum uſualium inferiores apparent ad morbos curandos.

* * * * *

CAPUT VI.

De Praxi Vanhelmontii imaginaria.

IN *Reſolutionibus Medicis p. 3.* plura propoſuimus Vanhelmontii figmenta, illiuſque delineavimus ideas: fuit enim Medicus idealis varius in doctrinis, conſtans ultimò in ſuis deliriis, quæ typis mandavit. Profeſſus fuit primò Dogmaticam medicinam, & ab illa ſe tranſtulit in Paracelſiſticam ſectam, recepitque ex illâ quidquid Paracelſus evomuit contra Medicos Rationales; & tandem conatus eſt novam condere ſectam, Paracelſiſticam reliquit, totuſque ſe tradidit in deducendis conviciis in Galeni Sectatores, quæ à Paracelſiſtis tranſtulit: poſteà verò in evertendis principiis antiquæ Philoſophiæ ab Ariſtotele traditæ, & antiquæ medicinæ à Galeno & reliquis dogmaticis ex Hippocrate deductæ, quæ omnia promittit in limine ſuorum operum, ſuperaddens interim, *morborum anatomen per veras illorum radices inſtituam, ac nonnullos ſubinde ſubter argumenti occaſionem à communi errore ſequeſtrando, enucleabo*: Et ſuperaddit: *ut non per contraria, neque per ſimilia, ſed dumtaxat per dotata, & appropriata inſtituantur medela, & ſanationes. Quorſum ſane opus fuit totam antiquorum Philoſophiam deſtruere, atque innovare ſcholarum Phyſices documenta.*

Hæc ut deſtruat, omnē Ariſtotelis conatur invertere doctrinam; omnia negare, & impugnare Philoſophorum recepta principia. Pertranſit ad impugnandum Galenum; eius Diſcipulos vocat humoriſtas; negat dari humores in corpore humano

mano, nec morbos ex ipſis poſſe oriri; in febribus, & aliis curandis morbis tenet nulla auxilia à Medicis uſque adhuc recepta poſſe eſſe ex uſu: impugnat ſanguinis miſſionem: purgationem, clyſteres, ænemata, frictiones, cucurbitulas, ſyrupos,& omnia pharmaceutica auxilia, diætetica,& Chyrurgica, ſimul & ſpagyrica auxilia. Ablatis igitur omnibus Philoſophiæ, & Medicinæ principiis& ut ipſe ſomniavit, penitùs ſubverſis, ut novam medicinæ ſectam doceat, incipit delirare, dicitque quod ille ſolus meruit, ut in ſomniis à Deo per revelationem receperit ſcientiam medicinæ, &Philoſophiæ omnibus denegantē ante ipſum, & quærens ſuæ ſectæ nova principia, recurrit ad læſam imaginationem, qua jam laborabat. Morbum conſtituit in depravata imaginatione, à deturbato Archæo, illum aſſerit non eſſe accidens, conſiſtere tamen in depravatione imaginationis, quam ſupponit non eſſe ens: in iis ſtatuendis implicationibus plurimū temporis conſumit, & cum morbū fecerit imaginarium,& hoc ſuæ phantaſiæ conſtituit principium, alterum principium deducit, quod curatio debeat converti ad imaginationis medelam, & ut hoc adinveniat auxilium poſtquam *in lib. de febribus* convictus maneat, quod nullum dogmaticorum remedium ſit utile pro febribus curandis, ille promittit unicum pro omnibus febribus, & tanquam ſpecificum, hocque dicit eſſe diaphoreticum, cum quo omnes febres promittit curare, & etiam hæcticas, ſimili enim modo contendit reſolvere emaciatos, & redundantes ſuccos, cumque quæ promittit miracula, & ſanationes, non contingerent, nec impoſitura promiſſorum pateficeret, promittit quoddam ſpecificum febrifugium cum quo omnis febris curetur, ſubterfugit, ne cognoſcantur ingredientia, & manefeſtetur impoſtura, & ideò illorum ingredientia involvit inuſitatis, & nihil ſignificantibus terminis, & cum adhuc ex hoc novo figmento ægri nullam opem conſequerentur, ut ſuos ſequaces dubios ſaltem redderet in ſuis promiſſis, recurrebat ad Deum, aſſerens quod ſuum febrifugium non ſemper habebat vim curandi, niſi dum Deus peculiari auxilio concurrebat ad illius compoſitionem. Subtile quidem inſanientis ſubterfugium, omnia excludit remedia uſualia experta, & naturalia ad febres curandas, & dum exoptatur ab eo remedium ad morbos imaginarios ab illo repertos, recurrit ad Dei Omnipotentiam, à qua ſi velit nemo dubitat, quod eſt efficax omnium morborum remedium. Nec mirari licet impoſtorem, & inſanientem permanere in ſuis fallaciis, impoſiuris, cavillationibus, & quod errans in uno in omnibus illi connexis ſimul erret, aut alios conetur fallere; ſed maxime licet mirari, quod ſint homines non inſanientes, qui cum illo inſanire voluerint. De hac praxi imaginaria ſatis conſtat, quantum diſtet à Rationali.

Magis adhuc mirari licebit, quod inter recentiores Riverius Doctiſſimus Medicus Dogmaticus ſapiat naturam imaginariæ Praxis, per plures enim obſervationes fatetur febres curaſſe cum ſuo febrifugio, & Centuria 3. in fine illud proponit dicens: Componitur ergo hoc pretioſum medicamentum ex triplici Hercule duodecim laboribus ad ſummam nobilitatem evecto, quibus tamen quartus Athleta additur, operis complementum efficiens; licet enim in hoc loquendi modo ſe oſtentat

firmant, Matthiolus *lib.* 4. *epiſt.* dicit, neminem medicum abſolutum eſſe poſſe, immò nec mediocrem, qui in Spagyrica arte non ſit exercitatus: Libavius in Alchymia triumphante, inquit: *Poſtquam ex Arabica & Græca diſciplina factum eſt unum corpus medicinæ, Chymica in eſſentiam quoque Artis ſunt recepta, adeo ut ſi iterum ſeparanda eſſent, medicinam haberemus admodum membro mutilatam.* Et ratio convincit: quia Dogmaticus medicus debet omnium medicamentorum vires cognoſcere, quæ utilia ſunt pro morbis curandis, ſi ſcientificè ab ipſis applicentur; Sed Spagyrica medicamenta pro pluribus curandis morbis ſunt ex uſu, ſi debitè applicentur; ergò Spagyrica ars prout eſt pars pharmaceuticæ, docens ſpagyrica medicamenta operari maxime recipienda à Dogmaticis.

Conſtans ergo ſit pro praxi, quod de mineralibus metallis & mixtis agunt Philoſophi tanquam ſpeculatores entis naturalis per habitum ſcientificum ſcientiæ; Agunt Spagyrici per Artem Spagyricam, quæ docet artificioſa operatione, ac manuali ſeparare ſubſtantias, quæ medicamenti vim habent ab aliis; ſicut & alii artifices verſus eadem verſantur manuali operatione per alias artes. Medici vero Dogmatici ſpeculantur medicamenta ab Spagyricis inventa, & ſeparata ſcientificè ſpeculando eorum virtutes medicinales, ut ſcientificè eis utantur pro morbis curandis, tutò, citò, & iucundè, præcipuè dum vires medicamentorum uſualium inferiores apparent ad morbos curandos.

* * * *
*

CAPUT VI.

De Praxi Vanhelmontii imaginaria.

IN *Reſolutionibus Medicis p.* 3. plura propoſuimus Vanhelmontii figmenta, illiuſque delineavimus ideas: fuit enim Medicus idealis varius in doctrinis, conſtans ultimò in ſuis deliriis, quæ typis mandavit. Profeſſus fuit primò Dogmaticam medicinam, & ab illa ſe tranſtulit in Paracelſiſticam ſectam, recepitque ex illâ quidquid Paracelſus evomuit contra Medicos Rationales; & tandem conatus eſt novam condere ſectam, Paracelſiſticam reliquit, totuſque ſe tradidit in deducendis conviciis in Galeni Sectatores, quæ à Paracelſiſtis tranſtulit: poſteà verò in evertendis principiis antiquæ Philoſophiæ ab Ariſtotele traditæ, & antiquæ medicinæ à Galeno & reliquis dogmaticis ex Hippocrate deductæ, quæ omnia promittit in limine ſuorum operum, ſuperaddens interim, *morborum anatomen per veras illorum radices inſtituam, ac nonnullos ſubinde ſubter argumenti occaſionem à communi errore ſequeſtrando, enucleabo*: Et ſuperaddit: *ut non per contraria, neque per ſimilia, ſed dumtaxat per dotata, & appropriata inſtituantur medela, & ſanationes. Quorſum ſane opus fuit totam antiquorum Philoſophiam deſtruere, atque innovare ſcholarum Phyſices documenta.*

Hæc ut deſtruat, omnē Ariſtotelis conatur invertere doctrinam; omnia negare; & impugnare Philoſophorum recepta principia. Pertranſit ad impugnandum Galenum; eius Diſcipulos vocat humoriſtas; negat dari humores in corpore humano

Digitized by Google

mano, nec morbos ex ipſis poſſe oriri; in febribus, & aliis curandis morbis tenet nulla auxilia à Medicis uſque adhuc recepta poſſe eſſe ex uſu: impugnat ſanguinis miſſionem: purgationem, clyſteres, ænemata, frictiones, cucurbitulas, ſyrupos,& omnia pharmaceutica auxilia, diætetica,& Chyrurgica, ſimul & ſpagyrica auxilia. Ablatis igitur omnibus Philoſophiæ, & Medicinæ principiis& ut ipſe ſomniavit, penitùs ſubverſis, ut novam medicinæ ſectam doceat, incipit delirare, dicitque quod ille ſolus meruit, ut in ſomniis à Deo per revelationem receperit ſcientiam medicinæ, & Philoſophiæ omnibus denegantē ante ipſum, & quærens ſuæ ſectæ nova principia, recurrit ad læſam imaginationem, qua jam laborabat. Morbum conſtituit in depravata imaginatione, à deturbato Archæo, illum aſſerit non eſſe accidens, conſiſtere tamen in depravatione imaginationis, quam ſupponit non eſſe ens: in his ſtatuendis implicationibus plurimū temporis conſumit, & cum morbū fecerit imaginarium,& hoc ſuæ phantaſiæ conſtituit principium, alterum principium deducit, quod curatio debeat converti ad imaginationis medelam, & ut hoc adinveniat auxilium poſtquam *in lib. de febribus* convictus maneat, quod nullum dogmaticorum remedium ſit utile pro febribus curandis, ille promittit unicum pro omnibus febribus, & tanquam ſpecificum, hocque dicit eſſe diaphoreticum, cum quo omnes febres promittit curare, & etiam hecticas, ſimili enim modo contendit reſolvere emaciatos, & redundantes ſuccos, cumque quæ promittit miracula, & ſanationes, non contingerent, nec impoſtura promiſſorum pateficeret, promittit quoddam ſpecificum febrifugium cum quo omnis febris curetur, ſubterfugit, ne cognoſcantur ingredientia, & maneſeſtetur impoſtura, & ideò illorum ingredientia involvit inuſitatis, & nihil ſignificantibus terminis, & cum adhuc ex hoc novo figmento ægri nullam opem conſequerentur, ut ſuos ſequaces dubios ſaltem redderet in ſuis promiſſis, recurrebat ad Deum, aſſerens quod ſuum febrifugium non ſemper habebat vim curandi, niſi dum Deus peculiari auxilio concurrebat ad illius compoſitionem. *Subtile* quidem inſanientis ſubterfugium, omnia excludit remedia uſualia experta, & naturalia ad febres curandas, & dum exoptatur ab eo remedium ad morbos imaginarios ab illo repertos, recurrit ad Dei Omnipotentiam, à qua ſi velit nemo dubitat, quod eſt efficax omnium morborum remedium. Nec mirari licet impoſtorem, & inſanientem permanere in ſuis fallaciis, impoſturis, cavillationibus, & quod errans in uno in omnibus illi connexis ſimul erret, aut alios conetur fallere; ſed maxime licet mirari, quod ſint homines non inſanientes, qui cum illo inſanire voluerint. De hac praxi imaginaria ſatis conſtat, quantum diſtet à Rationali.

Magis adhuc mirari licebit, quod inter recentiores Riverius Doctiſſimus Medicus Dogmaticus ſapiat naturam imaginariæ Praxis, per plures enim obſervationes fatetur febres curaſſe cum ſuo febrifugio, & Centuria 3. in fine illud proponit dicens: Componitur ergo hoc pretioſum medicamentum ex triplici Hercule duodecim laboribus ad ſummam nobilitatem evecto, quibus tamen quartus Athleta additur, operis complementum efficiens; licet enim in hoc loquendi modo ſe oſtentat

tractus, ut humi depoſitus quatuor pedibus ambulare incœperit à nullo edoctus, ambulandi cauſa membra hæc corpori eſſe ſubjecta: & paulò poſteriùs: ſupervacuum humorẽ quo eius cutis exteriùs circumfuſa erat excuſſerit atque uno iterũ ex pedibus paulo poſt coſtas ſibi ſcalpſerit, ex quo vos omnes præſentes exclamaviſtis primũ quidem quod ipſe ſymptomatis medelam abſque doctore invenerit; ſecundò quòd per hoc membrũ ſolum id fieri poſſit: tertiò quod per hunc modum, quod infantes & reliqua animalia ſine doctrina facere cernuntur. Quæ omnia admirabilem quandam naturæ erga animalia providentiam indicant, per quam & ſecunda valetudine fruentia conſervantur; & ægrotantia morbo liberantur. Hæc Galenus, qui ſimilem referens Hiſtoriam *lib.6. de loco affect.* de hædo ſic diſſecto & delato, ubi erant plures liquores, ſpretis reliquis, tenet, quòd lac doctus à natura abſorbet, & *lib. 1. de uſu part.* obſervat animalia & aves adhuc ſi non perfecta hebeant inſtrumenta ad conſervationem deſtinata, habere conatum operandi per illa ab ipſa naturâ, ut vitulus, qui cornibus, quæ nondum habet feriat; parvus aper cum dentibus, quos non habet, & canis contendunt mordere, quia natura inſita contendit cujuſque rei naturalem ſtatum: ideo Tullius *lib.1. de officiis* inquit; Principio enim generi animantium omni eſt natura tributum; ut ſe vitam corpuſque tueatur declinetque ad vivendum neceſſaria; ſicut natura contendit animal foveri, & conſervari, & hoc in utero, & partu molitur quàm maximè; ſimiliter, & in amiſſa ſanitate illius contendit adquiſitionem, & tanquam vera miniſtra ſanationis praxi contendit per ſuas facultates ſanitatem adquirere; ideò Hippocrates & Galenus docent naturam eſſe curatricem morborum naturam in omnibus auxiliari, morbos judicare; & ſumma quadam providentia corpori noſtro proſpicere: ideò nos alit, excrementa continuò expellit; in morbis cryſes aggreditur, ut noxios humores morbos cauſantes à corpore pellat; materiam quam concoquere, & regulari nequit in juvativo, concoquit in nocitivo, ut valeat aliqualiter regulari, ab utili inutile ſeparari, & extra corpus pelli, in extenuatis, renutritione morbos curat; in tumoribus contentam reſoluit materiam, aut vertit in pus, cum quo abceſſum rumpit; expellit pus quantum poteſt, & carnem generari contendit in ulceribus, & vulneribus, quæ aliter unire nequit, per vias ſæpè à nobis incognitas docta ſine doctore expellit, & deſperatos vincit morbos; ſi qui ſint parvi morbi, ipſos ſola devincit; ſi qui ſint vehementes exuperantes illius vires, eos Artis adjuvamine vincit; ſi qui inſuperabiles conatus apponit, & mortem differt; & ſemper agit ſecundum ultimum potentiæ, ut animal valeat conſervare. Pullulat ab illa ſola ſanitas pro formali; quæ *eſt diſpoſitio ſecundùm naturam à qua debitè eliciuntur vitales operationes*: hæc autem reſultat ex debita unione partium, debita earum conformatione; & debita temperie; nec eſt à quo poſſit iis poſitis reſultare, niſi ab anima: eſt enim ſanitas paſſio viventis, ut docet Galenus, *lib. de different. morbor.* & ideò à ſola vivente forma valet reſultare, quatenus informat partes fruentes temperie; compoſitione, & unione debitis pro eliciendis actionibus vitalibus.

CAPVT II.

De Praxi Medicina Dogmatica, & qualiter hac concurrat.

LIcet natura morborum ſit Medicatrix & à quâ per ſe provenit curatio, & ſanitatis adquiſitio; non tamen ex æquo valet omnes morbos curare; Sed aliquos ſe ſola curat ſine adjuvamine Medicinæ, alios verò Medicinâ adjuvante; Alios autem nec ſe ſola, nec juante Medicina devincere poteſt: ideò Hippocrates, *libro de Arte*, docens munus Medici Rationalis, inquit: Medici eſt vehementes impetus morborum tundere; ſanabiles curare; inſanabiles non attingere: tacet parvos morbos, pro quibus devincendis natura non indiget Medico: excludit Medici praxim ad morbos, qui à naturâ, & Arte nequeunt devinci, ut in æſtyomeno, aut parte amputata corporis. Et proprium munus praxis dogmaticæ ponit in adjuvando naturam in morbis magnis, qui ad ſui curationem indigent artis adjuvamine; hæc autem adjuvat addendo quod nequit natura addere, etiamſi neceſſarium ſit ad curationem, vel auferendo quod ſuperfluum eſt, & nequit à natura auferri: ideo *lib. de flat.* totam Medicinam dogmaticam definit Hippocrates per hanc Praxim dicens, quod eſt *adjectio, & detractio.* Propter hanc Praxim docet Sacra Pagina, quòd propter neceſſitatem creavit Deus Medicinam, & imperat in infirmitate dare locum Medico, quia opera eius ſunt neceſſaria, & Avicenna Medicinam definiens dicit, quod eſt ſcientia qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur ex parte, qua ſanantur, & dividens illam dicit, quod alia eſt Practica id eſt, ordinata ad praxim, & nos definientes Medicinam diximus quod Medicina Dogmatica eſt Scientia naturalis à Deo Adamo infuſa, & hominibus communicata in ſubſidium ſalutis eorum, ubi illius finem ponimus in Praxi curativa, ob quam à Deo creata eſt in ſubſidium naturæ humanæ; ideo licet natura ſit per ſe morborum curatrix, & in hunc finem vis inſita hominibus, tamen curatio tribuitur Medicinæ, ſeu Praxi medentium; à Medico enim Praxim dirigente dicuntur ægri curari: Nec ad veram Praxim ſufficit quævis directio, ut vidimus in excluſione Sectarum: ſed requiritur directio Praxis Rationalis, hæc enim docet non ſolùm medicamenta applicare, & cum methodo exerceri curationem: nam alia Praxis, ut tenet Plato, inſanientium eſt credere, quod proveniat à Medicina Scientifica, & Dogmatica, ſed docet veram methodum exercendi Praxim, quo, quibus, & quando ſcientifice debeant applicari medicamenta, per quod Praxis rationalis differat a Praxi aliarum ſectarum, & à Praxi Miniſtrorum, qui operantur per artes miniſtrantes Architectonicæ Medicinæ, & ut directæ ab illius habitu, qui demonſtrat res naturales quæ debent in homine conſervari res præter naturales, quæ petunt auferri, res non naturales, per quarum indebitum uſum, fiunt morbi, & per quarum uſum debitum, & debitam applicationem morbi curantur, omnia Entia naturalia ſimplicia mixta, viventia, non viventia, mineralia, metalla rimatur, & medicas illius virtutes contemplatur, quibus cauſæ morborum, aut ipſi morbi valeant exterminare, & hæc docet ex tempore applicari, docet tempus, & occaſionem utendi illis, tam pro virium conſer-

Digitized by Google

conſervatione per victus rationem, quàm per contrariorum adhibitionem per medicamenta. Ad quod requiritur ut tenet Freytagius, quòd duo ſibi adjungat, pietatem, & Eruditionem quæ ſunt duæ primariæ Dogmaticorum virtutes: de eruditione, in Medico, qui debet eſſe Scientificus non dubitatur, neceſſitas in omni literarum genere, ut lingua Græca; & Latina debere eſſe verſatos Medicos demonſtrat: quod Medicinæ Principes in illis ſua ſcripta commendarunt poſteritati; debet Dogmaticus totius naturæ adyta ingredi, omneſque ſpeculari res naturales, quæ homini ſecundum naturam inſunt de quibus *in reſolutionibus Medicis* plura tradidimus; Præterea, & naturæ hoſtes cognoſcere, morbos, cauſas, & ſymptomata, de quibus ſimiliter egimus, Præterea & remedia cognoſcere tã parva, quam magna, quibus poſſint morbi devinci, de iis ſimiliter & nos latam tradidimus notitiam. Confert etiam res non naturales dignoſcere, quas infra proponemus, & ad quarum cognitionem requirirur in Medico quod optimus ſit Philoſophus maximeque expertus in iis quæ pro morbis debellandis utiliora ſunt adinuenta: Galenus enim 1. *Aphor Comm.* 1. docet ea in humano corpore inſcitè uſurpari, quæ certa experientia comprobata non ſunt, non tantum periculo non carent ſed & cum totius animantis internecatione conjuncta ſunt. Hęc ut conſequatur Pietas in Deum, & proximum juvant: Impii enim Medici parum prodeſſe poſſunt Dei muneribus deſtituti, quia ut Freytagius ex Liernio adducir.

Ni Deus adfuerit, vireſque infuderit herbis.
Quid rogo, Dictamus, quid panacea juvat?

Ideo divinus Hippocrates ſuos Dogmaticos inſtruit iuramentoque adſtringit ad virtutes morales proſequendas, & *lib. de decenti ornatu*, commendat, ut reverenter ſe habeant apud Deum *lib. 6. epidem.* quòd honeſtè ſe gerant; aliis in locis, quòd fugiant avaritiam, loquacitatem, invidiam, arrogantiam, contumaciam, & omnes morales proſequantur virtutes; ſua enim pietate debent proſperos eventus Deo tribuere: Ars enim indiget Dei directione, ideo Syrach filium docet: *Fili mi* inquit, *in infirmitate non te neglexeris: ora Dominum & ipſe ſanabit te*: Et ſimul cum hoc docet dandum locum Medico ut adjutus à Deo utatur humanis auxiliis.

Superaddere tenetur Medicus Dogmaticus pro artis complemento, eam Medicinæ partẽ quæ Oeconomia Medica vocatur, ut tenet Galenus *lib. de Elementis*, quam vocavit Hippocrates *lib. 2. epidem.* œconomicam circa ægrotantes, quam tanquam partem Mædicinæ neceſſariam ab aliis Medicinæ partibus diſtinctam ſuperaddendam eſſe neceſſariamque eſſe Dogmatico Medico ſancivit Galenus dicens: *Neque enim ut in aliis ferè omnibus libris aut affectuum notitias, aut curationes aut futurorum præſenſiones ſcripſit, ita & in præſenti fecit, ſed quo quis modo medicinalibus, quæ didicit, præceptis uteretur, in propoſito ſermone declarat.* Quod firmat hac ſimilitudine *quemadmodum in vita omnia opportuna poſſidere, veſtes, vaſa, ſervos, ad iugum idonea animalia, & alias pecudes, ædes, item frumentum, legumina, tragemata, vinum, oleum aliaque id genus omnia ab eorum conveniente uſu quã œconomiam vocant, longè differt; ſic & in Medicina artem diſcere, & eis, quæ quis didicit appoſitè uti, haud idem eſt, ut ipſe in tempore*

tempore interrogare, & diſcere, atque præcipere ſciat. Hanc comprehendit Doctrinam Hippocrates dum proponit Medicum opportuna facientem ſcilicet ſecundum œconomiam propriam Medicinæ Dogmaticæ.

CAPVT III.

De Praxi Miniſtrorum Medicinæ Dogmaticæ.

CVm Medicus Dogmaticus ſcientificus Architectonicus, ſit præceptor eorum quæ pro adjuvanda natura, debent exerceri in morborum curatione, ut hæc poſſint perfici, indiget miniſtris in ſuis artibus mechanicis inſtructis, quorum manuali operatione exequantur, quæ Medicus præſcribit agenda, quæ niſi ab illis recte exerceantur, nequit curatio perfici: ideo Hippocrates 1. *aphor.* 1. dicit: *Oportet non ſolum Medicum ſe præſtare opportuna facientem, ſed ægrum, aſſiſtentes, & reliqua exteriora*: ſicut in conſtruenda domo, licet Architectonicus Magiſter per ſcientiam de domo præſcribat neceſſaria ad eius ſtructuram, ipſa non rectè perficitur, niſi miniſtri debitè operentur per ſuas artes mechanicas, quæ ab ipſis operanda ſunt, idem in curationibus contingit: Qui autem ſint hujuſmodi Medici miniſtri, docet Galenus, *lib. 6 epidem.* totamque hanc confirmat doctrinam dicens: *Medico multa artes materias medicas præſtant, uti ipſis quoque cum quibuſdam naturæ miniſtris. Quæ enim inter Architectum & ædificatores, lignarios, & fabros, & alios artifices, quibus præeſt eadem inter Medicos, & eorum miniſtros eſt ratio: ſunt autem ii herbarii, unguentarii coqui, cataplaſmata efficientes, fomenta adhibentes, qui clyſteres infundunt, qui ſcarificant aut venam ſcindunt, cucurbitulaſque affigunt. Quod ſi nos & hæc didicerimus, & etiam faciamus ſimiles erimus Gubernatori qui & remigandi arte peritus ſit, & reliqua omnia nautarum obire munera, & ſciat, & faciat. Etenim plerique imperatores, arcu uti, jacula vibrare, gladio & haſta pugnare ſciunt, ſed non ut Rex, aut Imperator erat Alexander magnus, aut eius Pater Philippus, hæc militaria munera obibat; ſed aliis quibuſdam artibus, quæ imperatoria Regiaque miniſtrant. Itaque nos etiam qui medici ſumus cuiſque auxilii qualitatem, quantitatem, occaſionem, utendi modum novimus ut miniſtri vero venam ſcindimus, cucurbitulas affigimus & reliqua manibus facimus: quare Ars medicinalis dignitate Medicis antecellit, medicus artibus miniſtrantibus, Miniſtri aliis artibus inſtrumenta materiaſque præſtantibus*: Hæc Galenus ubi proponit Artis Dogmaticæ miniſtros qui ſimul cum aſſiſtētibus Medicinæ Praxi incumbunt, & ii omnes quibus Medici indigent ad curationem peritos in ſua arte eſſe oportet, capaceſque ad ſuum munus exequendum: quia ut docet Hippocrates *in lib. praeception. Nihil rudibus erit mandandum, ne male factum, in Medici ignominiam vertatur.* Præ reliquis ſex artes deſerviunt Medico, ut colligitur ex Galeno *6. epid.* Pharmacopœa, Phlebotomandi ars, Ars infundendi clyſteres, Ars obſtetricum, Coquinaria & Famulitia: de omnibus artibus, quæ deſerviunt Medico, ipſe debet habere peritiam: ſic enim & peritiores cognoſcet, & reliquorum fugiet aſſiſtentiam, aut emendabit errata.

Pharmacopœus nominatur, aut Pharmacopola, miniſter Medicinæ dogmaticæ, qui ra-

Digitized by Google

qui radices, ac ſimplicium medicamentorum materias colligit, vocatur Apothecarius, quia illas recondit: Seplaſiarius etiam à Seplaſia foro Capuæ in quo præſtantiſſima unguenta conficiebantur, ut tenet Ranodæus. Cùm medicinâ cœpit hæc ars exerceri, licet à principio cum minori apparatu. Hippocrates *in epiſtola ad Cratevam* ipſum laudat tanquam Radiſecam peritum: forſan hæc ars illo tempore non ſe extendebat in plura; ad compoſitiones unguentorum ſe poſtea porrexit: Ideo *Eccleſiaſtes* 38. unguentarius vocabatur artis hujus miniſter. §. *Unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis & unctiones conficiet ſanitatis, & non conſummabuntur opera ejus: Pax enim Dei ſuper faciem terræ.* Pharmacopæa à qua nomen deſumit, eſt ars, quæ modum docet medicamenta ſeligendi, præparandi, & miſcendi: eſt duplex, alia antiquior apud Dogmaticos, ad quam pertinet electio, collectio, repoſitio, conſervatio, trituratio & coctio materiæ medicæ. Alia eſt Spagyrica, quæ ſua medicamenta vi ignis, quam maximè perficit; ad quam maximè pertinet corpora naturalia compoſita ſive concreta in ea, ex quibus naturaliter conſtant reſolvere, reſolutaque pura, & viribus validiſſima reddere, ut utilia medico præbeant remedia, ut ſupra diximus: Varii ſolent eſſe Pharmacopolæ errores; vel enim quid pro quo vendunt, vel ſine medici ordine ſuis utuntur medicamentis; vel ab ignaris materias medicas emunt, vel vilioribus utuntur ſimplicibus in compoſitionibus, vel ſervant ſimplicia ignorantes an ſine debitis conditionibus colligantur, vel quia avari omittunt in compoſitis utiliora.

Phlebotomus ſub miniſterio Chirurgiæ continetur; quia cum ex Hippocrate morbi orti ex plenitudine, petant evacuatione curari, & hæc petat ſanguinis miſſionem, ex cujus augmento oritur plenitudo: ideò & hic artis miniſter fuit neceſſarius, qui ſanguinem fundat, quod exequitur pluribus inſtrumentis, vel ſcalpris incurvis ex Hippocrate *lib. de Medico*, in ſummo non valde anguſtis, ubi etiam proponit gladiolos acutos, vel latos, & proponit cucurbitulas, præcipuè ſcarificatas; proſunt ſanguiſugæ, variæ aperiuntur à phlebotomo venæ: ex Sorano in occipitio, menſura quatuor digitorum ab aure, duæ aperiuntur venæ ſub lingua, duæ ſub collo; una in manu dextra propter jecur, alia propter lienem in ſiniſtra, duæ aperiuntur ſub police digito. in brachio tres, cephalica communis & hepatica, in quibus eligendis multum intereſſe contendit Lborio e ſuadere Nizolius: ſed fruſtra; demonſtravimus alibi omnes tres unam eſſe venam. Galenus ſecabat venas ſub angulis oculorum: duas etiam in parte anteriori labiorum: alias in manibus ſimul & in cruribus: Galenus ſomno admonitus, cœpit arterias etiam aperire. Cælius Aurelianus fatetur, ſuo tempore aſſuetum fuiſſe arterias ſcindere, quæ in tempore circa malleolos, & poſt aures ſunt: Proſper Alpinus communiſſimè apud Ægyptios arterias aperiri affirmat; Abolevit ab uſu hæc arteriarum apertio ob pericula ex illa ſæpius experta: venarum apertiones docuit animal, vel natura in unoquoq; pletorico illas diſrumpens; vel ratio dictans plenitudini hanc evacuationem eſſe contrariam.

Phlebotomi errant plerumque in venarum electione, vel quia ineptis utuntur inſtrumentis, vel dum ſciſſuram efficiunt arctiorem

Digitized by Google

ctiorem, aut ampliorem, quam quæ debetur tenori vaſis, vel cucurbitulas affigendo majori aut minori ignis applicatione, quam debetur, vel dum ſupra illas leviores aut profundiores faciunt ſciſſiones.

Clyſteres infundentes ſunt Pharmacopolæ, præcipuè apud noſtrates, apud reliquos ſunt quædã mulierculæ: ars eſt parum difficilis, ſed in qua poſſunt committi aliqui errores, vel in decoctionibus ſuperaddendo herbas aliquas violenter purgantes, vel imminuendo purgantium doſim, vel frigidiores, aut calidiores injiciendo clyſteres, ita ut vel citius expellantur, vel non irritent, aut intemperent inteſtina vel dum multum ſugentes clyſteres injiciunt cum flatuum copia, vel aliqui in ipſa injectione ſanguinem fundunt ab inteſtinis, vel à venis hæmorrhoidalibus.

Ars obſtetricandi indecore apud exteros ſolicitur exerceri à viris: antiquiores fœminæ, quæ illam exercebant, doctæ erant in arte medica, & omnes mulierum addiſcebant morbos curare, pluresq; illarum doctæ mulierum medicandi artem literis tradiderunt: aliquarum meminit Galen. plures refert Tyraquellus, noſtris temporibus ignorantiſſimæ ex plebe mulierculæ illam exercent, errant pleriq; hanc artem ignorantes: tradidit de illa plura Hippocrates, *l.* [illegible] *de partu hominis*, Avicenna caput peculiare de illa ſcripſit, & de hac re agunt qui ſcripſerunt de morbis mulierum; & noſtro idiomate aliqua ſcripta permanent, ſed profitentes hanc artem errant ignorando quæ requiruntur in arte, qualis obſtetricandi modus requiritur pro unoquoq; partu, quo tempore debet pariens properare ad illud, qualiter recipiendus fœtus, quando partus eſt naturalis, quando inverſus deſcendit fœtus, & iterum reducendus, pes aut brachium, quamdiu ſecundinæ ſpectandæ, recipiendæ, aut juvandæ, errant maximè obſtetrices noſtræ in eo, quod cum omnino ignorent, quæ ſui muneris ſunt, ea exercent, quæ ad ipſas non pertinent, ſanguinem enim mittunt in prægnantibus, & earum curant morbos & accidentia, & in parturientibus, & enixis, liberè, barbarè & ignoranter omnia ea exercent, quæ vel audierunt ab aliis fieri, vel obſervarunt à medicis ordinari, licet ſit pro diverſis affectibus. Cum victus ratio cibique exhibitio pro ægris curandis tantum conferat, non ſolum à medico ſciri debet illius forma, quantitas, qualitas, utendi modus, & tempus, ſed qualiter debeant præparari alimẽta, ut poſſint manducari: hoc docet ars coquinaria, cujus conſcius debet eſſe medicus, ut cognoſcat miniſtris hujus artis ea ordinare quæ utiliora ſint ægris, qualiter eſculenta, & poculenta debent exhiberi, vel aliter præparare, aſſare, coquere, frigere, tundere, condire, paſtillitia, aut bellaria formare, exprimere, diſtillare, vel aliter pro ægris fercula parare, qualia apud Quercetanum, Godofredum, & Cartagenam reperiuntur aliqua, & in eis qui ſcripſerunt de arte coquinaria, ſunt plura in quib9 condendis quãmaxime poſſunt errare, vel in modo, vel in forma vel ſuperaddendo res calidas aut frigidas quæ poſſunt augere morbos & eorũ cauſas. Famulitia ars præcipuè ad plurima neceſſaria eſt medico, Hippocrates *l.* 1. *aph.* adſiſtentes vocat famulos ægris deſervientes, & neceſſarios eos proponit pro ægris curandis. Galenus *in comm.* hos requirit peritos in ſuo exercitio, præcipuè eorũ exponit munus *l.* 6. *epid*, ſicut & ipſe Hipp. *l.* 1. qui me-

dicus

dicus inſcribitur. Pertinet ad hos ex Hipp. *l.6 epid.* gratificare ægros, lectū parare, cōmodū, amplū, aut auguſtū, mollem, aut durum: humilem, aut ſublimem pro tempore anni, aut conſuetudine ægri morbive neceſſitate, juxta quam lux aptanda pro ægris, aër permittendus, aut cohibendus, attemperandus præparanduſue irrorationibus, ſuffitu, ornatu, Pro nutu ægri plerique eligendi familiares, utiliores plerumque & illius ſanitatis cupidi denegentur, quę ęgro nocere valeant; gratificetur in rebus parvi momenti, qui in tempore occurrāt pro neceſſariis ægris & medicamentorum exhibitione juxta præſcriptum à Medico ordinem. Plerumque in hac arte præferuntur fœminæ.

CAPVT IV.

De praxi ægrotantium.

ÆGrotum concurrere ad Praxim ſuorum morborum docet Hippocrates *lib.1. aphoriſm.* docens quòd opportet non ſolum Medicum ſe præſtare opportuna facientem, ſed & ægrum: ideo in alia aphoriſtica ſententia, bonum judicat, quod æger bene ſe habeat ad ea quæ offeruntur, non ſolum, quia potiorem ex iis arguit diſpoſitionem, ſed ex eo quod æger concurrat cum Medico ad ea quæ ordinavit, ex ægri enim concurſu ad Praxim, & ad ea quę œconomicè ordinantur promittitur ſalus: ideo *lib.1. epidem. comm.* 2. inquit: *Ars quidem iis tribus conſtat, morbo, ægro, & Medico: ægri eſt una cum Medico morbo reluctari*: Et Galenus *in commentario* dicit quòd ſi æger ſe habet ex parte morbi ſolus Medicus non vincet illum, ſin minus ambo vincent morbum, quia nec Hercules contra duos. Ex duobus conſequitur æger praxim, ab illo requiſitam ex obedientia, & ex confidentia, quas debet præſtare Medico, ex obedientia, quia Medicus ut docuit Galenus, ipſis Imperatoribus valet imperare cum ipſe conſcius ſit eorum, quæ poſſunt eorum morbos devincere, & ad ſalutem conſequendam conducere, quæ æger ignorat, quod docet Hippocrates *lib. de Arte* dicens: *Nam Medicus ſana mente, ſanoque corpore rem aggrediens, Arte valet, qua morbum profligare ſolet: æger verò neque qua parte, neque ob quam cauſam laboret. Dolens ob præſentia, timens futura, morbo plenus, conſilio deſtitutus ignorat quæ ex uſu futura ſunt, & noxia ſæpè expoſtulat*: Ex quibus manifeſtè concluditur, quantam debeat Medico præſtare obedientiam, & quantum præſtet æger obediens in praxi pro morbis curandis.

Confidentia ægri in medico, & auxiliis ab ipſo ordinatis, confert maximè ad ſanitatem: quia ex Hippocrate, ille plures ſanat, in quo plures confidunt. Et Galenus, *6. Epidem.* docet plurimos ab Hippocrate ſanatos fuiſſe ob magnam confidentiam, quam habebant de illo, ad quam comparandam conſulebat Hippocrates *lib. de præceptionibus medicis*, quod haberent majorem curam ſuæ authoritatis, quam ſui commodi, & ad illam conſervandam conſulit Galenus, *6. Epidem.* quod medici habeant cum ægrotantibus graves ſermones: ideoque debet & medicus non omnimodam ſecuritatem tribuere unicuique auxilio, ne ſi aliud evenerit, quam promiſit, æger amittat confidentiam, quam habebat, & in poſterum ſit inobediens. Præ-

Digitized by Google

cipuè hoc attendendum, quia licet Medicus in auxiliis præſtandis ſe præſtet opportuna facientem, poteſt effectus impediri, ſi obſtent reliqua exteriora, quæ ideo ad praxim concurrere docet Hippocrates *libr.* 1. *aphor.* & non eſt in manu Medici illa prævidere aut impedire, ſuntque quamplurima, ut docet Galenus *in Comment. & libr.* 1. *de diebus decretoriis cap.* 11. inter quæ ſunt tonitrua, fulgura, vicinorum tumultus, canum latratus, inſultus latronum, ruina domus, defluens aqua, fluvius irruens, incendia, ictus, ut refert Galenus, ſed præcipuè ſunt animi pathemata, ex quibus innumeræ inſurgunt cauſæ exteriores, quæ medici promiſſa valent immutare. & hæc licet deficiant, permanent cauſæ internæ valentes impedire eventus, qui ſpectantur: ideò Hippocrates docuit, quod acutorum morborum prædictiones ſalutis aut mortis non omnino ſunt certæ.

Dubitant Juniores, ut latè proſequitur Zacchias de ægri obedientia, quanta debeat eſſe, non teneri ægrum obedire præceptis medici tenent plures relati à Codroncho *lib.* 2. *de Christiana medicina*, & à Zachia *lib.* 8. *tit.* 2. *quæſt.* 1. contrarium probat citatus Codronchus judicans teneri ægrum Medici obedire præceptis ſub pœna peccati: tenet Leſſius *de juſtitia & jure lib.* 2. *cap.* 9. tenent Juris Profeſſores, quod peccat æger remittens ſe ad manus Domini, ſine eo quod admittat remedia naturalia ut minus ſecure contendit ſuadere quidam nuperrimus de quo alibi diximus, & probat Leſſius citatus *cap* 45 quod quam maximè verum, ut tenet Zachias dum non ſunt remedia nimis horrida, quod probat, quia ad procurandam ſalutem tenetur ex charitate proprii corporis, & quia in *Eccleſiaſtico* hoc conſilium proponitur. *Fili in infirmitate tua ne deſpicias te ipſum, da locum medico, & non diſcedat à te, quia opera ejus ſunt neceſſaria.* Tum unuſquiſque tenetur ſanitatem cuſtodire: ex quo apparet, quod magis tenetur admittere media ad illam conſequendam, quia nemo eſt ſuæ vitæ Dominus, & ſufficit, quod remedia ſint ſecura, ut teneatur ſub peccato illa admittere, & etiamſi probabiliter ſecura ſint. At verò non tenetur admittere quæ minus ſecura ſunt, & ex quibus timetur periculum vitæ.

SECTIO III.

De incunabilis & incrementis praxis Dogmaticæ.

De Sectis Medicinæ, & de concurrentibus cum Rationali Medicina ad curationem egimus: proſequemur hujus originem, progreſſus, & incrementum.

CAPUT I.

De ornatu & progreſſu praxis Medicæ Dogmaticæ.

Medicina ut diximus, & omnes ſcientiæ, & latius proſequitur Pineda, Adamo fuerunt infuſæ, & ab ipſo in filios derivatæ, & tandem tractu temporis delapſæ, ab hominibus in uſum revocatæ, præcipuè medicina, quam neceſſitate exigente homines ſuſcitarunt, ob quam primi illius inſtauratores, non ſolum ut Heroës ab Antiquis ſunt habiti, ſed tanquam Dii in prima

Digitized by Google

in prima vetuſtate Gentium ſunt venerati, quaſi ſcientiæ conſervatricis humani generis Inventores ſecundum illud Poëtæ.

Medici didicère moras innectere morti.

Ideò nonniſi à Celſo delapſam, vel à Diis ortam judicabant Gentes, de qua ſic protulit Imperator dicens: *Artem Medicam hominibus ſalutarem eſſe uſus demonſtrat; quare eam cælo delapſam non merito Philoſophi prædicant.* De hujus Scientiæ Inventoribus ex hominum conſenſu plura diximus in Reſolutionibus Medicis. Praxis primus Inventor habetur Apollo, ſic apud Græcos nominatus, qui Serapis vocatur apud Ægyptios; de quo Poëta ſic canit.

Inventum medicina meum eſt, opifexque per orbem.
Dicor: & herbarum potentia ſubdita nobis.

Proximus Apollini fuit Chiron, & tantus, ut Inventor medicinæ judicetur à pluribus. Euſtachius ad Iliadam inquit: *Chironem ajunt in manu vulneratum herbarium excogitaſſe medicinam.* A Chirone edoctus fuit Æſculapius Apollinis filius, qui rudem medicinam ita excoluit, ut illius Repertor habeatur ab aliis, inquit enim Plutarchus, *lib. 8. Limpos medicos Æſculapium ſcimus habere Ducem.* Tertullianus, *apolog. cap. 23.* illum Repertorem Medicaminum vocat. Pindarus, *ode 3. Pythionicæ*, ait, *Æſculapium Heroëm omnigenorum propulſatorem morborum.* Succeſſerunt Æſculapio duo filii ab ipſo edocti, Machaon, & Podalerius, quorum Machaon Chirurgicam præcipuè exercuit praxim in bello Trojano; de illo inquit Homerus,

Ducere tela manu, & medicamina ſpargere plagis.

Podalerius primus Artem ſcientificè profeſſus fuit, morborum inquirendo cauſas, primuſque medicinæ propalavit principia: hinc Homerus cecinit de illo.

Aſt alius melior morborum arcana ſagaci,
Indagare animo: placidamque afferre medelam.

Ab iis in filios propagata eſt medicina, nec niſi Principibus permittebatur, ut tenet Ælianus, *lib. 2. de hiſt. animal. cap. 18.* Inter quos enumeratur Acron, Ariſtæus, Poloidus, Melampode, ſic per annos ferè mille permanſit medica ars in Aſclepiadarum familia omnium apud Græcos nobiliſſima, à quibus propagata eſt apud Coos, Gnidios, Crotonas, Cyrenas, & Rhodios, apud quos illius doctrinæ permanſerunt Scholæ, & per varios Profeſſores medicina coaluit, à quibus dimanarunt celebres Praxis medicæ cultores, per quos adaucta, & perfecta ad nos pervenit: Democedes inter primos apud Æginetas tantæ fuit celebritatis, ut pro praxis exercitio talentum illi conſignaretur quod conſtabat ex ſex millibus aureorum trecentis & ſexaginta quinque. Athenienſes promiſerunt centum minas, quarum quævis continebat aureos centum & ſex & quadrantem. Potiora ſtipendia & honores meruit apud Perſas, ut tenet Herodotus, *lib. 3.* Hujus tamen nulla monumenta ad nos pervenerunt. Sed inter Coos ſummus medicinæ Dictator fuit Hippocrates, de quo inquit Celſus, quod *fuit vir Arte, & facundia clarus.* Macrobius quod tam *fallere, quam falli neſcit*, in illo enim ut tenet Heurnius reperitur verborum preſſa proprietas, ſententiarum conciſa ſubtilitas, ſermonis veneranda antiquitas, & artificii commendabilis dignitas. Nactus fuit Hippocrates

pocrates Parentes ſummo ſplendore Nobiles, Pater illius Heraclides Aſclepiadarum, Mater Praxithæa, Heraclidarum, ſtirpe ſunt geniti, Hippocrates unde-vigeſimus ab Æſculapio, Vigeſimus ab Hercule numeratur. Pætus ad Arthaxerxem de ipſo inquit: *Ortu igitur Divinus eſt Hippocrates; novus quidem à Chryſamide Rege ab Æſculapio decimus octavus, à Iove vigeſimus; Matre vero Praxithæa filia ex Heraclidarũ familia: quare utrinque Diis oriundus Divinus Hippocrates, & ex Patre quidem Aſclepiadarum familiam attingens; ex Matre vero Heraclidarum.* Hippocrates igitur imbutus Parentum eruditione ex eorum doctrina, & obſervationibus per tot ſæcula in ſua familia retentas, & experimentis confirmatis & expertis in templo curationibus medicam praxim ſimul, & totam conſtruxit artem dogmaticam: inquit enim Strabon, *lib. 14. Ajunt Hippocratem maximè ex dedicatis in Apollinis fano curationibus exercuiſſe ea, quæ ad victus rationem ſpectabant.* Idem confirmat Plinius. Proprio igitur labore Hippocrates, & ut tenent Jordanus & alii, per ſcientiam à Deo illi infuſam, medicinæ dogmaticæ omnes partes, diagnoſim, prognoſim, & praxim in ſuis ſcriptis completas ita tradidit, ut omne illis dederit complementum, ob hoc maximum beneficium & quia toti Græciæ fuit auxiliator & conſervator, meruit nanciſci hoc decretum à ſenatu Athenienſium *S. P. C. Athenienſis ita cenſuit: Quandoquidem Hippocrates Cous medicus ab Æſculapio oriundus ſummam benevolentiam in ſervandis Græcis oſtendit cum peſte à Barbaris, in Græciam pervadente, dimiſſis per loca ſuis diſcipulis, medelas indicavit, quibus, qui uterentur, inſtantem peſtem ſecurè poſſent effugere, quoq; modo medicina Græcis tradita, eos laborantes tuto ſervaret. Quin & exactè à ſe ſcripta de re medica in publicum emiſit, cum multos cuperet eſſe medicos, qui ſervare poſſent. Perſarum etiam Rege ipſum ad honores ſuis optimatibus æquales, & munera quæ ipſe Hippocrates optaret acccerſente, Barbari pollicitationes, quod hoſtis, & communis Græcorum inimicus eſſet, contempſit: ut igitur conſtet. Populum Athenienſem Græcis ſemper utiliter conſuluiſſe, utq; dignam pro merito gratiam referat; Decrevit Populus, ut is Magnis myſteriis, non ſecus atque Hercules Jovis filius publicè initiaretur, & coronâ aureâ mille aureorũ coronaretur, coronam ipſam in magnorum Danathereorum certamine Præco proclamaret, & omnibus Coorum liberis liceat, non ſecus atque Athenienſium Athenis pubertatem agere, quod eorum Patria ejuſmodi virum procreavit; Hippocrates vero ut Civitatis jure, & victu in Prytanæo toto vitæ tempore donetur:* His elogiis dignus fuit Hippocrates ob ſuam in Græcos magnificentiam, & quia artem condidit, & promulgaverit toti humano generi utilem, & neceſſariam, ex qua dogmatica dimanavit Praxis.

CAPUT II.

De Dogmatica Praxis Impugnatoribus, & Propagatoribus.

PRaxis Dogmatica, quæ ab Hippocrate fuit in Artem reſtituta, & in ſummum complementum deducta, tanti apud Græcos fuit facta ut illius Inventorem dignum divinis honoribus judicarint, ut diximus, non tamen æquo animo apud Poſteros fuit recepta. Diocles ex illis ut tenet Plinius, *lib. 26.*

lib. 26. cap. 2. ab Hippocrate ſecundus ætate & fama fuit; Ex hujus decretis magna ex parte ſuam doctrinam ampliavit Galenus, & ejus ornavit authoritate: is enim Hippocratis recepit, & ampliavit doctrinam, ſuſcitans Anatomiam ab Aſclepiadarum doctrina penes jam deſertam. Sed alii ſucceſſores dogmaticæ Praxis immutarunt vias, inter quos Primus Petronius Dioclis Diſcipulus incidit in varia deliramenta; inquit enim Celſus, *lib. 3. cap. 9.* [*Siquidem apud Antiquos quoque ante Herophilum, & Eraſiſtratum maximeque poſt Hippocratem, fuit Petron quidam, qui febrientem hominem ubi acceperat, multis veſtimentis operiebat, ut ſimul calorem ingentem, ſitimque excitaret, deinde ubi paululum remitti cœperat febris, aquam frigidam potu dabat, ac ſic movebat ſudorem, & blicuiſſe ſe ægrum judicabat; Si non moverat, plus etiam aquæ frigidæ ingerebat, & tum vomere cogebat. Si aliter utro-modo febre liberaretur protinus ſuillam aſſam, & vinum homini dabat; Si non liberaverat, decoquebat aquam ſale addito eamque bibere cogebat, ut movendo ventrem purgaret: & intra hæc omnis ejus medicina erat.*] Prodicus & Erodicus, ut tenet Celſus *lib. 3.* etiam deviantes ab Hippocratis praxi, ſuos ægros fame multâ, circuitibus, curſibus, frictionibus, & aliis laboribus febricitantes curandos eſſe tenebant. Menecrates ab Hippocratis modeſtia receſſit, & nullius ægri curam admittebat, niſi ille in ſcriptis firmaret, fore illius ſervum, & fateretur ipſum eſſe Jovem. Aſclapiades, qui prius Orator fuerat deſerens Praxis Dogmaticæ firma torrenti, ac præmeditata oratione quotidie immutare conabatur, & ut tenet Aurelianus, *lib. de acut.* in curandis ægris ambitione quadam aliorum medicorum ſive bona, ſive mala immutabat, vulgum ut falleret ſolis utebatur auxiliis quæ ægris erant gratiora, & obvius factus homini, qui illius tacito conſilio ferebatur in ſecreto ipſum detinuit, & ſuſcitare finxit, ideo de illo dixit Plinius, *lib. 29. Attrahebat præterea mentes artificio mirabili vinum permittendo ægris tum aquam frigidam.* Præterea deviarunt à praxi dogmatica omnes Sectarum Profeſſores, Empiricæ, Methodicæ, Paracelſiſticæ, & imaginariæ, quos ſupra retulimus; aliique quam plurimi.

Sed præclarior ingeniorum pars dogmaticæ doctrinæ ab Hippocrate ſancitæ adhæſit. Primus, ut diximus, fuit Diocles qui illam locupletavit ſuſcitatâ Anatome: huic proximè acceſſit Praxagoras, ex Aſclepiadarum familia, ut tenent Plinius, Athenæus, & Galenus, qui Philotinum, & Pliſtonicum reliquit doctrinæ Sectatores, hos ſubſequutus Mneſithæus, de quo Galenus, *lib. 1. de Curat. ad Glauconem* ait: *Virum aliis omnibus quæ ad artem pertinent ſufficienter doctus, tum verò qua via, & ratione medendi Scientiam oporteat exerceri, nemini ſecundus.* Philiſtion, & Pauſanias apud Italos Aſclepiadarum extenderunt Scholas. Nicias præclarus fuit Medicus, ſed muſis aliqualiter deditus, & ideo de illo Poëta.

Medicum exiſtentem;
En norem amicum eximie muſis.

Subſequutus fuit Nicias, de quo Valerius Antias inquit: quod fuit amicus Regis Pyrrhi, & Eudemus apud Athenienſes præclarus, licet annulis ex faſcinio utebatur, Chryſippus medicinam exercuit. Sed ut tenet Celſus, *libr. 2, de Placitis*, non nimis

mis demonſtrandi fuit gnarus, præſtantior fuit Herophilus, de quo Galenus, *comm.* 7. *aphor.* 66. inquit fuiſſe Hippocratis expoſitorem, & ex illo definitionem medicinæ deſumpſit, & ita excelluit in Anatome, ut à Junioribus in ejus cognitione Galeno anteponatur: Leno ut tenet Celſus, *lib.* 5. *cap.* 1. *ſimplicium facultatum medicamentorum*, extendit doctrinam ampliavitque notitiam. Eraſyſtratus apud Aſclepiades Ariſtotelis fuit Nepos ex Plinio, *libr.* 29. de quo inquit Appiranus. *Celeberrimus medicus Eraſyſtratus, maximis conditionibus apud Seleucum agens.* Et Plinius, *lib.* 13. *cap.* 7. appellat illum maximum Medicum, Galenus, *libro de optima ſecta*, fatetur eum de Principatu certare cum Hippocrate.

Præter hos, & alios plures Aſclepiadarum doctrinæ Sectatores tres illam receperunt Scholæ, Latini, Græci, & Arabes, in quarum qualibet præclariſſimi fuêre Profeſſores, quorumque celeberrimi fuerunt Principes medicinæ nominatique ſunt. Poſt Hippocratem & Galenum apud Latinos Principes habentur Cornelius Celſus, dictus Hippocrates Latinus, Scribonius Largus, Marcellus Empiricus: apud Græcos, Arethæus, Ruffus, Epheſius, Oribaſius, Paulus Ægineta, Aëtius, Alexander, Trallianus, Actuarius, Nicolus Myrepſius. Apud Arabes Principes Avicenna nominatur, & præclariſſimi habentur Rhaſis, Avenzoar, Alzarabius, Albucaſis, Hali Abbas, Averroës, Iſaac, Meſue, & ſui commentatores, Gentilis, Jacobus de partibus, Jacobus de Forlivio, Apponenſis, Hugo Senenſis, Nicolus Florentinus, Matthæus de Gradi, Dinus & alii.

CAPUT III.

De fontibus ſcaturientibus praxim Dogmaticam.

Plures propoſuimus Authores per quos ſcaturigines doctrinæ dogmaticæ ad nos pervenerunt, ſed tanquam per irrigantes illam fontes dimanarunt ſemper ab Hippocratis ſcriptis, & adjutæ fuerunt ex Galeni operibus; Summus enim Dictator Hippocrates artem ſancivit, ſed cognoſcens illam rem Divinam eſſe in Sacrario reponendam judicavit, in locoque recondito obſervandam putavit, ut ſicuti à rebus divinis & ſacroſanctis abſtinent profani, ab illa abſtinerent vulgares, & inerudíti: ideò eam condidit gravi ſtylo, verborum concinnitate, ſententiarum brevitate, veritatis obſcuritatate, ita ut ante Galenum à nullo ferè ejus penetralia fuerint ingreſſa, donec Galenus hanc aggreſſus Provinciam ipſam perpetravit, ejus difficultates aperuit, & doctrinam quaſi in cineribus tenebrarum conſopitam, in ſplendidam flammam lucemque revocavit. Ideo ex Hippocratis & Galeni monumentis dogmatica praxis coaluit. Hippocrates igitur ut artem perficeret, & Dogmaticum Medicum inſtitueret, ſuam doctrinam per varia diſperſit volumina: alia enim conſcripſit ad Medici probitatem conciliandam, quale eſt jusjurandum; alia ad medici elegantiam in operando, qualis eſt liber, de iis, quæ in medicatrina fiunt; alia ad conſtituenda artis naturæ principia, qualis eſt liber de natura humana, alia ad victus rationem inſtituendam, qualis eſt liber de regimine victus in acutis; alia

Digitized by Google

alia ad declarandas morborum communium communes cauſas, qualis eſt liber de aëre, aquis, & locis, alia ad explicanda per hiſtoricam enarrationem, quæ in morbis communibus, & quæ in particularibus obſervari petunt, quales ſunt libri Epidemiorum, alia ad præſagiendum in morbis futurum eventum, quales ſunt libri Prognoſticorum, Proriticorum, Coacarum, alia ad partem curativam Chirurgicam pertinentia, quales ſunt libri de articulis, de fracturis, de ulceribus, & vulneribus capitis; alia mixtim deſerviunt ad Prognoſim ad curationem, & ad inſtituendam victus rationem, quales ſunt libri Aphoriſmorum; alia continent communia & univerſalia, præcepta obſervanda à medico in miniſterio Praxis, quales ſunt libri de morbis; alia ad variandas indicationes ratione Sexus, quales ſunt libri de morbis mulierum, de morbis Virginum; alia ad variandas indicationes ratione ætatis, quales ſunt libri de fœtus formatione, de natura pueri.

Ex iis variis doctrinis Praxis Dogmatica ex Hippocrate deducitur, qui non ſolum medicum Praxim exercentem conſtituit ut alii fecerunt, ſed Rationalem ac dogmaticum. Docet enim illum præterita memorari, præſentia cognoſcere, futura prædicere, ut ex præteritis cognitis agnoſcat cauſas, & occaſiones morborum ex præſentibus percipiat, quæ nequeunt ab ægroto narrari, ex futurorum dignotione valeat præcognoſcere eventum morborum, an morbus ſalubris, an lethalis, an brevis, ſeu acutus, an Chronicus, ex eodem enim medicus cognoſcens, & prædicens culpâ vacabit, & ex ſignis hæc indicantibus deducet medicus pro praxi ſpeciem, magnitudinem, morem, ac motum, ex quibus varias deſumet indicationes, à morbi enim ſpecie indicatur qualitas auxiliorum, à magnitudine quantitas, à more majorum eorum potentia, à motu celerior, aut tardior applicatio: Pro quibus ex eodem attendenda Regio, locus, cæli conſtitutio, ægri ætas, ſexus, conſuetudo, exercitia, victus ratio, ſtudium, & quæcunque inter res non naturales pro curatione poſſunt obeſſe aut prodeſſe.

CAPUT IV.

De Methodo Dogmatica Praxis ex Galeni doctrina.

GAlenus ut diximus ſummus fuit Medicus Hippocratis Sectator inclytus, præſtantiſſimus illius Commentator, omnium Scientiarum naturalium præclariſſimus Profeſſor, totius Dogmaticæ Medicinæ Illuſtrator, culmen & complementum, quam non ſolum illuſtravit, ſed firmiſſimis demonſtrationibus ſancivit, cum perſpicaciſſimo ingenio, eleganti ſtylo, ſecuro judicio confirmata experimentis rationalibus, rerum uſu, & indefeſſo labore. Hic veram methodum judicavit neceſſariam, *libro de conſtitutione Artis Medicæ*, ad praxim Dogmaticam conſequendam, quia ipſa diſcernit verum à falſo, & hanc duplicem requiri affirmat, univerſalem ſcilicet & particularem, quarum una verſatur circa univerſalia Theoremata; altera circa particularia ſe exercet, ex univerſali enim habetur operandi methodus, ex particulari adquiritur promptitudo ad exercitium artis, quæ nec valet perfici ex ſola methodo univerſali ex eodem Galeno, *libr. 9. de placi-*

Digitized by Google

Placitis. De methodo univerſali in libris methodi, ait Galenus, de particulari in libris de locis affectis, & aliis pluribus. Complectitur methodus dogmatica diagnoſim prognoſim & curationem. Curatio ſcopus eſt dogmaticæ praxis, & finis per ſe intentus à Medico, diagnoſis & prognoſis requiruntur propter illam ex Galeno *de ratione victus in acutis comment.* de prognoſi & curatione agemus infra, de diagnoſi ſub hoc capite & ſequente.

Diagnoſis igitur eſt alia univerſalis, & complectitur cognitionem omnium ſublunarium; alia eſt diagnoſis praxis particularis dogmaticæ, quæ attingit cognitionē requiſitam pro unoquoque curando affectu. Diagnoſis univerſalis univerſaliter attingit res naturales, præternaturales, & nonnaturales. Res naturales ſunt, quæ pertinent ad compoſitionem corporis humani, ejuſque naturam complent, & ſunt elementa, temperamenta, ætates, humores, partes corporis humani, ſpiritus, facultates & principia generationis, ſanguis inquam menſtruus, & ſemen, de quibus luculenter diſputavimus in *Reſolutionibus Medicis.* Res præternaturales ſunt affectus, qui naturalem corporis conſtitutionē evertunt; & ſunt tres, cauſa morbi, morbus, & illius ſymptomata, de quibus etiam diſputavimus *in Reſolutionibus Medicis.* Res non naturales, quæ hominem afficiunt, & alterant, aliquando ſanitatem conſervando, & perficiendo, aliquando ſe habendo ex parte rerum præter naturam, illam deſtruendo aut diminuendo, de quibus infra agemus.

Diagnoſis particularis tendit ad cognitionem eorum, quæ peculiariter petunt cognoſci ante cujuſvis affectus curationem, quæ tria ſunt, ut docet Galenus *lib. 1. de loc. affect.* pars affecta, affectus, quo afficitur & illius cauſa; horum aliqua ex ægri relatione, aut aſſiſtentium; ſi pendent ex procatharticis; ex Medici inſpectione, ſi ſunt in externis partibus, magna ex parte conſpiciuntur: ſi in internis ſunt recondita, ex Galeno, *libr. 1. de locis affectis.* Medicum petunt doctum, & expertum, qui illa valeat ex ſuis ſignis cognoſcere: Sunt autem ſigna medica quidquid ab aliquo tanquam à cauſa procedit ex Galeno, *lib. 5. de locis, c. 7.* Vel potius quæcumque valent oſtendere corporis diſpoſitiones, ſunt alia ſalubria, alia inſalubria; alia neutra; ſalubria denotant diſpoſitionem naturalem; inſalubria denotant diſpoſitiones morboſas; neutra verò neutram diſpoſitionem. Alia demonſtrant præterita; alia præſentia; alia futura: ideò dixit Hippocrates: *Medici eſſe præterita dicere, præſentia cognoſcere, & futura prædicere.* Sunt præterea alia ſigna uni affectui propria, alia pluribus communia; alia inſeparabilia, quæ ſemper & non ſoli; alia propria, quæ ſoli non omni; alia propria & inſeparabilia, quæ ſoli & omni conveniunt, alia aſſidentia, alia concomitantia, alia ſupervenientia, alia mox apparentia, ex iis apparet affectus, idea, magnitudo, mos, periculum aut ſecuritas.

Galenus *lib. de locis affectis*, docet ſedem primò cognoſcendam, ſeu locum affectum quia ab ejus differentia indicationes curativæ ſolent variari: qui latent in corpore loci affecti ex eodem, *libr. 1. de loc. affect. cap. 1. & 5. & libr. 3. cap. 3.* ex variis ſignis deprehenduntur: pars aut laborat per idiopathicam paſſionem, & fit tunc dum alteri non conſentit, vel per ſympathiam, quæ primo modo ſine conſenſu cum alia patitur

patitur, ut dolor capitis ob firmatam in illo cauſam; quæ ſecundo modo læditur ad conſenſum læſionis alterius fit; ut dolor capitis, qui percipitur, dum ſimul læſio apparet in ventriculo. Quocunque modo pars lædatur aliqua corporis, aut læditur particula eliciens actionem, vel læſa parte organi præſtante uſum ad actionem. Pars quomodolibet læſa ex variis ſignis tentatur cognoſci ex eodem Galeno, *locis citatis*. Primò pars affecta cognoſcitur ab actione læſa quæ illius partis eſt propria; ſic dyſpepſia ventriculi, hæmatoſis jecoris, Dyſuria veſicæ monſtrant affectus: Secundò dignoſcitur pars affecta ex dolore, & modo doloris, ſic dolor obtuſus appropriatur renibus, jecori, lieni, juxta obtuſum ſenſum harũ partium; Pungens dolor membranas læſas indicat. punctorius denotat pati membranas inflammatione tentatas. Pulſatilis dolor arterias pati confirmat. Tertio dignoſcitur pars affecta ex ſitu partis; ſic denſio aut durities in ſiniſtro hypochondrio læſi lienis, in dextro autem læſi jecoris indiciũ præſtat: tumor ſublimis abdominis læſi, profundus partiũ contentarũ. Quartò propria partiũ accidentia demonſtrant earum læſionem, ut ructus, ſingultus vomitus, denotant affici ventriculum: Color flavus obſtructionem Cholidochi: rubor maxillarum pulmonum arguit inflammationem. Quinto ab excremẽtis dignoſcitur pars affecta; ſic ſquammulæ per lotiũ excretæ, denotant læſam eſſe veſicã; craſſa & magna tunica in dyſſenteria, eſt indiciũ læſionis craſſorum inteſtinorum: fungus capitis, læſi cranii eſt nota: urina exiens per vulnus denotat veſicam eſſe læſam, exiens chylus ventriculum affici indicat. Tandem ſubſtantiæ à parte exeundi modus denotat ejuſdem eſſe partem læſam; ut ſanguis exiliens arteriam: vomitus ejus ventriculum: tuſſi pulmonem: excreatione ejectus fauces premi denotat.

Diagnoſis affectus docetur à Galeno *lib. 1. de locis affect. cap. 5.* ex ſignis variis & ferè ex prædictis, præterquam ab actione læſa, ſic ex excretis nidoroſæ ſubſtantiæ indicatur calida ventriculi intẽperies, frigida verò ab excreatione acidæ pituitæ. Ex doloris proprietate affectus dignoſci poteſt, ut ex dolore gravi renum cognoſcitur lapis illorum, ex Hippocrate, *lib. 6. epidem. ſection. 1.* & ex eodem *lib. 4. Aphoriſm. 11.* Tormina circa ventrem denotãt tympanitẽ. Ex loci natura ſæpe cognoſcuntur affectus, ut ex calculis vitia renum & veſicæ ex lumbricis morbi inteſtinorum. Ex propriis accidentibus maximè dignoſcuntur morbi; ut ex lingua ſicca & nigra febris ardens: ex rigore in ſtatu inflammationis puris generatio: ex aduncis unguibus tabes. Excreta etiam morbos denotant ut lotium. Quamplures denique morbi cognoſcuntur ex inſtitutionibus, ideo Hippocrates docet, *in lib. Epid.* inſpiciẽdos eſſe morbos graſſantes; quorum alii quatenus hæreditarii poſſunt communicari à Parentibus; Alii quia quaſi contagioſi poſſunt contrahi ab ægrotantibus; Alii quia ſequuntur ad habitum corporis; Alii, quia concomitari ſolent ætates; Alii quia accidunt juxta anni tempora; Alii juxta ſexus differentiam; Alii juxta varias Regiones; Alii conſuetudine; Alii à victus ratione contrahuntur.

Diagnoſis cauſarum pro affectibus curandis omninò etiam neceſſaria eſt; Hippocrates enim cauſas, unde ægrotare cœperint ægri docet inſpiciendas eſſe; & Galenus

lenus prius inquit in libro methodi: unamquamque cauſam abſcindere oportet, poſtea ad ea quæ facta ſunt per diſcraſiam pervenire. Ex quibus manifeſtè conſtat, præcipuam indicationem curativam deſumẽdam eſſe à cauſa interna fovente morbum: cujus cognitio variis modis habetur ex affectus natura: ſic febris tertiana, aut eryſipelas denotatur foveri à bile; ædema & quotidiana denotat fieri à pituita; natura partis in qua cauſa aggregatur, denotat quoque illam: ut caput pituitam: lien melancholiam: relucet denique cauſa ex ſuis excrementis, quæ illius naturam redolent: ex ſignis dominantis in corpore humoris. Colligitur cauſa morbi ex doloris proprietate, ideo gravis dolor denotat humorum copiam: levis flatum demonſtrat: mordax bilem ſignificat: pruriginoſus icores ſalſos commonſtrat. Poſtea ex colore cauſa colligitur, qui relucet juxta colorem humoris morboſi & juxta intemperies in corpore prædominantes; niſi à variis paſſionibus animi, aut externis aliis cauſis commutetur ex Galeno, *lib.* 1. *Aphor. Comment.* 1. ex ſanguine prædominante fit rubor: ex bile pallor: ex melancholia livor: ex pituita albor: idem contingit in lingua ex Galeno *lib.* 6. *Epidem. ſect.* 5. *ſent.* 14. & 16. Ex ahis accidentibus morbi etiam apparet cauſa: ut ex vigilia calidus humor, ex *lib.* 1. *Prorit. ſect.* 2. ſimiliter ex humoribus, quatenus ex Galeno, *lib. quod animi mores ſequuntur naturam humorum in corpore prædominantium.* Deinde humores ſolent cognoſci à juvantibus & nocentibus, & ex præcedentibus rebus, quibus valent humores alterari.

Præcipuè igitur, cùm humores ſint internæ cauſæ morborum, qui juxta earum vitium contractum ſubſequuntur, & juxta hujus vitii in humoribus cognitionem relucet internarum cauſarum cognitio: vitiũ autem duplex eſt, quod ſupervenit humoribus, nempe plenitudo & cacochymia, de quibus egimus *in Reſolut. medicis.* Plenitudo verò ſive Plhetora eſt ſanguinis redundantia, ſive ſanguinis quarti humoris: ſive omnium humorum illi commixtorum. Et alia eſt quoad vaſa: alia quoad vires ex Galeno, *lib. de plenitud. c.* 3. Alia eſt ſimpliciter talis, alia ſecundum quid: bilioſa, pituitoſa, melancholica; hæc fit ex reduntante ſanguine cum exceſſu alterius humoris illĩ commixti; Cognoſcitur plenitudo ex cutis colore rubro, corporis plena mole, vaſorum tenſione, tenſiva laſſitudine, gravitate, pulſu valido & magno, difficili reſpiratione, longiori ſomno, ignavia ad motum, ex Galeno *de plenitudine & de ſanitate tuenda*; His ſupervenire ſolent urinæ rubræ & hæmorrhagiæ narium, præceſſit copia victus in cibis, & potus alimentis, parſimonia conſueti exercitii, aut conſuetarum evacuationum; ſubſequitur actionum lapſus appetitus imminutio, vitalis facultatis oppreſſio, corporis gravitas, ſenſuum hebetatio, ac motivarum virium; Juvat vernum tempus, motus tranquillitas, & morbis ſupervenientes plenitudinem conteſtantur, quia oriri ex illa valent, ut phlegmones & febres Synochi.

CAPUT V.

De ſecundo humorum vitio cacochymia dicto.

Sicut plenitudo eſt vitium ſanguinis ut redundantis, ob quod varii ſuperveniunt

niunt morbi; & ideo ab illa indicatur ſanguinis miſſio, ratione morbi ab illa provenientis aut imminentis; ſimiliter reliquis humoribus, qui ab illius mixtione ſunt ſeparati ſupervenit aliud vitium cacochymia dictum, quia inutiles fiunt (dum inveniũtur extra commixtionem ſanguinis) nutritioni, & apti ad varios morbos cauſandos; & ideò petunt evacuari, non per ſanguinis miſſionẽ, quæ debetur ſanguini redundanti, pro cujus evacuatione non utimur pharmaco ſolutivo, ſed per ſolutivum pharmacum unicuiq; cacochymo humori proportionatum: eſt cacochymia, ut diximus. *p. 4. Reſolut. Medic. diſp. 2. ſect. 1.* redundantia alterius humoris à ſanguine, ab ejus conſortio ſeparati; vel in ejus conſortio ſupernatantis. Hujus doctrinæ vera fundamenta adduximus ibi; & firmiſſimis demonſtrationibus illam confirmavimus. Nuperrime Doctor Llera doctiſſimus, ut illam impugnet novam adducit definitionem, dicens: quod *cacochymia eſt vitioſa qualitas, qua ſuccus à juſta mediocritate recedit.* Et noſtram relinquens conẽdit ſuadere, quod vitiatus humor & ſi ſit ſanguini commixtus, eſt cacochymus: ſed imbecillibus fundamentis nititur hujus authoris conatus, firmatur enim in ſua nova definitione & in reſponſione aliquorum ex noſtris fundamentis, definitio ejus pluribus claudicat, Primò: quia ſanguini putreſcenti cõvenit vitioſa qualitas, quâ ſuccus à juſta mediocritate recedit, non tamen ratio cacochymiæ; aliàs à ſanguine indicaretur purgatio, quod nullus dogmaticus debet admittere. Secundò dicit: quod cacychymia eſt vitioſa qualitas, qua ſuccus à mediocritate recedit, impropria eſt locutio, quia ſucci à mediocritate recedunt per majorẽ quantitatem, non per vitiatam qualitatem. Tertiò: cùm à cacochymia indicetur purgatio, maximè deberet exerceri, dum maximè indicatur ab *illa*; ſed in augmento & ſtatu eſt major vitioſa qualitas, (ut ille loquitur) à qua ſuccus à mediocritate recedit ergo eſſet major indicatio purgandi, quod eſt alienum à doctrina Hippocratis, & omnium Dogmaticorum. Quartò: plenitudo ſecundum quid bilioſa completur per bilẽ eſſentialiter, quæ bilis præcipue putreſcens eſt cum vitioſa qualitate, quâ ſuccus à natura ſua recedit, & tamen non habet cacochymiam, aliàs ſimul & ſemel, eodem modo ſe habens idem humor eſſet cacochymus & plethora, qui ſimul & ſemel indicaret purgationem & ſanguinis miſſionem, & in duobus remediis æquè indicatis, æquè in principio & ante coctionem utrumque auxilium deberet exerceri, cùm ante illam ſit indicans. Quintò: ſerum ſanguinis in plenitudine commixtum cum vitioſa qualitate, facit ſuccum à ſua natura recedere ſine cacochymia; & in morbo Gallico datur prava qualitas faciens ſuccos recedere à ſua natura, & tamen tunc ſanguinem mittimus, quod eſſet contra methodum, ſi hæc definitio eſſet bona, cum à cacochymia illa purgatio ſemper indicaretur. Sextò: Minorativa purgatio ſolum exercetur de cura coacta, dum aliter materia cruda committens morbum nequit evacuari: hæc materia habet ſemper vitioſam qualitatem, qua ſuccus à mediocritate recedit. Ex quo apparet, quod ſi hæc eſſet eſſentia cacochymiæ, ob illam fieret purgatio de cura regulari, & nunquam eſſet occaſio purgandi de cura coacta, quam claſſici admittunt. Septimò: humores, qui coercentur à ſanguine intra maſſam ſangui-

nariam, ſed habent ſicut butyrum, ſerum, & caſeus dum adintegrant lac, ſed horum vitium intra lac dicitur lactis vitium, lac enim aceſcit, & ſi tamen aceſcant: dum non ſint ſeparati, ſi autem ſeparentur non lac, ſed natans pars, ſerum, vel caſeus aceſcere dicitur: Ergò ſimiliter dum humores adintegrant maſſam ſanguinariam ex quavis earum pravitate ſanguis quem adintegrant, dicitur vitiari, donec ſeparentur ab ejus commixtione, ſeparati verò, eorum vitia, jam non ſanguinis cujus non ſint pars, ſed ſeparati humoris vitium dicitur, & vitium ſic ſeparati humoris dicitur cacochymia, qua ratione ille cum jam non petat retineri, & quia eſt inutilis ſine ſanguine ut nutriat, fit objectum facultatis expellentis. & facultatis medicamenti purgantis, & ideo dicitur purgatio indicari ab humore cacochymo. Octavò: Dum humor putreſcit, vel quovis modo fit præternaturam, ſi fiat pars maſſæ ſanguinariæ, & non ſit ſeparatus à ſanguinis commixtione ſemper retinetur à natura, quia inutile utili commixtum, donec ſeparetur, nondum fit objectum facultatis expultricis: ſic fœces cibi retinentur in ventriculo donec ſeparentur. Potulenta ſubſtantia Chyli, donec fiant humores, & illorum ſerum donec in nutritione ſeparetur. Simili modo pravus quivis humor ſanguini commixtus adhuc eſt aptus nutrire, quia ut inquit Valleſius ex Galeno, natura, etſi pravo ſuo utitur ſucco, & licet nequeat nutrire, antequam ſeparetur à ſanguine, ratione ſui conſortii retinetur: Ideò Hippocrates renuit purgationem ante coctionem, quia per illam ſegregatur humor putridus, & corruptus, ex quo evidenter conſtat: quod humor utcunq; pravus ſanguini commixtus nequit purgari quia ut inquit Galenus, non habemus naturam adminiculantem, quia adhuc putridum retinet, dum eſt commixtum utili: Si autem eſſet cacochymus peteret purgari ſtatim, quia cacochymia eſt indicans purgationis.

Nonò; Cacochymia eſt vitium ob quod humores ſemper indicant purgationem de cura regulari, ut Galenus docuit, & omnes fatentur; Sed humor quilibet ſanguini commixtus, non indicat purgationem de cura regulari; Ergo non poteſt illi ſupervenire hoc vitium, dum eſt ſanguini commixtus. Probatur minor, non poteſt humor indicare purgationem de cura regulari in illo ſtatu, in quo repugnat, illa cum hęc ſine periculo vitę debeat exerceri, ſed dum eſt humor ſanguini commixtus, repugnat, quod exerceatur purgatio illius ſine vitæ ægrotantis periculo, ergo humor quilibet ſanguini commixtus, non indicat purgationē. Hæc minor probationis & tota doctrina docetur ab Hippocrate *lib. 1. Aphor. 22.* qui inquit: *Concocta medicari ac movere nō cruda niſi materia turgeat.* Ubi in prima parte docet, quod humores putridi, & vitiati non petunt purgari donec præcedat coctio, per quam, ut inquit Galenus ſeparatur inutile ab utili, & ut ſic ſeparatum fit cacochymum, & indicat purgationem: Idem comprobat in ſecunda parte docens: quod ſi peccans humor turgeat, purgetur ſtatim; Ex quo apparet quod ſi ſeparatus ſit à commixtione ſanguinis, ſtatim fiat purgatio, quia jam humor ob ſeparationē eſt cacochymus. Tum *lib. 4. de ratione victus*, comprobat prædictam humoris repugnantiam, ut purgetur antequam coctione ſeparari poſſit. & fiat cacochy-

cacochymus. *Nam ſi ventrem moveris urina non maturabitur, febriſq; citra ſudorem, & judicationem in longum protrahitur*; & larius minorem probat eodē libro dicens: *Quia quicunq; ea, quæ inflammata ſunt morborum inter initia medicamento ſolvere conatur, ii non ſolum ab intentæ inflammataque parte nihil adimunt, cum non cedat affectio cruda, verum & quæ morbo adverſa, & ſana ſunt abſumunt contabeſcuntque, d[illegible] ad imbecillitatem corpore morbus [illegible] quæ ubi corpus vicerit remedium non h[illegible]* Ergò dum eſt humor ſanguini c[illegible] repugnat, quod exerceatur purgatio illius ſine vitæ purgantis periculo. Quod confirmat Galenus, qui in humoribus cacochymis docet ſtatim purgandum, quia habemus naturam adminiculantem, quia humorem ſeparatum à commixtione ſanguinis reſpicit, ut inutile, & proprium objectum, quod tale non erat utili commixtum quod tandem confirmat Hollerius, *in comment. ad* 1. *Aphoriſm. lib.* 1. *ſent.* 22. *in Scholio* §. Quæ verò cruda ſunt & nullo modo à natura elaborata, aut incocta remanent, ut quæ naturæ conanti ipſa mitificare & in meliorem ſtatum reducere planè reſiſtant, non movenda nedum purganda medicamento ducenda ſunt: quia nec medicamento trahenti, nec expellenti naturæ materia cruda cedit, atq; æger damnis augetur, & torminibus, febreque. Nec in principiis quidem ea cruda movenda ſunt; nam quo tempore natura morbificis cauſis opprimitur, nihil ſalubriter evacuari poteſt, ex *Comment.* Galeni *ad Aphoriſ.* 22. *lib.* 4. *Aphoriſm.*

Præterea nec minuunt noſtræ doctrinæ veritatem aliquæ interpretationes in Galeni authoritates comprobante illam ut *L.* 11. *Methodi c.* 15. tenet ſanguinem eſſe mittendum in omni febre putrida, & cum poſſit ſine plenitudine dari ex ſolo putreſcente humore apparet, quod illius vitiū quia ſanguini eſt commixtum, non eſt cacochymia, alias humor eſſet expurgandus. Ad quod dicunt aliqui, quod in omni febre putrida eſt aliqua plenitudo ſaltim quoad vires; & ideo addit Galenus, quod levata natura concoquit, quod concoqui eſt habile.

Sed contra ſtat, quia ſive morbus pendeat à plenitudine, ſive illa à vitio humoris, illo evacuato levatur natura, & concoquit facilius quod relinquitur. Tum quia ſi ſimul eſſent cacochymia, & plenitudo, à vitio à quo provenit febris, inciperet curatio, & ideo purgatio indicata à cacochymia deberet exerceri, & non ſanguinis miſſio. Præterea Galenus adhuc contra iſtam interpretationem inquit, *lib.* 4. *meth. cap.* 6. quod ſanguis petit mitti, & ſi redundantis ſanguinis non ſint ſigna: ex quo apparet mittendū illum ob vitium humoris alterius, quod non eſt cacochymia, alias purgari deberet. Neque valet dicere quod ſaltim eſt plethora quoad vires; nam dicit, etiamſi non ſint ſigna redundantis ſanguinis, ipſe tamen libro primo de plenitudine tradit ſigna plethorę quoad vires, & quoad vaſa, & conſequenter dum abſolute dicit, quod etiamſi non ſint ſigna redundantis ſanguinis, de iis omnibus ſignis, ac de defectu cujuſvis plethoræ loquitur, & ſine omni illa ex vitio ſanguinis, qui non ſit cacochymia mittitur ſanguis.

Dices: quod eſt fictitium dicere, quod præternaturalis humor, licet ſit ſanguini commixtus, non ſit cacochymus qui hic ſive conjunctus, ſive ſeparatus, ſemper eſt objectum facultatis expultricis; Sed ex di-

ex dictis conſtat, quod inutile conjunctum, utili à natura retinetur, tanquam illius objectum, quia cum ſit pars utilis, vincit utilitatis ratio, donec ſeparatum inutile induat rationem diſconvenientis, ob quod fit objectum expultricis, quælibet enim utilis pars etſi diſconveniens, redditur retinentis objectum, ut urina in veſica, fel in veſica fellea ſunt quid præter naturam, &, ut inquit Galenus, retinetur quia ob fruitionem partis aliquid utilis retinent, ita quoque ſi putridus humor ante ſeparationẽ per coctionẽ eſſet objectum expultricis, ab illa ſecerneretur, & ſequeſtraretur, & peteret purgari, & natura expellendo adminicularetur purganti pharmaco; Cujus contrarium docet Hippocrates *lib. 4. de ratione victus, & in aphoriſticis ſententiis*; Et ratio eſt quare expectatur coctio, & ſeparatio humoris à conſortio ſanguinis, ut per ſeparationem amittat humor ſeparatus rationem utilis, quam admittebat ex ſanguinis conſortio, & commixtione, qua amiſſa ob novum vitium contractum ex amiſſa utilitate fiat cacochymus: ut latiùs ex nuper dictis; & dictis in Reſolutionibus Medicis comprobatur. Et tandem patet: nam quivis humor ſanguini commixtus licet ſit vitio affectus, tamen donec ſeparetur ſemper eſt pars adintegrans ſanguinem; Galenus enim *lib. de natura humana*, & *lib. de humoribus*, duplicem admittit ſanguinem, nempè ſanguinem quartum humorem, & totam maſſam ſanguinariam compoſitam ex reliquis humoribus ſanguini commixtis. Sub hac ergo mixtione, licet corruptus ſit adintegrans; humor eſt tamen pars ſanguinis, & prout eſt pars ſanguinis non poteſt dici cachochymus, quia cacochymia non eſt vitium ſanguinis, nec partium ex quibus adintegratur; ſed eſt vitium humoris, qui ſeparatur à ſanguine, ſeu vitium alterius humoris à ſanguine, qui jam illum non adintegrat.

Si autem commixtus humor corrumpatur, & amittat formam ſubſtantialem, jam non erit pars ſanguinis; ſed ſegregabitur, & erit cacochymus deſinens eſſe ſanguinis pars; quod etiam contingit in ſanguine quarto humore, qui dum eſt putridus in via, & ſervat formam ſanguinis non poteſt dici cacochymus; Si verò putridus fiat in termino, & ut inquit Galenus; pars tenuis abeat in bilem, & craſſa in melancholiam, tunc cum deſinat eſſe ſanguis, fit bilis & melancholia, & cacochymia ſupervenit in eo, quod priu fuit ſanguinis pars; ſic humores dum redundant commixti ſanguini ſi poſſint ſimul contẽperari, adaucti tamen contrahũt vitium plethorę, quod accidit ſanguini qui ex illis adintegratur; Si verò, quilibet ex illis, aut ſerum ſanguinis ita augeatur, ut non poſſit coerceri à ſanguine, ſeparatur à commixtione eius, & tunc vitium, quod illi ſupervenit eſt cacochyma, ut manifeſtè docet Galenus *lib. 13. Methodi cap. 6.* dicens: *ſi autem æqualiter omnes ſucci redundant, plethora appellatur, ſi verò pituita, bilis flava, aut atra, vel ſeroſis humoribus refertum ſit corpus, cacochymia dicitur.* En qualiter ad cacochymiã non petit humores ſimul cũ ſanguine commiſceri, ſicut ad plenitudinem requirit; ſed quod ſint ſegregati, aut corpus quomodolibet, ſit illis refertum; idem docet. *4. Methodi cap. 4.* & *lib. de multitudine, cap. 1.* & *lib. 2. de ſanit. cap. 9.* & *lib. 4. de ſanitate tuenda cap. 4.* licet exuperante pituita renuat ſanguinem mittere, quia multum exupe-

Digitized by Google

exuperans non poteſt contineri à ſanguine indebitâ commixtione:ſi autem ſit ſanguini commixta , admittit ſanguinis miſſionem ; quia ut commixta non poteſt cacochyma eſſe : ideò nec purgatione ſed ſanguinis miſſione evacuari.

Sed quid iis immoror: tota enim ac fundamentalis ratio, ex qua Llera infert hanc conſequentiam : (ergo ſententia apud Bravum adducta non eſt ſuſtinenda) hæc eſt. *Plenitudo & cacochymia ſunt duo vitia humoribus ſupervenientia, à quibus indicatur ſanguinis miſſio, aut purgatio, morbo magno exiſtente : ſed à plenitudine ſanguinis indicatur ſanguinis miſſio ; ergo à vitio cujuslibet alterius humoris à ſanguine indicabitur purgatio.* Videbis tamen hunc Authorem eſſe convictum ex Syllogiſmo ſuo ſophiſtico , & nihil deducente aliud præter ſophiſma. Nam deberet ex præmiſſis ſic deducere ; ergo à cacochymia indicatur purgatio , quod non fecit ; ex præmiſſis enim hæc infertur conſequentia tanquam legitima : in quibus ipſe ſic deductis variat appellationem, ſiquidem arguit à cacochymia ad humorem affectum vitio,quod non eſt cacochymia ; talis enim humor tunc ſanguini eſt commixtus, & ideò ratione hujus commixtionis adhuc utilis eſt pro alendo corpore , quod ſecus fit quando ſeparatur à ſanguine , & ſic contra præcepta Logicæ in arguendo peccavit , arguit enim à genere ad ſpeciem , ubi nihil valet conſequentia,affirmativè prolata ut conſideranti Canones Dialecticos perſpicuum eſt. Unde tantus Achilles facilè dilabitur : Quare ipſius conſequentiam : *(ergò à vitio cujuslibet alterius humoris à ſanguine indicabitur purgatio.)* ſic examine legitimo commendo diſtinguendo : Si ſit ſegregatus à commixtione ſanguinis, concedo illationem : ſi ſit illi commixtus,nego conſequentiam.

Bravo Tyrocin, Tract.

Cùm autem cacochymia ſuperveniat ſuccis à ſanguinis commixtione ſeparatis, & hi ſint quatuor , qui illi commiſcentur, quadruplex cacochymia ratione ſubjecti, cui accidit,poteſt annumerari , quam docet Galenus nuper citatus *libr.* 11. *methodi c. 6. §. Si verò pituita, bile flava vel atra, vel ſeroſis humoribus refertum ſit corpus,cacochymia dicitur.* Sed ſiat difficultas in determinando , quot modis poſſit fieri ſeparatio horum humorum à ſanguinis commixtione, ita ut non poſſint contemperari, & coerceri ab illo, ut ſint pars adintegrans maſſam ſanguinariam. Fiunt autem humores ſupernatantes , vel ſeparati à ſanguinis commixtione tripliciter. Primo modo à prima generatione, dum extra jecur fiunt præternaturales , vel ob jecoris nimiam aliquam intemperiem , vel ob uſum alterius alimenti apti pro alterius humoris à ſanguine generatione, quando ſcilicet generatur tanta copia ejus, ut non poſſit tota ejus quantitas commiſceri cum ſanguine, nec coerceri ab illo,aut contemperari , ut contingit in hydrope à jecore frigido : tunc enim fit major copia ſeri, vel pituitæ, quàm quæ poſſit cum ſanguine commixta coerceri,ne ſupernatet ; quod vitium ſimiliter contingit ex nimio uſu mellis , vel aliorum calidorum alimentorum , à quibus tanta generatur bilis , ut non poſſit commiſceri ſanguini, ideò ſupernatat intra venas in conſortio ſanguinis ab ejus commixtione ſeparata,vel per reliquas corporis partes diffuſa ſejuncta à conſortio ſanguinis: ideò in hydropicis ſolemus à principio purgationem adhibere , ſic in elephanti & ſcabie etiam uſu venit.

Secundo modo fit humor cacochymus, & ſeparatur à commixtione ſanguinis, qui prius ſanguini erat commixtus ex ſuperveniente alteratione & uſtione humorum, & totius maſſæ ſanguinariæ, qualiter contingit in febribus, in quibus ſanguis per uſtionem corrumpitur, & pars tenuis abit in bilem, & craſſa in melancholiam; Vel humores calidi uſtione generātur ex aliis; & ferè tota maſſa abit in bilem, quæ ſanguini commixta, nequit permanere, & fit turgens, premens ſuā copiā ac dejiciens facultates, irritando naturam. Et in hac cacochymia, ſtatim eadem die docet Hippocrates purgandos eſſe cacochymos humores ſupernatantes.

Tertiò fiunt homores cacochymi, & ſeparantur à commixtione ſanguinis, dum putredine alterati, aut uſtione reducuntur per coctionem in nocitivo ad benigniorem ſtatum, & tunc quod utile eſt, ſeparatur ab inutili, & inutile ſegregatur à commixtione ſanguinis, quia inutile eſt. Et de hoc cacochymo humore loquitur Hippocrates, dum ſancivit: *Concocta medicari, ac movere, non cruda, niſi materia turgeat.* Et de hoc conſtat, quòd idem humor petit evacuari per ſanguinis miſſionem, uſque ad declinationem, quia licet putreſcat, plures tamen partes illius coquuntur in juvativo, & plures in nocitivo ex iis quæ cœperunt putreſieri: quia ex Galeno coctio facit ceſſare putredinem, & toto tempore, quo humor ſervat formam, licet putreſcat, eſt pars ſanguinis adintegrans maſſam ſanguinariam, cui ſolum accidit vitium plethoræ: Cacochymiæ verò vitium, dum deſinit eſſe ſanguis, ubi ſeparatus & cacochymus, indicat purgationem, quod docuit Hippocrates docens concocta medicari, non cruda, id eſt, humores jam ſeparatos à commixtione ſanguinis, non verò commixtos, licet ſint vitiati & putreſcentes.

Ex prædictis apparet, qualiter cacochymi redundantes humores poſſint cognoſci ex hiscauſis per quas fiunt cacochymi. Reſtant tamen alia ſigna plurima, per quæ redundantia illorum apparet. Pituitam igitur exuperantem, demonſtrat frigida & humida corporis conſtitutio, habitatio ſub frigido aere, & frigidi victus, & potus uſus, vita ſedentaria, ebrietates, & plurium ac craſſorum ciborum abuſus, vita otioſa, ſomnus longus, flatuum proventus, corporis albicans color, præcipuè cacechiæ habitus, & ſupervenientes frigidi morbi, remiſſio in animalibus, vitalibus, & naturalibus actionibus: Bilem verè prædominantem oſtendunt natura calida & ſicca, æſtivum tempus; Regio ſicca, & calida, cibi calidi, uſus, labores, vigiliæ, exercitium, inedia, iræ, gravis cura, vaſorum amplitudo, pilorum abundantia, flavus color, dejectiones flavæ, mordax calor, incidere in calidos morbos, promptitudo actionum, iracundia, furor, vigilia, inſomnia incendiorum, quæ proſunt, aut nocent ſanitati; Denotant tandem melancholiæ prædominium, ſiccus corporis habitus, qui adurendo bilem atram, vel cum frigiditate melancholiam auget, lienis attractio, debilis & declinans ætas, autumnus, cibi craſſi, & ſicci uſus, hęmorrhoidum retentus fluxus, morbi melancholici ſupervenientes, longæ curę, nigra excrementa depravata, ventriculi appetentia, macies corporis, pilorū nigredo, fuſcus cutis color, flatuum proventus, & excreatus, metus & triſtitia, taci-

Digitized by Google

taciturnitas, vigilia, & turbulenta inſomnia. Demonſtrant ſerum prohibitæ illius evacuationes, uſus ciborum humidorum, potus exuperans, cachecticus habitus, & ſigna pituitam concomitantia.

SECTIO IV.

De Prognoſi requiſita ad praxim dogmaticam.

GAlenus pro praxi prærequirit diagnoſim, de qua egimus; & prognoſim de qua ſub hac ſectione agendum, quæ dignitate diagnoſim præcedit; Divinum enim judicatur futuros prævidere eventus; quia, ut Laconicè reſpondebat ſtrenuus Dux: *Non eſt ſapientis dicere, non putaram.* Ideò Hippocrates 1. *Prognoſt.* ſic fatur: *Medicum ut mihi videtur uti providentia, optimum eſt.* Et *lib.* 1. *Epidem. ſect.* 2. illius munus eſſe dicit: *Præterita diſcere, præſentia cognoſcere, futura prædicere.* Quæ qualiter liceat Medico prædicere, deducemus ex Hippocrate & Galeno.

CAPUT I.

De ſumma totius præſagationis in Arte Medica.

TOtam præſagiendi ſummam breviter conſtrinxit Galenus *libr.* 3. *de criſibus. libr. de conſtitutione artis medicæ. cap.* 18. & præcipuè *lib.* 2. *Prognoſticor comment.* 1. dicens: *Summa vero totius præſagationis eſt morbi collatio cum ægri viribus: ſi enim morbus fortior eſt, æger omninò morietur: ſi debilior quam ægri vires, haudquaquam morietur.* Ex quo deducunt Alpinus, Andreas Laurentius, Manelphus, Claudinus & reliqui, qui hanc artem elaborarunt, ex morbo & ex ægri natura deſumi totam præſagiendi rationem. In morbo attenduntur tria, idea ſeu ſpecies illius, magnitudo, motus & mos. Ideam demonſtrant Pathonomica accidentia; magnitudinem accidentia mox ſupervenientia; motum, ſeu morem, apparentia, ſeu graviora ſymptomata, quàm quæ debentur ideæ morbi. In ægro tria etiam pro prognoſi attenduntur, qualitas corporis, actiones & excrementa: qualitas apparet in colore, figura, & mole corporis; Actiones ſunt tres; nimirum naturales, quæ relucent in coctionibus; Vitales, quæ in pulſo; Animales, quæ in actionibus ſenſitivarum facultatum, & motu conſpiciuntur. Excrementa vel ſunt univerſalia, ut lotium: vel particularia, ut ſordes aurium, aut oculorum. Sic Laconicè præcinxit Andræas Laurentius; nec aliter deducitur ex Galeno variis in locis hominem à morbo oppugnari, qui adinſtar militum variis utitur ſymptomatibus, ut naturam proſternat: hæc verò adverſus morbum loco militum ſuis utitur potentiis, quibus & morbum, & ſuas cauſas conatur evertere, de hac quod ſit curatrix morbi, ſupra diximus ex Hippocrate; & qualiter concurrat ad curationem, quidque illa ſit, ſimul propoſuimus: hæc dum innato calido affluit, robuſtiores elicit operationes, morboſque devincere valet potentiùs. Inde pueri inſenſibiliter graviſſimos pellunt morbos; ſenes verò pleroſque non vincunt per totum vitæ decurſum. Triplex natura concurrit ſuis potentiis in hominis ſubſidium, inquit Galenus *lib.* 9. *methodi* dicens: *Gu-*

bernant animal, (ut in libris de Hippocratis, & Platonis dogmatibus eſt monſtratum.) tres diverſi generis facultates, toti corpori ex ſuo veluti quodam fonte, quæ diſtributa, eas Plato animas vocat; propriam cujuſque ſubſtantiam inveniens. Eſt enim earum quædam ad nutriendum animal neceſſaria, atq; cum ſtirpibus communis, quæ jecur veluti pro fonte habet: canales verò ab hac in totum corpus ſparſos, ipſas venas; hanc ſeu appetitricem, ſeu naturalem, ſeu altricem voces, nihil intereſt, velut ſi animam, aut facultatem. Altera eſt, quæ non modo, ut ſtirpibus, aut vitâ præditis, ſed etiam ut animalibus eſt inſita, hæc ſedem in corde habet ipſo quoque inſiti caloris quodam ceu fonte: ab hoc fonte canales arteriæ ſunt, vocaturque hæc multis ſanè nominibus; nam & facutas, ſeu virtus vitalis, & facultas, ſive virtus animoſa, & anima vitalis, & anima animoſa dicitur. Tertia anima ratiocinatrix in cerebro domicilium habet, ea voluntariis actionibus una cum ſenſibus præſidet: utiturque hæc particulis quibuſdam, ſeu canalibus, nempè ipſis nervis, ſenſum motumq; per hos in totam animal tranſmittens.

Ad prognoſim ex harum actionibus, an robuſtæ, an vero debiles ſint præcipuè cognoſcendum eſt. Naturalium igitur facultatum robur denotat bene cibos appetere, ex ratione ſitire, debito modo excrementa expellere, maximè tamen ex coctione & excretione naturaliter ſe habentibus, naturalium virium conteſtatur robur. Hippocrates *in lib. Epidemion. Coctiones ſecuritatem, & judicii celeritatem* docet *demonſtrare*: Galenus *lib de conſtitutione artis medicæ*, inquit: *Quibus commune hoc eſt, nunquam morbum ſolvi poſſe, niſi prius in excrementis coctionis ſigna conſpiciantur.* Vitalis facultatis indicat robur, naturalis reſpiratio, pulſus magni, vehementes, æquales, inquit Hippocrates *in Prognoſticis lib.* 1. *Spirationis autem facilitatē exiſtimari oportet*; Per quam vim magnam habere ad ſalutem in acutis morbis tenet etiam Galenus. Robur facultatum animalium oſtendunt rectrices actiones validæ, & motus animalium virium, inquit enim Hippocrates 2. *Aphoriſ. Mente conſtare & bene ſe habere ad ea quæ offeruntur; bonum.* Similiter debilitas facultatum ex actionum debilitate apparet, naturalis facultatis debilitas apparet ex cibi faſtidio. Hippocrates 2. *Aphoriſ.* inquit: *In morbo diuturno cibi faſtidium malum.* Galenus, *in comm. Cibi faſtidium per ſe ipſum pravum eſt ſignum in morbis diuturnis, nam in iis, qui à talibus morbis ſunt evaſuri contrarius affectus ſolet accidere, vehemens ſcilicet ciborum appetentia, &* 3. *aph.* 3. Hippocrates (*in difficultatibus inteſtinorum cibi faſtidium malum, & ſi cum febre pejus*) aſſerit, & 6. *aphoriſm. Quibus in morbis acutis ciborum, potuſque ſublatum deſiderium, ſeu appetitus, lethale.*

Apparet idem in depravatis dejectionibus, quæ oriuntur vitio concoquentis. Hippocrates, *lib.* 3. *Epid. text.* 40. *in libr.* 7. *aphor.* demonſtrat; & Galenus, *lib.* 1. *de Criſibus.* Hippocrates 2. *Prognoſt. &* 1. *Epidem. lib.* 4. *Aphoriſ.* In urinis etiam denotatur debilitas concoctricis ex Hippocrate 3. *Epidem & lib.* 4. *Aphor.* 72. *&* 4. *Aphor.* 70. Simul ex ſudoribus, & aliis, quæ excernuntur ob debilem facultatam: vitalis vero facultatis debilitas cognoſcitur ex pulſuum aliquibus differentiis, quia debilis parvi, inæquales, inordinati, crebri, & ex læſa reſpiratione, quæ ex Hippocrate debilitatem denotat, quæ rara & parva, ex Galen. 3. *epid.* quæ cogit thoracem movere

totum

totum exitialis, ex eod. *lib. de locis affect.* & quæcumque aliæ ejus differentiæ quæ lapſum corporis ſtatum præferunt, ſimiliter debiles facultatum animalium actiones demonſtrantur ex earum læſione. Hippocrates *lib.* 4. *aph.* inquit: *Si non videat vel non audiat jam debili exiſtente corpore, quidquid horum evenerit, jam mors eſt proxima.* & *in Prorit. Prælanguentium deſipientia peſſima*, & *lib.* 3. *Epid. Oblivio ſub acceſſiones, languor, vociſq; defectus*, Galenus *in comm.* tenet de exitialibus eſſe & ſic de aliis diminutis hujuſmodi actionibus tenendum, de quibus latius agemus *infra.*

Morborum ſimiliter robor cognoſcitur ex idea, magnitudine, & more, ex ſignis horum Pathonomicis, ſupervenientibus, aut mox apparentibus ſic in Pleuritico dolore, quia ex ſua idea periculoſiſſimus eſt, illam demonſtrant quinque ſigna Pathonomica, dolor lateris magnus, febris acuta, tuſſis moleſta, ſicca, aut ſine ſputis, pulſus durus, difficultas reſpirandi, quæ adaucta prænuntiant ideam morbi, & illius robur, ſi ſuperveniant major acuties, pervigilium, delirium, inquietudo, ob magnitudinem adaucti periculum conſpicitur. Si ſimul mox appareant ſigna malum morem prædicentia, robur adaugeri morbi concluditur, ex ſupervenientibus pravis ſignis exitium denuntiat Hippocrates in febribus ardentibus, 1. *Epid.* dicens: *Si quidem ſtatim ab initio febris acuta eos corripiebat, à qua parum rigebant, inſomnes erant ſitibundi, faſtidioſi.* Mox apparentia pernicioſa ſigna morbi denotant vehementiam: inquit enim Hippocrates 1. *epid. com.* 2. agens de iis, ſic inſinuat: *Paululum in fronte & claviculis exſudabant, ſed nemo per totum corpus, multum delirabant, timores, modeſtia, extremitates ſubfrigidæ, ut ſummi pedes magiſq; manus, acceſſiones diebus paribus. plurimi quarto die maxime laborabant, ſudores diutiſſimi, ſubfrigidi, extremitates non jam ad calorem redibant, ſed lividæ erant, & ſubfrigidæ nec ſitiebant, ad hæc erant urinæ iis nigræ, tenues, paucæ, & alvi ſubſiſtebant, nec erupit ex naribus ſanguis, ne iis quidem, quibus hæc accidunt, ſed parum ſtillarunt, nec recidiva ulli horum advenit, cæterum ad ſextum diem cum ſudore moriebantur.* Ex iis apparent mox apparentia ſymptomata vehementiſſima, malum morem prænuntiantia ex ſuis cauſis demonſtratur in morbis eorum potentia, ideo Hippocrates *in l.* 6. *epid.* impetus morborum graſſantium docet attendere, morborum debilitatem demonſtrant debilia accidentia, præcipue morbi idea, ex qua & illa ſubſequuntur, quæ ſi pauca, levia, parum moleſta, mitem morbum demonſtrant. Galenus *lib.* 3. *Progn. ſimpliciſſimæ febres ſignis firmatæ ſecuriſſimis:* inquit, *quarto die, aut citius deſinunt.* & proponens ſigna ſecuriſſima ſuperaddit, *Qui enim convaliturus eſt, facilius ſpirat, ſine dolore agit, noctu dormit, & alia ſigna ſecuriſſima habet.* Quæ veniunt intelligenda dum pro ratione ſunt parva: nam ſi parva appareant in exitiali morbo, exitii ſunt judicium. Hippocrates *lib.* 1. *Prorit.* inquit: *tremulæ obſcuræ, blandæ & contrectabiles deſipientiæ valde phreneticæ.* & 3. *Epid.* de Hermocrate inquit: *de decimo quarto à febre liber, non ſudavit, dormivit, omnino mente conſtabat, quæ exitialia fuêre in eventu.*

* * * * *

CAPUT

CAPUT II.

De prædictione ex Hippocrate: ex aliquibus rebus naturalibus, & non naturalibus, læſiſque actionibus reſtricibus.

NUlla ſunt homini ſecundum naturam *non naturalia*, aut *præter naturam*, ex quibus Hippocrates non adinvenerit prædicendi rationem ex ægro, ex quo pro Prognoſi inquirendæ ſunt cauſæ: inquit igitur Hippocrates, *libr. de decenti ornatu*, obſervanda eſſe ægrotorum peccata, & *lib. 6. Epid.* cauſas unde ægrotare cœperint, qui ſi mentiantur, ex indebita curatione prædicitur mors: ex ægri peculiari natura ſumitur prædicendi ratio. Unde Hippocrates, 2. *Aphoriſ.* 34. inquit: *In morbis minus periclitantur quorum naturæ morbus magis congruit: & libro de flatibus* docet: quod *differt corpus à corpore*, & 3. *Aphoriſ.* 2. *naturarum aliæ quidem ad hyemem, aliæ ad æſtatem benè vel malè ſe habent.* Ex iis etiam quæ offeruntur, ſumitur prædictio ex Hippocrate, 2. *Aphoriſ.* 33 *Benè ſe habere ad ea, quæ offeruntur bonum.* Malum, ſi malè ſe habeant, ex eodem 1. *Epidem. conſtit* 2. præcipuè ſi malè ſe habeant ad cibum recipiendum, ex Hippocrate, 3. *Epidem. ſect.* 2. & apparuit in Pario, in Thaſſo, in Hermocrate ad novum murum, in muliere decumbente apud frigidam: idem contingit, ſi male ſe habent ad potum, ex Hippocrate, *in Coacis*, & expertum, *in Epidem.* 7. cernitur in filio Cydis, in Carthade, in uxore Theandri; ex aëris conſtitutione variæ ſumuntur prædictiones; in conſtantibus temperiebus morbi bene judicantur, ex Hippocrate, 3. *Aphoriſm.* 8. In inconſtantibus fiunt mala judicia, in ſiccitatibus febres fiunt acutæ, ex eodem 3. *Aphoriſ.* 7. ideò in Autumno morbi acutiſſimi 3. *Aph.* 9. Et in quovis anni tempore, ſi modo calor, modo frigus fiunt morbi autumnales, ex 3. *Aphoriſm.* 9. Æſtate vero fiunt febres continuæ, ardentes, tertianæ, & quovis tempore morbi proprii qualitatibus intemperatis illius, ex 2. *Aphoriſm.* 16. & 12. *Si* qui intemperetur aër ex qualibet regione, proportionatos in illa parit morbos, ex Hippocrate, *libro de locis, aëre, & aquis, & in libr. Epidem.* Expertus fuit in varis regionibus, in Taſſo, in Cranone, in Laryſſa, in Abderis, in Cizico, in Melibæa, in Perinto, in Æno, Ælide, in Athenis, in Delo, in Landia, in Syro, in Salmine. Ex uſu victus, aut potus, ſupervenientibuſque morbis ex illis prædictio ſumitur, obſervaturque ab Hippocrate, quod Parius, qui 20. obiit, pravis uſus fuerat eduliis. Appollonius, in Abderis ægrotavit, quia intempeſtivè bubulina carne, & multo lacte uſus fuerat. Philiſtes in Thaſſo, ex potationibus, ſicut Cherion apud Demenetum. Eurianactis filia deliravit ex botro guſtato, ex quibus aliquid ad prædicendum hæc demonſtrant, ſicut ex iis, qui à conſuetudine deviant. Nam conſueta, & ſi deteriora minus moleſtant, ex Hippocrate, 2. *Aphor.* 50. & 1. *Prognoſticor.* Dentium ſtridor inſuetus etiam damnatur ut pernicioſus, & decubitus, qui ab aſſueto recedit, ſive æger nequeat continere ſe, ſive delabatur ad pedes, ſive diſpergatur ultra conſuetum, ſive pronus jaceat, ſive ſupinus, ſive quomodolibet ultra conſuetudinem nimis hæreat, vel ab illa deviarit multum, ut adoleſcens, in 3. *libr. Epidem.*

qui

Digitized by Google

qui decumbat in foro mendacii ob inſuetas laſſitudines, curſuſq; inſolitos, ac labores. Ab ætate ſumitur prædicendi ratio, ex Hippocrate, 2. *Aphoriſm.* 34. In morbis minus periclitantur, quorum ætati morbus congruit, ex eodemque 2. *Aphoriſ.* 25. In dentitione febres ſuperveniunt, ſic & alii morbi in aliis ætatibus ex eodem, ex ſermonibus inſuetis malum prædicitur: ex Hippocrate enim Silenus ait: fuère ſermones multi, riſus, cantus, in quibus ſe non poterat continere, obiit: Appollonius in Abderis, cui plures fuère clamores, & ſermones, licet mulieri in Thaſſo, in Leio decumbenti contigit poſt multos ſermones rectè judicari. Morum mutatio conducit etiam ad prognoſim, ex Hippocrate 1. *Prorrític. & in Coacis, ex moderato ferox reſponſio malum.* Sic contigit mulieri in Cyzico, *lib.* 3. *Epidem.* his accedit quoque taciturnitas, quæ pro delaborata experitur, idem contigit Eurianactis filiæ, *ægrot.* 1. *libr.* 3. *Epidem.* Dealcis uxori, & firmat Hippocrates *in Coacis.* Somnus & vigilia utrumque ſi modum excedat malum, ex Hippocrate, 2. *Aphoriſm.* 3. ut evenit Sileno, & Philiſco; ſed præcipuè ſomnus damnatur, qui laborem facit, ex Hippocrate 2. *Aphoriſm.* 1. *In quo morbo ſomnus laborem facit lethale.* Turbulentum ſomnum damnat etiam *in Prorit.* & turbulentas cum ferocia à ſomno excitationes, inſomnia, quæ diurnas actiones repræſentant, & rectè de illis judicant, bona eſſe, tenet Hippocrates *libro de inſomniis.* Quæ vero ab iis recedunt mala, non neceſſariò lethalia. Critias enim poſt illa rectè judicatus fuit. Involuntarias lachrymas damnat Hippocrates, *lib. 6. Epidem. & 4. Aphoriſm.* 52. Fœtores damnantur in ægris, in excrementis, ex Galeno, *lib.* 3. *Epidem, ſect.* 2. *text.* 9. Hippocrates, *libr.* 2. *Prognoſt.* docet eſſe indicium extinctionis caloris nativi. Potum, cibum, vel oblata medicamenta videri, graveolentia ægro, denotat humores putridos in corpore redundare, ex quorum exhalationibus malè olentibus organa ſenſuum externorum abundant. Stupores ſeu torpores prænuntiant paralyſim, aut apoplexiam. Hippocrates 7. *Coacarum* inquit: *Torpores, & ſenſus privationes præter conſuetudinem ortæ, futuras apoplexias denuntiant.* Et *lib.* 1. *Coacar. ſection.* 1. Torpores à multis rigoribus maligni. A caliditate corporis fit Prognoſticum, quæ mitis eſt laudatur ab Hippocrate, *in libr. Prognoſt.* Si febrilis melior eſt, quæ temperatior, ſuavior, æqualis omnibus partibus, cum humido nativo calore magis ſimili ex Galeno, 2. *de natura humana*, caliditas ingens cuti in acuta febre ſparſa, naturæ robur ſæpè prænuntiat, ſicut & caliditas partium extremarum magna, & cum rubore, ex iis enim infertur, viſcera carere vehementi inflammatione, à qua ſolet frigiditas earum partium ſubſequi, ex Hippocrate 2. *de ratione victus text.* 19. *& libro* 1. *Prognoſticor.* in febre acuta partes non caleſcere pro illius ratione, aut frigidas eſſe, tenet malignitatis eſſe ſignum. Unde Hippocrates, *libr.* 7. *Aphoriſm.* 17. Facies valde calida cum ſudore mala, ex 2. *Proriticor.* 33. dicitur. Æſtuoſi rigores quadamtenus pernicioſi, flammas quoque cum ſudore facies in iis mala; interna vehemens caliditas cum frigore extremorum damnatur ab Hippocrate, 4. *Apolog.* 48. in febribus non intermittentibus ſi partes exteriores frigeant, interiores urantur, & ſitim habeant

beant lethale. Plerumq; in acutis caloris in frigiditatem, & è contra mutatio fit: ex quibus prædicendum venit, ſive ſenſim, ſive ſubitò contingat. Caloris in frigus mutatio, niſi in adventu acceſſionis illius, præſtat indicium ſemper malum, ſive fiat ob caloris reſolutionem, ſive ſuffocatione à crudis humoribus, ſive obſtructis vaſis, ſive ab interna inflammatione, ſive à maligna qualitate. A frigiditate ad calorem ſecurior eſt mutatio, licet prænunciet ſæpe longitudinem morbi inquit Hippocrates, *lib.* 4. *Aphoriſm.* 40. & ubi in toto corpore mutationes, & ſcilicet corpus refrigeretur, & rurſus calefiat longitudinem morbi ſignificat. Si acutus fuit morbus ex Galeno, *in Prorit.* ſignum eſt lethale. Laſſitudines prædicendi etiam vim habent: Unde Silenus ex laſſitudinibus incidit in lethalem morbum. Quæ ſpontaneè accidunt, in triplici ſunt differentia: Ulceroſæ ortæ à cacochymia: Tenſivæ ortæ è plenitudine, aliæ ex utriſque ortæ, quæ inflammationis præſtant ſenſum, fiunt aliquando in toto corpore, ſæpe in determinatis partibus, præceduntque ſæpè morbos. Inquit enim Hippocrates: *Laſſitudines ſpontaneæ morbos prænunciant.* In morbis præcipuè poſt coctiones prænunciant ſalutem, & motum humorum ab internis in externas partes, prænuntiant ſæpe abceſſum in partes muſculoſas, ex Galeno *lib.* 4. *Aphor.* 31. Ex iis ſubſequuta evacuatio liberat à morbo, Hippocrates *in Coacis*: qui comate preſſi, & laſſitutine fracti obſurduerunt, erumpente alvo rubra dejiciunt circa criſim, idque juvat, cum multis ſymptomatibus laſſitudines peſſimæ, *lib. Coac. ſect.* 1. *textu* 34.

CAPUT III.

De prædictione ex variis ſymptomatibus animalis motivæ facultatis.

Supervenit in morbis inter ſymptomata facultatis locomotivæ inquietudo, anxietas, jactatio, implaciditas, nomina ſunt ſynonima, quibus in Coacis, Proriticis, & Prognoſticis, pro prognoſi utitur Hippocrates, vitia ſunt localis motus; anxietas magis dicitur de læſo motu reſpirationis, ſumitur à Galeno pro vitiatâ decubitus figura, *lib. de humoribus*, §. *Ajunt enim eos ægrotos anxioſos eſſe, qui decubitum ferre non poſſunt.* Per omnia hæc nomina intelligimus decubitum vitiatum, ita ut æger non perſiſtat in uno loco, nec in eadem decubitus figura. Anxietas præcipuè dicitur de ventriculo cum nauſea à cibo, humoribus, malignitate, aut viſcerum inflammatione, aut vaporum commotione, dum commoventur humores ut in criſi. Unde Hippocrates 2. *Aph.* 13. *Quibus futura eſt criſis, iis nox gravis ante acceſſionem.* Sic & in ſuppuratis ſolet eſſe anxietas ex elevatis acribus vaporibus ex pure, quæ præcedit criſim bonam, & eſt anxietas bona, reliquas damnat Hippocrates *lib.* 2. *Prorit. text.* 27. De anxietatibus ventriculi, Hippocrates in *Coacis* 42. dicit: *Anxietatem cum faſtidio, & nauſea ventriculum læſum ſignificare.* In febribus verò intermittentibus, & aliis morbis inquietudines cum nauſea & faſtidio non ſunt malignæ, quia ſæpe orto vomitu auferuntur. Et *lib.* 7. *Epidem.* de Uxore Theotimi inquit: *Uxor Theotimi, in ſemitertiana anxietas, vomitus & horror ſimul cum febris inciperet & ſitis: Procedente verò*

cùm melioratum potaſſet, & vomuiſſet, horror & anxietas ſedata ſunt. Sedatur etiam anxietas oborta criſi, ut diximus, & apparet, & poſt eruptionem variolarum; Et patet ex Hippocrate, *libro Coacar. comment.* 1. *text.* 19. *& libro* 4. *comment.* 2. *text.* 40. In ſummo vigore ardentis febris anxietas debetur illi: perniciosior, quæ accidit cum moderato calore, & frigidis extremis. Hippocrates, *libro* 1. *Prognoſtic. text.* 16. ait: *Si verò nudos habeat pedes, nec admodum calidos, & manus, collum, & crura diſpergat inæqualiter, malum eſt.* Exitum vidit Hippocrates in Sileno, & in muliere decumbente in foro mendacii, in Ariſtagora, in hiſtoria Chartidis, ſi anxietas in acutis ſupervenit ceſſante ſubito dolore in aliqua parte, exitiale eſt, ut vidit Hippocrates *l.* 3. *Epid.* in Lariſſa Calvo cui tertiò fœmur deſiit dolere, anxius factus quarto obiit: ex quolibet decubitu Prognoſis deum valet, ut diximus, fit decubitus vel ab animali facultate, vel à gravitate: ab animali fit in deliriis depravatus aut indebitus; A gravitate dum proſternitur animalis facultas; decubitus, qui deviat à naturali, damnatur ab Hippocrate 7. *Coacar. ſect.* 1. *text.* 21. At gravitas totius corporis, & manuum, ac pedum, mala eſt, præſertim non oppresſis muſculis, plenitudine, nec ſubita aliqua evacuatione, aut occaſione manifeſtè progreſſa, & *in text.* 22. cum lividitate unguium aut extremorum omnimodam extinctionem prænuntiat; & propinquam mortem, in *text.* 17. damnat decubitum proclivem ad pedes. Supinus decubitus damnatur ab Hippocate in *Prognoſt. & in Coacis*, præcipuè ſi cum hoc decubitu hiante ore dormiat æger; Unde 7. *Coac.* lethale eſt hiare, & dormire ſemper & crura jacentis ſupina valde incurvata eſſe, ac complicata, in ventrem decumbere damnat etiam Hippocrates, prænuntiat enim vel delirium, vel ventris dolorem, ex tremore ſumitur prædicendi ratio, tremor ſumitur à Galeno, *lib.* 3. *Epidem.* pro actione diminuta motus voluntarii ab Hippocrate pro motu convulſivo *in Aphoriſm.* tremores ſupervenientes delirio ſolvuntur; qui in Virgine pulchra Nerei apparuerunt, ex *libr.* 5. *Epidem.* Parvam convulſionem tremorem appellant alii, ſumitur etiam pro rigore ex *libr.* 7. *Epidem.* in adoleſcente peregrino. In principiis morborum tremor prænuntiat ſuccorum copiam, ſic in 3. *epid.* obſervat Hippocrates in Carione, obſervavitque in Pithione, qui propè Telluris ſacrum habitabat, cum his vero ſi ſimul ſint alia ſymptomata, difficile judicium præſtant, ut apparet ex Hippocrate *lib.* 4. *Epid.* *Uxor* (inquit) *Emmyrrhis modo non morboſo videbatur ſine febre fatua eſſe, deinde in tremorem venit totius corporis, liquationem, & faſtidium.* Poſt ſigna coctionis tremor bonum præſtat præſagium, eo quod acres humores ab internis ad externas partes feruntur, ſic apparuit in adoleſcente peregrino, *lib.* 4. *Epid.* Tremores convulſi ſivè motus in febre ardente, ex Hippocrate in *Aphor.* delirio ſolvuntur, poſtea reſiccatis nervis lethales, ideò Hippocrates in *Proriticis* ait, quod Phrenetica in vehementer trementia finiuntur. Exolutâ virtute ſi ſuperveniant tremores ſunt lethales, & *libr.* 1. *Proritic. & in* 5. *Epidem.* apparuit in Didymarcho. Si ſine tremoribus fiant convulſiones varias prędicendi enuntiant ſortes. Convulſio acutiem plerisque cauſans affert periculum. Hippocrates *lib.* 5. *Aphoriſm.* 6. *Quicunque à diſtentione corripiuntur in qua-*

Digitized by Google

in quatuor diebus pereunt, ſi verò has effugerint ſani fiunt. Et 4. *Aphor.* 57. *Qui a convulſione aut diſtenſione nervorum tenetur, febre ſuperveniente liberatur.* Et 2. *Aphor.* 26. *Febrem convulſioni ſupervenire melius eſt, quam febri convulſionem.* Et juxta hæc 2. *Epid.* Si pueris fiat ſpaſmus, urere jubet. Et *lib.* 7. *Aph.* 70. *A quartana capti non admodum convulſionibus capiuntur. Si prius capiantur, quartana ſuperveniente liberantur.* De convulſis ab ebrietate protulit 5. *Aph.* 5. *Si ebrius quiſpiam repentè obmutuerit, convulſus moritur niſi febre corripiatur.* Summè exitiales ſunt convulſiones, quæ ratione exſiccationis in febribus fiunt. Galenus *lib.* 12. *methodi cap.* 8. Scire licet hujuſmodi affectum; ſi modo curabitur, humectationē poſcere. Cæterum curatu perdifficile eſt, vel potius quod curari nullo modo poſſit, ſi febris occaſione eſt contractum. Exitialis etiam eſt convulſio ex inanitione, ex Hippocrate *lib.* 3. *prorit.* & *lib.* 5. *Aphoriſm.* 26. 56. & pluribus in locis præcipue exemplis commonſtrat *in lib. Epidem.* Idemque contingit, ſi ex vulnere fiat convulſio, ut in ſcamandro, in eoque jaculo ſauciatus, fuit convulſus; in Nerei virgine; in Gubernatore navis: Animalis motus impeditur tempore, qui prænunciat pro eventu in ſanis apoplexiam; Hippocrates *in Coacis* inquit: Torpores & ſenſus privationes præter conſuetudinem ortæ futuras apoplexias prænunciant. In febribus torpor ſeu ignavia perniciosa ſunt præcipuè cum rigoribus. Hippocrates *lib. Coacar.* ait: *Rigores multi torporem inducentes maligni. Denotant enim nativi caloris extinctionem* Loquelæ motus fit varius & multiplex: ex illo oritur prognoſis: ſi abolitur, dicitur Aphonia; ſi minuitur, fit rauca, clangoſa, acuta, ſtridula, interrupta, querula, lugubris, tremula, obſcura, balba, tarda, imminuta; ſub ſilentio eſt Aphonia, quod fiat homo mutus, & quod ſine iis vitiis nequear loqui, potius taciturnitas vocatur, quam, ex Proriticis diximus prænunciare delirium: in non aſſuetis multum tacere; Vox clangoſa, ſtridula, prolabunda, querula, lugubris, ſeu acuta, demonſtrat igneam exſiccationem & coarctationem deſervientium reſpirationi, ex Galeno *lib.* 2. *Prorit.* Rauca vox, clangoſa, ſtridula, irrigationem prænuntiat, earum partium ſunt exitii prænuntiæ, ex differentiæ ſive reſiccationes, ſive facultatis fiant extinctione, *libro ſecundo Prorit.* Vox acuta, clangoſa, mala eſt. Galenus *in Comment. Quibus vox acuta, iis hypochondria intrò tracta ſunt.* Et *in Coacis* dicitur: *Acuta vox & lugubris, & oculorum obſcuratio, convulſiones accerſunt.* Et *lib.* 2. *Cum voce tremula alvi præter rationem ſolutio in iis longiore tempore corpus malè habentibus, lethale.* Aphonia, ſi criſim antecedit, illam prænuntiat, ex Hippocrate *libr.* 7. *Epidem.* in Theoclis cognata; & *lib.* 3. *Coacarum textu* 17. Si in convulſionibus diu permanet, lethalis, niſi lotium multum prodeat; in iis qui ſuffocantur; ſi pauſo poſt deſinat non perniciosa. Hippocrates *libro quinto Aphoriſm.* ſi ebrius quiſpiam repentè obmutuerit, convulſus moritur, niſi eum febris corripiat, aut ad eam horam veniens, qua ſolent ſolæ crapulæ, loquatur. Si fiat Aphonia ex conſenſu ventriculi, vomitu liberatur, ex Hippocrate *libr.* 5. *Epidem.* Hermophili filius ægrotavit undecim dies, febris autem tenebat ipſum. & non deſcendebant cibi; & primum quidem deliravit, noctè verò ceſſavit

-vit, ſequenti die ſine voce jacebat ſtertens, diſtentos habens oculos, febricitans, pennâ immiſſâ vomuit bilem atram, & clyſtere immiſſo ſtercus multum ejecit, & liberatus fuit ab Aphonia. Si poſt aphoniam non ſequatur criſis, lethalis eſt, *ex 7. Coacarum.* Quibus vox in febre intercepta ſine judicatione, cum tremore moriuntur, præcipuè ſi extremæ partes liveſcant, & ſit delirium, ex Hippocrate, in Philiſco extremitates undequaque frigebant, nec ad calorem amplius redibant, minxit nigra, aliquantum dormivit, ſub diem obmutuit, & periit. De hujuſmodi pernicie innumeræ hiſtoriæ in Epidemiis.

SECTIO V.

De Praxi Diætetica Dogmatica.

THerapeuticæ prima pars eſt Diæta, & præcipua; ex Galeno enim ſola pleroſque curat morbos ſine reliquis, non tamen ſine illa reliquæ. Eſt modus, ratio, regula, aut inſtitutio vivendi, ex Hippocrate *libro de Diæta.* ex Galeno *libro de ſanitate tuenda*; ex Gorræo *libro definitionum medicarum.* Nec ſolum neceſſaria eſt ad morbos curandos, ſed ad ſalutem conſervandam; utroque modo praxis fit inſtrumentum. Nam non ſolum verſatur circa amiſſæ ſanitatis adquiſitionem; ſed circa adquiſitæ ſalutis conſervationem: hæc dicitur ars ſanitatis tuendæ, Sanorum Diæta, à Græcis Hygieine: utraque eſt pars medicinæ practicæ, præſcribens modum tuendi ſanitatem per adminiſtrationem rerum nonnaturalium: Sunt hæ mediæ inter res naturales, & præternaturales; & ſunt ſex: Aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigiliæ, excreta & retenta, & animi pathemata, de quibus ſub hac ſectione diſſerendum à nobis eſt.

CAPUT I.

De Aëre & iis à quibus alteratur.

AËr inter res non naturales, quàm maximè nos valet alterare, ut Quercetanus ex Ægineta profert, nam ambiens nos Aër temperamenta mutat, atque pervertit, dum aut immodicè calidior, aut frigidior, aut ſiccior, aut humidior evadit. Reliquis verò cauſis non omnes ſumus obnoxii; non enim eas continuò obvias habemus, nec etiam per totum diem eis exponimur. Aër autem nos ambiens forinſecus omnes nos circum circa neceſſariò perfundit, & per inſpirationem trahitur. Neceſſe eſt igitur, ut ad mutationes ejus juxta temperamentum ipſius coafficiantur etiam animalium cæterorum corpora. Aër ut corpus eſt ſimplex, ſemper eſt calidus, & humidus, ſed quia unumquodque operatur ſecundum illud, quod habet in actu; diverſo modo alteratus, diverſimodè in nos agit, & eſt res nonnaturalis corpus humanum ambiens, eique per certos meatus ſe inſinuans. Attenduntur in Aëre ſubſtantia, & variæ temperies, & hæc à variis ſuperveniunt cauſis. Aëris ad vitam ducendam tanta eſt neceſſitas, ut animal vivere, & non reſpirare impoſſibile ſit, ut teſtatur Ariſtoteles, atque Hippocrates, *libro de fla-*

ribus, & ita maximi momenti eſt illius uſus, ut ſi hic interdicatur, extinguitur nativus calor defectu refrigerationis, ac penuriâ pabuli, & ventilationis impeditæ. Galenus *libro nono methodi*, ſine illo ſanitatem negat poſſe conſervari, aut morbum curari. Tripliciter enim corpora afficit; contactu, inſpiratu, & tranſpiratu, ex Galeno *in arte parva cap.* 85. & *libro* 5. *de ſanitate tuenda capite undecimo*, qualis debet eſſe aſſerit ad ſanitatem conſervandam purus tenuis, amœnus, ſerenus, nullis obſitus inquinamentis, nullis perfuſus vaporibus, aut caliginibus, is enim humores attenuat, reddit defæcatos, ſuſcitat calorem, juvat coctionem, exhilarat cor, colluſtrat mentem, & omnes naturæ actiones roborat, ut deducitur ex Avicenna *Fen.* 1. *lib.* 1. Aër verò inſalubris habetur, qui craſſus, obſcurus, caliginoſus, non diflatus, contrarios enim parit effectus, fit peſſimus & peſtilens, qui inquinatur ex vaporibus ſtagnorum, ſpecuum, cloacarum, cadaverum, olerum, & aliarum putreſcentium rerum, vel qui ex peſtilentibus fomitibus contaminatus eſt.

Aëris mutationes à variis proveniunt cauſis; ab Aſtris, ab anni temporibus, à ventis, ab aliiſque Meteororum exhalationibus, à Zonis, à Climatibus, à regionibus mundi, à mundi partibus, aut Provinciis, à Civitatibus, earumque ædibus, à particulari locorum conſtitutione. Qui ab iis temperatur aër, pro conſervandis conducit temperatis: qui vero intemperatur contrariam corrigit intemperiem, ſimilem auget, *libro* 1. *Aphoriſm. Comment.* 3. Calidior aeris conſtitutio ſpiritus inflammat, humores accendit, diſſolvit, attenuat, bilem auget, calida corpora laxat, extenuat, poros reſerat, movet ſudores, excitat ſitim, dejicit vires, debilitat coctionem, vitam corripit ex Avicenna, *capite ſexto Summæ* 202. *fol. libr.* 1. ex quo proveniunt acuti morbi; & ex Galeno ſi ei adjungatur humiditas augetur putredo, quæ ſi eſt magna, peſtilens morbus ſubſequitur, ex Galeno *libro de febribus*. A frigida aëris conſtitutione occluduntur meatus, denſatur cutis, & prohibitâ ventilatione fiunt febres, induratur venter, ex *lib.* 6. *Epidem ſect* 5 ſi humidior fiat aër, congerit excrementa, auget pituitam, *ex* 2. *Aphoriſm. Comment.* 7 inde febres longæ, alvi fluxiones, morbi diurni; Si aër fiat ſiccior ſiccat cutem, febres cauſat acutas, minuſq; eſt inſenſus ſanitati, quàm humidior.

Ab Aſtris mutatur aër, ſublunariumq; generationes, & variæ mutationes dependent: oportuit ideò mundum hunc contiguum eſſe lationibus ſuperioribus, ut inferiora hæc regantur, & gubernentur. Præ reliquis ſol & luna, quàm maxime influunt: Eſt autem Sol ſuo acceſſu & receſſu temperierum & rerum generationum author; aut inſtrumentum, ita ut rerum dominatio ei adſcribatur ex Ptolomæo *libr.* 1. *de judic.* ſicut anno præeſt Sol, ita & Luna menſibus; Menſtrua in mulieribus ſtatis temporibus movet; Mari præeſt; & juxta ſui varias mutationes, varias in aëre inducit intemperies; pluvias mittit, & innumeras alias rerum varietates; ſed in aëre immutando maxima ineſt vis in reliquis Aſtris, ut enim alias diximus ex Quercetano, conſtans eſt aliorum aſtrorum vis aërem immutantium: circa diem vigeſimam primam, aut vigeſimam ſecun-

ſecundam Martii Sol ingreditur Arietem: Pegaſus equus mane exoritur & fit æquinoctium vernum; & ſupervniunt magnæ in aëre mutationes, & perturbationes, incaleſcit aer, impregnatur tellus, ſuccos exprimit, & germina floribus explicat, tunc maria turgent, & humores in nobis immutantur. A die verò 18. 19 & 20. Aprilis, & per aliquos ſubſequentes dies Plejades ſitæ ad Tauri oculum exoriuntur cum ſole, quæ frigidum ſydus ſunt, & ſolis coercent calorem, & frigidior fit aer, quam in menſe antecedente; & ideo tum quidam dies vindemiatores dicuntur, qui fructuum, & uvarum plerumque ſpem auferunt. Die 28. Aprilis Orion occidit cum ſole: hyades vero circa primum Maji oriuntur, & ſuſcitant, dum ſunt prope ſolem, pluvias, & tempeſtates, & ſuſcitantur hyemis rigores. Die ſeptima Maji mane inſurgunt Plejades, Sol Tauri domum deſerit, ut tranſeat ad geminos Amycleos, & tunc aër attemperatur. Die 6. Junii poſt occaſum ſolis occidit Arcturus. Die nona Delphinus emergit ante ſolis exortum: 20. Orion incipit, mane ſol cancrum ingreditur, & fit æſtivum ſolſtitium, antea & poſtea fiunt variæ in aere mutationes. Die tertia Julii totum Aſtrum Orionis conſpicitur ad Orientem. Die 14. Julii, Procyon, aut canicula exoritur mane, Die 19. Canis ſtella ardens inſurgit mane cum Sole ingreſſurus leonem, tunc totus aer acrius incenditur, & aeris fiunt perturbationes, dieſque caniculares. Die tertia Septembris oritur Arcturus, & perturbat Aërem. Die nona oritur mane ſpica, & poſt aliquot dies Sol libram ingreditur, & fit æquinoctium Autumnale, & magnæ aeris perturbationes, & corpora varie immutantur. Die 25. Octobris, Orion perſpicitur veſperi, & magnæ in aëre fiunt tempeſtates. Die prima Decembris occidit canis, fit dies tempeſtuoſa, & plerumque per 37. dies tempeſtas extenditur: ſi ſerena fuerit illa dies, ſerenitas per totidem extenditur dies.

Ab anni temporibus immutatur Aer: Sunt anni tempora quatuor, ver, æſtas, autumnus, & hyems. Aſtrologi tribuunt unicuique tres menſes, Medici vero ea dividunt per temperiem, quæ unicuique debetur, Ver eſt calidum, & humidum, æſtas calida, & ſicca, autumnus frigidus & ſiccus, hyems humida & frigida. Menſes deſumunt temperiem ex ſigno dominante in illis. Dies illam deſumunt à partibus eorum: matutina eſt veri ſimilis, meridiana æſtiva, veſpertina autumnalis, nocturna hyemalis eſt. Ver ſi temperiem debitam retineat, ſaluberrimum eſt, *libro* 3. *Aphoriſ.* 9. Præcipuè ſalubriter in illo degunt pueri, & adoleſcentes, ob ſimilem temperiem, parit tamen varios morbos, de quibus Hippocrates, *libro* 3. *Aphoriſ.* 20. In corporibus plenitudinem, aut cacochymiam habentibus. Æſtas propinquitate ſolis, directione, & morâ radiorum, calida fit è vaporum reſolutione ſicca, ex Ariſtotele, calidos reſolvit viros, ſalubris eſt pituitoſis, 2. *Aphoriſm.* 18. prodeſt pro frigidis affectibus curandis, ex Avicenna. *Fen.* 2. 1. bilem auget, & adurit ex Hippocrate, *lib.* 1 *de natura humana*, & æſtu acutos procreat morbos, 3. *Aphoriſm.* 21. febres continuat, tertianas, vomitiones, alvi fluxiones, ſudores, converſiones, bilis in atram, diſcutit humores, ſpiritus diſſipat, vires exoluit, coctiones debilitat. Autumnus, ex 3. *Aphoriſm.* 9. acutos, & pernicio-

ſos procreat morbos ; Hyems biliosis naturis præſidium eſt ; ſenibus , & pituitoſis adverſatur ; & *lib. 1. de nat. humana*, morbi ſuperveniunt in illo ex externa perfrigeratione, & ex ſuperabundante pituita fiunt congeſtiones , cephalalgia , vertigo , apoplexia , lethargus, tuſſes, pleuritis, *ex lib. 3. Aphoriſm.*

A ventis maximè immutatur aër , eſt ventus curſus aëris paulò vehementior ſolito , de quo diſputavit latius Seneca, fit præcipue ex exhalationibus in frigidam aëris regionem delatis , & inde refluentibus ; alii ſunt Anniverſarii ; alii regionales ; alii terreſtres ; alii marini ex ſua natura humectant , & refrigerant ; à locis, per quos ſpirant , varias ſumunt temperies, Triginta & duo enumerantur à Nautis; quatuor communiter ab omnibus ; idem ventus variat temperie à locis per quos percurrit. Auſter in Lybia eſt calidus & ſiccus , tranſiens per mare mediteraneum, redditur calidus , & humidus. Boreas ex nivibus Scythiæ fit frigidiſſimus ob copiam vaporum. Vere , & Autumno ſpirat magis Aër , quàm hyeme , & æſtate. Pro quatuor ventis, qui ſumuntur ex quatuor mundi cardinibus, ſuperadduntur unicuique duo collaterales, & ii ſunt, qui communiter attenduntur à Medicis ; & ex Hippocrate Auſter quia calidus & humidus eſt nobis : noxius aërem reddit craſſum , nubilum , & pluvioſum ; ideò tarditatem corpori , & languorem conciliat, gravat caput , & auditum hebetat, vertiginem cauſat , & oculorum caliginem , humectat alvum, craſſos reddit ſpiritus , corpora laxat , & diſſoluit , motus pigros reddit, & ſegnes *ex Hippocrate 3. Aphor.* Aquilo excrementa abſumit , corpora reddit agiliora, aerem reddit purum, & ſalubrem, natura humidis commodiſſimus eſt , ſiccis incommodus eſt, exaſperet fauces , movet tuſſim, ſupprimit urinam , alvum indurat, excitat laterales dolores ; Venti ſubtiliores ſunt calidi & ſicci : Occidentales craſſiores, ex Hippocrate , *lib. de locis & aëre.*

Aër ab aliis Meteoris etiam immutatur, fiunt meteorologicæ impreſſiones ex vapore , aut exhalatione ; ex vapore pluviæ, ros , pruna, nix, grando, ab exhalationibus fiunt faces ardentes, ſagittæ, dracones volantes , Cometæ , tonitrua ; fulmina , fulgura , à quibus juxta proprias temperies aër frigidus, aut calidus redditur, & ab iis intemperiebus varii fiunt calidi, aut frigidi morbi.

Aër etiam immutatur à Zonis , quarum una eſt torrida ? alia frigida ; alia temperata : frigida ſummam frigiditatem cauſat in aere ob inopiam radiorum ſolarium Torrida judicabatur ab antiquis inhabitabilis ob nimium & æſtuantem calorem : Juniores illam temperatam eſſe experti ſunt.

Aer à climatibus varias etiam recipit temperies ; ſunt hæc ex Coſmographis ſpatia globi terreni inter duos parallelos verſùs eundem polum ab æquatore diſtantes, regiones ideò determinantes ſemi hora diei, juxta varias locorum poſitiones, & elevationes, variæ ſunt unicuique temperies : ideò & variæ ſunt aeris temperierum diverſitates in illis, juxta regionum diverſitatem.

Aer mutat etiam varias temperies ex diverſitate regionum ; hæc autem deſumitur ex quatuor mundi cardinibus. Regiones verſus Orientem ex Avicenna fruuntur aere temperato ; à ſole enim illuſtra-

Digitized by Google

luſtratur, defæcaturque à nebulis, & vaporibus, fit purus, adquirit temporum conſtantiam, aquarum ſuavitatem, ventorum lenitatem: Incolæ ſunt procero corpore, & venuſto, moribus compoſitis. Regiones versùs Occidentem, tarde à ſole illuſtrantur; aduruntur illius Occidentis, Incolæ, aer fit impurus, & caliginoſus, aquæ ſunt craſsiores. Regiones versùs meridiem torrentur à *Sole*, niſi illæ quæ à noctis, & diei æqualitate, aut à vicinis aquis attemperatur; ideò Incolæ fiunt aduſti, & licet abundent calore adſcititio, depauperantur innato, fiunt timidi, ob eius defectum, ſunt feris moribus præditi. Regiones versùs Septentrionem, ventilatum, & purum habent aerem ventis gaudent purioribus, aquis dulcioribus, ſunt Incolæ audaces, & longioris vitæ.

A variis locis, ſeù Provinciis etiam immutatur aeris temperies, ut docet Hippocrates, *libro de locis, aere, & aquis*, ubi docet conſiderare urbem, ſitum illius, & quomodo ad ventos; & ſolis jaceat exortum, Columella *lib.* 1. ſpectare docet cœli temperiem; commoditatem ſoli, ſitum terræ, naturam aquarum, viciniam montium: locus ſalubrior habetur, qui ventis ſuavibus ventilatur, qui planus eſt vel mediocriter editus, qui ſiccus, & fontibus irrigatus limpidis, qui Incolas procreat robuſtos, & vitam in longum protrahat; loca elata ob aeris puritatem hæc ſolent conſequi; declivia inter altos montes depreſſa radiis ſolaribus reflexis ſuperfluo humore madeſcūt; & æſtate ſolariis radiis aduruntur. Plana loca à Regione deſumunt temperiem. Petroſa æſtate habent aerem calidum, & hyeme frigidum: Montuoſa, alta, & nivoſa, per nives fiunt ſalubria: Sylvoſa turbido fruuntur aere: Palluſtria, & lacuſtria vaporibus tetris infeſtantur: Marina ob ſiccitatem ſalubria judicantur, juxtà varias temperies, aut morbos, varia loca quærenda, ſimilia in temperie ad ſanitatem conſervandam; Contraria ad morbos curandos; ſicut enim morbi alii ad alias ætates, ſic & ad alia loca immutari petunt, ad ſalubritatem, quærendo pro curandis morbis oppoſitas locorum temperies, non enim ad ſimiles mutandum ſolum.

A Civitatibus, earumque ædibus aeris temperies mutatur, ut in eadem domo cubilia alia frigidiora, alia calidiora, alia humidiora experimur, & ideò pro diverſis morbis, pro diverſis anni temporibus, alia ſeligenda; alia verò fugienda ſunt.

CAPUT II.

De Cibo, & Potu.

Animalium genus continuo effluxu triplicem amittit ſubſtantiam, ex Galeno, *libro de ſanitate tuendà*; hæc autem eſt aut ſolida, aut humida, aut aërea, ſeu ſpirituoſa, ex Hippocrate, *libro de flatibus*. Pro ſpirituoſa aer præſtat materiam, de quo egimus: pro ſolida cibus; pro aquea potus, qui eſt res non-naturalis, humidam humani corporis ſubſtantiam reparans, & ſitim extinguens, humidum aqua ſiccum, craſſiūmque per auguſtos meatus defert; non ſicut vinum apta eſt nutrire completè, ſed incompletè, aqueas tantum reponit partes, ex Galeno, *libro 4. de uſu part. c. 5.* & *comment. ad Aphor. 15. lib. 1.* Et *lib. 3. acutorum*, ex Hippocrate, *lib. 1. de diæta*. Aquæ ut potabilis differentiæ ſumuntur, ut tenet

ut tenet Aëtius *libr.* 3. *cap.* 165. ex levitate, tenuitate, ſplendore, & dulcedine, percipitur viſu, guſtu, oderatu, ex Galeno *lib.* 1. *ſimplic. c.* 15. debet eſſe ſyncera, lympida, & defæcata, & omnis alienæ qualitatis expers, dulcis, ſeu ſapore carens, levis, quæ citò calefiat, & refrigeretur non ſit hyppocondriis gravis, ſed citò permanens, ex Galeno, *lib.* 6. *Epidem. ſect.* 4. Pluvialis ex Hippocrate *libro de aëre, & locis,* præſtantior reliquis, & ſalubrior, licet ex Plinio facile putreſcat, & ſereno tempore deſcendat, fontana ex Hippocrate, *libro de aëre, & locis,* ex Avicenna *Fen.* 2. *lib.* 1. ex Celſo, *libro* 8. *cap.* 18. reliquis ſaluberrima, & in vitæ uſum commodior, ex Galeno, ſi verſus Orientem ſcaturiat, excoletur, per ductum purum, ſi diſſolvatur præceps ex montibus, ſi defluat per loca arenoſa, ſi continetur alveolo illuſtrato ſolaribus radiis. Putealis illi eſt proxima, eſt frigidior, craſſior, & terrea, fluvialis damnatur ab Aetio, ut coinquinata aquarum varietate ſordibuſq;. Lacuſtris, ſtagnans, vel conſiſtit, vel pergit tardè, poſt torpida, ſordida, impura, craſſa, cœnoſa, graveolens, & ideò ſanitati noxia. Quævis aqua ſi tardè permeat, eſt flatulenta, nec lotium concitat, corrigitur ex Galeno, *lib.* 6. *Epid. ſect.* 4. Si impura coletur per mortarium lapideum, aut coctione perficitur ſola, vel corrigitur ex aliis commixtis, ſed præcipuè vini commixtione.

Vinum autem eſt uvarum ſuccus coctione depuratus, varias à loco deſumit differentias, vel à regione, in qua producitur uva, deſumit etiam colore, odore, ſapore, ſubſtantia, virtute, & tempore. Rubrum gignit multum ſanguinem, flavum eſt calidius, fulvum pro nutriendo aptum, nigrum eſt craſſius, alendo potentius, album parum nutrit, lotium præmovet, & ſudorem, ex 2. *Aphoriſm. comment.* 11. Si eſt fragrans, caput ferit, promptius ſpiritus reparat, graveolens inficit illos, ac conſpurcat ſanguinem, dulce ſputum movet, alvum humectat, obſtruit, flatus excitar, bilem auget, auſterum roborat ventriculum, attemperat bilem, cohibet fluxiones, quod vetuſtate amarum ſalubriorem amiſit ſuccum, quod tenue parum alit, incidit, attenuat, facile permeat, tarde, ſi ſtipticum eſt, ſed alit multum. Oligotrophon eſt imbecillum, & aquoſum parum calidum febrientibus aptum; parum nutriens, lotium movens; Oppoſitum accidit generoſo vino: Si vinum eſt recens, coquitur difficulter, obſtruit, craſſos creat ſuccos, alvum conturbat, dyſſenteriam generat, vetuſtate hæc corriguntur, & calidius redditur, præfertur ætate medium. Quodvis largius ſumptum refrigerat ex accidenti: opprimit calorem, congerit excrementa, labefactat calorem jecoris, nervos, caputque ferit, ac ſenſus hebetat, ex Avicenna *Fen.* 3. *lib.* 1. Vinum moderatum celeriter inſtaurat vires, incidit pituitam, juvat coctionem, aperit meatus, conducit ad evacuationem excrementorum: temperat bilem, mitigat melancholiam, exhilarat cor, bonum conciliat colorem, præſtat materiam pro inſtaurandis ſpiritibus, corpus alit, roboratque facultates, ut proſequitur Paulus *libr.* 1. *cap.* 150. Aetius *tetrab.* 1. *ſerm.* 1. Ob varias vini poteſtates, & effectus, varia illi impoſuére nomina Authores, ut enim tenet Canonherius, Vinum à Poëtis dicitur Bacchus, Bromius, Lyæus, Ignigena, Liber, Lenæus, Semelius, Evan, Thyrſiger, Dionyſius, Thyonæus,

Digitized by Google

næus, Elelæus, Briſæus, Brotanus, Baſſaræus, Hyſæus, Nectelius, Dithyrambus, Oſyris, Dator lætitiæ, Pater Gemmalis Euchius, Biſgenitus, Biſmater: A reliquis Profeſſoribus dicitur Vinum, Latex, aut Merum. Quanta pro moribus afferat vinum incommoda proponunt Philoſophi Morales; & Theologi, & proſequitur Canonherius, libro de vino prope finem, ſi immoderatius hauriatur, homines in ebrietatem deducit. Poëtis congruum judicarunt aliqui, Marſilius inter quatuor Poëtarum furores illud annumerat. Sed probe dilutum, mentem illuſtrare tenet Lupejus, libro de vini commoditatibus, Lulius Alexandrinus, *libr.* 16. *cap.* 9. Et Villanovanus agens de vino, & latius Lievautius, *lib.* 1. *Aphoriſ. in ſchol. ad Aphoriſ.* 16. retundit enim aqua vini qualitates per contrarias, qua pollet. De vini enim temperie licet Ariſtoteles, *libr.* 3. *problem.* 16. humidum eſſe reſtetur, calidum eſſe, & ſiccum, fatentur Galenus, *libro* 8. *ſimplic.* Paulus, *libr.* 7. Galenus tamen, *lib.* 5. *Aphoriſm.* 5. dicit eſſe qualitate ſiccum, ſubſtantia verò humidum, quia humidæ ſubſtantiæ reparat effluxum, ut tenet Perdulcis; Cum igitur qualitate calidum & ſiccum ſit, reprimit ejus vires aqua ſua humiditate & frigiditate, ſimulque & illius corrigit nocumenta. Pro vini defectu ejus loco, variæ ab hominibus inventæ ſunt potiones ex aliis fructibus, ut videre eſt apud Belgas, Anglos, Germanos, & alios Septentrionales, qui præcipuè utuntur variis generibus cereviſiarum, quæ ſicut vinum caput feriunt, eaſque conficiunt ex hordeo, & ex aliis granis, & ex illis aquam vitæ educunt. Paratur cereviſia ex hordeo, tritico, Avena, ſecali, vel mixtis, vel ſeparatis, conditur cum lupulo, & ut tenet Jonſtonius, varias ſumit, differentias à materia, ob quam alia dicitur triticea, quæ plus hordaceâ calefacit, ac nutrit, viſcoſos generat ſuccos, obſtruit, lotium minus movet, ventrem laxat. Alia eſt hordeacea frigidior illa, licet calefaciat ob lupulorum majorem copiam, quo fit, ut minus ſucci præſtet. Alia eſt avenacea illi ferè ſimilis. Alia ſecalina, quæ magis nutrit, & obſtruit, minus movet urinas. Variat maximè cereviſia ob aquas ex quibus fit; variat, & ab ætate, ſicut vinum recens obſtruit, generat calculos, defæcata ſalubrior redditur. Apud alias Gentes aliæ fiunt potiones ex fructibus quaſi vina pomaria ex pomis, quæ ſydera dicitur, apud noſtros Septentrionales communis; alia fit ex pyris, & ex palmulis alia, & apud Indos quæ Chicha vocatur, & quæ ex Chocolate conficitur, quæ ab illis ad noſtros delata, plurimum recepta in uſu; Sicut & apud noſtros, & veteres fuit hydromel, potio ex melle & aqua, quæ *Aloja* vocatur à noſtris.

Cibus eſt res non-naturalis ſubſtantiam humani corporis reſtaurans, & augens, licet continua ſit reſolutio, plures tamen diu ſine cibo vixère, ut ex variis exemplis demonſtravit Lycetus, & Quercetanus; tenent Euſebius & alii. Quod nutritur, quia mixtum, ex mixtis adæquatè nutriri petit, non autem ex mineralibus, ſed ex viventibus, plantis, aut animalibus, quod nutrit, vivens petit eſſe ob ſimilitudinem. In cibo attendunt nuperrimi ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, exhibendi ordinem, tempus, horam ſumendi, præparationem, conſuetudinem, delectationem, ætatem, anni tempus. Antiquitas reſtri-

ctiorem alimentorum adepta eſt cognitionem, plures veſcebantur ſolis glandibus; alii alio fructuum genere, quo abundabat regio, cujus erant Incolæ: Argivi pyris, Athenienſes ficubus, Medi Amygdalis, Æthyopes arundinum fructu, Perſæ Cardamo, Babylonii palmulis, Ægyptii loto uſi ſunt. Poſt barbariem primam tranſierunt ad frumenta, plantas, carnes, piſces, tandemque ad varia eorum condimenta. Subſtantia alimentorum fit ex materia & forma; Sub hac eſt proprietas, qua alimentum redditur idoneum, ut poſſit nobis aſſimilari. Ab hac provenit, quod variis alendis varia adaptentur alimenta; materia autem præſtatur alendo aſſimilanda; in qua attenduntur durities, mollities, raritas, denſitas, gravitas, levitas, craſſities, tenuitas, lentor, friabilitas; à quibus provenit, quod materia alens præſtet ſynceritatem, permixtionem, copiam, paucitatem, alimentum euchymum; non quia ſecundæ qualitates præſtent materiam, ſed quia ſunt prænuntiæ modi mixtionis elementorum materiæ aſſimilandæ, ob quam fit facilis, aut difficilis tranſitus ad repoſitionem, aut aſſimilationem, qui non individuus eſt cuique alimento; ſed variat juxta diverſas ætates, naturas, temperies, conſuetudines, hinc alimenta his utilia, aliis inutilia ſunt, aut morboſa. De iis judicamus per materiæ qualitates. De alimento duro, quod difficulter coquitur, de molli quod facile corrumpitur; de craſſo, quod craſſum præſtat ſuccum, de viſcido, quod difficulter diſtribuitur, & quodlicet plurimum præſtet alimenti, difficulter coquitur.

Quantitas alimentorum maximè attenditur, quia illa mutata, mutatur forma victus, eſt utilis quæ proportionatur ſubſtantiæ reponendæ in adultis, pro eo quod deperditur uſque ad totam adoleſcentiam ſimul pro ſubſtantia augenda, in reliquis pro ſanitate ſalubrior eſt quantitas diminuta, quam excedens, hæc enim plenitudinem & cacochymiam procreat, ideò Hippocrates, *lib. 6. Epidem.* conſulit, *non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores*, ut exercitio reſolvatur ſuperabundans, & *lib. 1. Aphoriſm.* 17. Plus cibi, quam pro natura ingeſtum eſt, hic morbum facit. Nulla quantitas poteſt cunctis determinari coaptanda cum calore coquente, & reſolvente. Ab ejus varietate variatur alimentum in ætatibus, in exercitiis, in regionibus, in conſuetudine, in morbis, in laboribus. Ratione excedentis, caloris nocet pleriſque parva alimenti quantitas robuſtiori calori improportionata, ideò Hippocrates *lib. 1. Aphoriſm.* docet tenuem victum, eumque admodum exquiſitum periculoſiorem eſſe paulo pleniore, is enim in ægris ab eodem utilis judicatur, ut minuatur ſuperabundans ſuccus, qui ſi in ſanis redundat, cognoſcitur ex ſuperfluo præcedente alimento, demonſtrant illum torpor, gravitas, aut inuſitata laſſitudo corporis.

A qualitate habent alimenta quod ſint medicamentoſa, intemperata, aut temperata; iſta in nullis excedunt qualitatibus; illa in una aut pluribus excedunt: Primæ maximè attenduntur, quia reliquæ interventu earum proveniunt, & quia præſtant indiciũ ſubſtanti[illegible] temperamenti ex quo fit nutritio. Ratione qualitatum, in cibis medicamentoſis contingit, quod calidus attenuet craſſos humores, flatus diſcutiat, bilem augeat, in frigidis, quod temperent bilem,

bilem, flatus augeant, in humidis, quod alvum ſubducant; in ſiccis, quod illam firment, firmam præſtent nutritionem, melancholiam augeant, cibus dulcis auget obſtructiones, ſalſus urit carnem, excitat pruritum. Acidus incidit, movet deorſum, acerbus adſtringit: judicatur optimus temperatus boni ſucci, qui facile coquitur, difficilis eſt ad corruptionem, & pauca præſtat excrementa.

Menſa frugalis ſine ciborum varietate saluti utilior, ſin minus, alimenta tenuiora, liquidiora, concoctu faciliora, laxantia, & quæ facilioris ſunt deſcenſus prius aſſumãtur, quæ contrariis pollent viribus ſint poſteriora in tẽpore, & horis aſſuetis, ſumenda, invaluit in illis eligendis, in diverſis regionibus conſuetudo, quæ niſi obſtet morbus, aut aliquod exercitium, non mutanda. Quod ſi cœna uberior rationi adhæret, cum plus temporis in ſomno conſumitur, valet melius coctiones perficere, niſi conſuetudo in contrarium abierit.

Licet plura alimenta præparat natura ut proximè aſſumantur, alia indigent præparatione, coctione in humido, aut quia in proprio ſucco ſiunt jurulentæ vel aſſatione in ſicco, aut frictione, vel torrefactione. Poſt hæc ſunt variæ ciborum compoſitiones, non ob neceſſitatem, ſed ob voluntatem, & ut cibi poſſint ingurgitari, ex iis omnibus cibi conſueti ex Hippocrate, licet deteriores minus moleſtare ſolent, præcipue ſi guſtui ſint gratiores, ex eodem 2. *Aphoriſm.* 38. maximè verò ſi temperamentum aut ætas coincident, à calido enim temperamento, accreſcente ætate, copia major indicatur ex Hippocrate enim, *qui creſcunt plurimum habent cal. di innati*, & *ideo plurimo indigent alimento*. Seneſe contrà ex eodem, ob remiſſum calorem paucis fomitibus egent: Ex anni temporibus variat etiam natura, alimenta enim appropriat illa per alimentoſas qualitates unicuique magna ex parte, quam ideo imitari convenit.

Quænam pro nutrimento homini materiam præſtent, *lib. de aliment. facult. lib. de cibis boni & mali ſucci*, deſcribit Galenus Ex Junioribus Brierus, Nuneſius, Vega, Riverius, Jonſtonius, & alii, quos inſequar hiſtoricâ enarratione: quæ in hunc modum ſe habet.

Ciborum genere ſumuntur ex plantis, avibus, quadrupedibus, piſcibus, ex anguibus. Sub plantis ſunt frumenta, legumina, olera, & fructus, frumentum vocant Græci quidquid ex ſe mittit ariſtas, ex Varrone, *l.* 1. *c.* 45. Far ſeu frumentum propriè dicitur triticum, ſub frumento ſunt etiam ſiligo, hordeũ, Zea, avena, milium, paunicum, Oryza, ſæpius ex iis omnibus panis fit, multiplexq; differentia illius deſumpta à frugibus, farinæ partibus, præparatione, coctione, ut docet Galenus, *lib.* 1. *de alimentis c.* 1. Inter omnes triticeus panis utiliſſimus, aptiorq; ad nutriendum, ad roborandum, & præ aliis maxime euchymum fit alimentum, eſt enim triticum calidum, & humidum, & ex ſubſtantiæ modo, ſaluberrimam, plurimam, & firmam reponens ſubſtantiam. Zea, ſeu ſpelta eſt illi proxima, inferior tritico, præſtantior hordeo, ex qua fit alica, ſecale, ſeu roga, & plus hordeo nutrit, & illo eſt calidior. Hordeum minus nutrit, fit ex illo ptiſana, & Hordei aqua. Avena eſt calidior; ex illa, & lacte fit avenatum. Cum ſaccharo Oryza cocta cum lacte valdè nutrit. Frumentum Sarracenicum difficulter coqui-

tur; labori deditis aptum nutrire. Milium frigidum eſt, & ſiccum, difficulter coquitur. Pannicum illo eſt deterius: fiunt variæ panis differentiæ ex iis pro eorum diverſitate; ſed quatuor fiunt ex ſolo tritico ratione ſubſtantiæ, ex Galeno *lib.* 1. *de alim.* Siligineus panis ex flore fit farinæ: Similaceus fit ex pura, ſed magis excuſſa farina: confuſaneus fit ex tota farina cum furfure; Secundarius fit ex furfure magis depurato à farinæ portione.

Cerealia, ex quibus non fit panis vocantur legumina, ut cicera & fabæ difficulter coquuntur; pravum & cacochymũ generant ſuccum, ex Hippocrate *libro* 4. *acutor.* Lentes pravæ ſunt & craſſum procreant ſanguinem, ex Galeno *libr.* 1. *de aliment. cap.* 18. Cerebro & oculis ſunt nocivæ fabæ, ex Hippocrate *libro de diæta*: melancholiam augent, alvum ſiſtunt, minus nocent virides. Piſa minus inflant; minus quam fabæ ſunt flatulenta Cicera, copioſius præſtant alimentum, deobſtruunt, & abſtergunt præcipuè renes. Phaſeoli mediocrem præſtant ſuccum, turbulenta inſomnia faciunt; lupini duræ ſunt ſubſtantiæ, decoctum aperit. Orobus eſt pravi ſucci. Lollium calefacit, & ſiccat, cauſat vertiginem: fœnugræcum emollit, calefacit, lenit; cicercula concoctu ſunt facilia, & mediocris ſucci.

Olera nutrire apta parvum præſtant alimentum, & pravum; alia acriorem; alia terreſtriorem, alia aquoſiorem, ex Galeno *lib.* 2. *de alimentis.* alia refrigerant & humectant, alia refrigerant & ſiccant, alia humectant & calefaciunt. Ex hortenſibus cibariis ſunt folia, germina, radice & fructus; ex foliis, ſeu germinibus proſunt lactuca omnium olerum præſtantior, ut alimentoſa & medicamentoſa. Intubum proximum eſt illi; Braſſica difficulter coquitur, ſicca eſt & frigida, craſſum præſtat alimentum. Spinachium refrigerat & humectat; ſeroſos gignit humores. Malva parum nutrire valet, ventrem lenit, quod contingit blito & atriplici. Beta penes diverſas partes abſtergit & ſiſtit. Aſparagi temperati ſunt, guſtuique grati. Vias lotii abſtergunt. Naſturtium & ſinapi inter condimenta ex uſu ſunt. Ex radicibus cepe parum nutriunt, attenuant, incidunt, ſomnum perturbant, nocent oculis, capiti, & bilioſis naturis. Allium cepis in temperie ſimile, incidit, attenuat, juvat coctionem. Porrum non abſimile bilem gignit, oculis nocet & cerebro. Raphanus calidus & acris movet urinam, & urinam abſtergit. Rapum ventrem inflat, difficulter coquitur, craſſumque gignit ſuccum; ſemen ejus opitulatur veneri. Paſtinaca utraque eſt difficilis coctionis, contraria eſt jecori, lieni, ventriculo. Scari radix ori grata eſt, ſtomachoque utilis, ex Galeno 8. *ſimplic.* tubera inſipida ſunt, difficulter coquuntur, craſſos generant humores, apoplexiam cauſant, ex Avicenna *libro ſecundo*, Beta rubra parum nutrit, indiget multa præparatione: de fructibus agit Galenus *lib.* 2. *de alimentis.* ſunt utiles partim ad alendum, partim ad medendum. Omnes parum ſucci præſtant, ipſinſq; pravi & inconſtantis: Longo uſu ſui plura congerunt excrementa parata putredini ſumuntur ab herbis, fructibus aut arboribus; quorum alia ſunt autumnalia; alia vernalia: ex herbis producitur cucurbita, inſipida, quæ facilè corrumpitur, & eſt frigida & humida; hujus generis ſunt etiam melones & pepones, ejuſdemq; temperiei;

Digitized by Google

periei;hi ſunt apti ad producendam choleram, nempe morbum procreandum; loriū movent; vias urinæ detergunt, ex Galeno *lib.2.de alimentis cap.4.* Similiter & fraga quæ citò corrumpuntur, ſitim ſedant: alvum movent. Fructicum ſunt ſoboles unæ multum nutrientes, ſed laxam generantes carnem, ex Galeno *lib. 2. de aliment. cap. 9.* Quarum aliæ dulces, quæ calidiores, & laxativę;aliæ ſunt auſterę,acidæ,frigidiores & adſtringentes; aliæ vinoſæ, medium retinentes, recentes flatulentæ ſunt; inflant ventrem: penſiles ſunt ſalubriores, paſſæ magis nutriunt, & ſunt jecori familiares, ex Galeno *libro 8. ſecundum locos,* pectorique amicæ; Groſſulæ & fructus orti in ſpinoſis fruticibus potius ad guſtum quàm nutrimentum conferunt, ſic berberis baccæ, mora rubi frambeſia, prunella. Ex arboribus ſumuntur fructus alii ex carne & oſſe compacti, ut ceraſa dulcia,quæ duriorem habent carnem, & crudos in ventre procreant ſuccos, arria ſalubriora,reprimunt ſitim,coërcent bilem,inhibent putredinem. Pruna dulcia inter hæc ſunt; quæ aſſumpta in prima menſa ventrem laxant & attemperant, cruditates procreant, acida verò adſtringūnt,in poſtrema menſa ſumpta os ventriculi firmant. Perſica frigida ſunt, & humida pravi ſucci, & facilè corrumpuntur. Armeniaca grata ſunt ventriculo, ſic meſpilla, quorum nucleorum pulveres movent renum lapides. Olivæ ventriculum adſtringendo roborant,moventque appetentiam, ac parvum præſtant alimentum, ex Galeno *lib.2.de aliment cap.27.* Baccæ loti ſuaviores judicantur palato, & pro adſtringenda alvo utiles. Inter fructus nucleis carentes ſunt ficus, plurimum nutrientes, abſtergentes, mollem procreant carnem. Caricæ incidunt,attenuant, detergunt, & expurgant renes, & thoracem, procreant pediculos. Mora mediocriter frigida, intensè humida, in prima menſa appoſita lubricat ventrem, in ſecunda facile corrumpitur.

Mala dicuntur omnes fructus tenui tunica cooperti,inter quos poma excrementitia ſunt, parvum & pravum ſuccum præſtant, quorum auſtera detinent ventrem, dulcia & acida leniunt: idem contingit in pyris, auſtera enim adſtringunt, flatum generant, corriguntur coctione.Coronea magis adſtringunt, ſunt frigida & ſicca, craſſum præſtant ſuccum, generant flatus,appoſita in poſtrema menſa os ventriculi comprimunt,commēdant halitum.Sorbæ adſtringenti etiam gaudēt vi. Punica refrigerant & ventriculi æſtum reprimunt,ſimiliter & acria aurantia, dulcia citria extinguunt ventriculi ardorem, & bilem: reſiſtunt venenis. Limonia contra bilem, & acres humores majorem vim retinent,ſimul & ſcindendi.

Nucis nomen comprehendit fructus contectos putaminè: juglans ſicca calidiſſima fit concoctu difficilis, dolorem capitis excitat: avellanæ magis nutriunt, difficilè coquuntur: amygdalæ dulces mediocriter nutriunt,conferunt pulmoni, & ſomno conciliando. Nuclei pini multum nutriunt,difficulter coquuntur,conferunt extenuatis, proſunt delapſæ veneri. Caſtaneæ multum alunt,flatus pariunt, ventrem comprimunt. Glandes illis ſunt deteriores, craſſiorem gignunt ſuccum, adſtringunt magis. Inter exoticos ſuccos cappares appetitumexcitant,obſtructiones auferunt.

Præſtant carnes præcipuum alimentum quod deſumitur ex quadrupedibus & avibus. Præſtant quadrupedes pro alimento carnem muſculoſam, caput, pectus, abdomen, extrema, & alia, quæ partes earum non ſunt, de quibus Galenus *libr. 3. de alimentis*. eorum caro valde nutrit; domeſtica ſunt humidiora ſylveſtribus: ex domeſticis ſuilla caro multi eſt nutrimenti, robuſtioribus & exercitatis apta; Vervecina facilius coquitur: quia calida & humida, & optimum ſuccum præſtant. Bubula craſſiorem gignit ſuccum; ſicca enim eſt & frigidior, hieme utilior: Vitulina eſt præſtantior, concoctu facilior: Taurina craſſior, durior, fibroſa & pravi ſucci: Caprina calida & ſicca, acris, epilepticis incommoda. Hædina eſt ſalubrior: hircina reliquis eſt deterior: ex ſylveſtrium carnibus leporina præſtat craſſum, & melancholicum ſuccum: Cuniculi humidiores ſunt, facilius coquuntur: Cervina procreat bilem atram, parvum præſtat nutrimentum. Aprina eſt ſuilla præſtantior, capreolus non malum præſtat ſuccum: in iis omnibus varia bonitas ſucci & nutrimenti ex variis rebus, quæ in illis attenduntur.

A regionibus ob pabuli & temperiei diverſitatem diverſæ ſunt ejuſdem ſpeciei carnes, & alimenta variant ex modo quo præparantur, vel quia coquuntur, aſſantur, cum ſale aut aliis ſalſamentis, aut conditturis componuntur: variant quoque à ſexu; aliæ ex fœminis; aliæ ex maribus præferuntur: Variant ab ætate; aliæ ſunt excrementitiæ; aptiores ſunt in majori ætate; aliæ quia ſicciores in teneriori. Quadrupedum etiam variæ partes, varios præſtant ſuccos: prodeſt caput bovinum, vitulinum, ſuillum, aprugnum, hædinum, leporinum: quorum partes ſunt lingua, quæ reliquis ejus partibus præſtantior eſt, oculi, aures, genæ, cerebrum & roſtrum: in pectore ſunt cor & pulmo, in abdomine jecur, lien, renes, teſtes, vulva, inteſtina, ventriculus, ilia, meſenterium, quæ prout ex variis deſumuntur animalibus, variant inter ſe. Procreantque non omninò malum alimentum, ex Galeno *libr. 3. de aliment. cap. 8.* licet plures earum, quæ ex viſceribus ſumuntur, cacochymæ ſunt. Extremarum partium pedes præcipui habentur: ea verò, quæ ſumuntur ab animalibus, & ejus non ſunt partes, ſunt lac, & ejus partes ſunt lactis partes, caſeus, ſerum, butyrum; lac aut ſumitur crudum, aut coctum, quod minus flatulentum eſt. Caſeoſum magis nutrit, butyroſum magis flatuoſum fit; ſeroſum facile deſcendit, & coquitur: optimum tepidum: ſubſtantia æquale, mediocre conſiſtentia, grave non viſcoſum, inodorum, dulce, ſplendens aliqualiter: ex ſano animali, & nigro juvene, & bene valenre emulſum, homini præſtantius humanum; bubulum aptius ad nutriendum, difficilius ut coquatur, & magis obſtruens eſt ovillum, calidius eſt caprillum, & tenuioris ſubſtantiæ, ac ſeroſius; equinum frigidius; tenuius, ſeroſius aſininum. Serum aquoſitate refrigerat, ſalſugine ſua detergit, humectandi, & detergendi vi præpollet. Butyrum lenit pectus, educit ſputum, mitigat tuſſes; vetuſtum fit calidius & acre. Caſeus difficulter coquitur, & craſſum generat ſuccum, niſi recens ſit, ex Galeno *libro tertio de alimentis cap. 7.* hic magis alit, attemperat, refrigerat & humectat, ſi ſine ſale ſit: à ſale caſeus obtinet vim ſiccandi, & ventrem detinet; vetuſtus fit acris, difficilis coctio-

coctionis,pravi ſucci,tardi deſcenſus,procreat lapides veſicæ & renum, generat craſſos & melancholicos ſuccos, ſitim excitat,ſanguinem adurit.

Inter animalia terreſtria, ex Galeno *libr. 3. de alimentis cap. 19.* Aves præſtant ſalubriorem victum; minus aliis carnibus præſtant alimenti; quarum aliæ ſunt domeſticæ, ſeu turriculæ; aliæ ſylveſtres, montanæ; aliæ fluviales, & aquaticæ: ex domeſticis gallinaceum genus præfertur: in illo capi caro vires roborat, optimum & multum ſuccum præſtat,facilè coquitur: huic proximè accedit gallina hyeme & æſtate: pulli gallinacei præſtantiores ſunt. Galli nullo tempore præferuntur. Galli Indici, licet craſſum preſtant ſuccum bene probari poſſunt. Columbi ſimiliter: quorum pulli ſalubriores: Alii ſunt ſylveſtres duriores; alii domeſtici deteriores: alii turriculæ ſalubriores; ex avibus ſylveſtribus boni ſucci ſunt Phaſiani, perdices, coturnices,turtures. Turdi deteriores ſunt ſturni, meruli, graculus, corvus, pica, cornix, cuculus,chlorion,picus, ciconia,grus pavo, hirundines, alauda, à ciborum uſu removentur: præfertur ardea,& admittuntur inter aquatiles anſeres, anates: ova ex avibus ſumuntur pro alimento, ſunt temperata; quia albumen ad frigiditatem, & vitellus ad caliditatem tendit. Præſtantiora ſunt gallinacea, his ſubſequuntur ova perdicum; poſthæc ova Phaſianorum; minus apta judicantur ova anatum, anſerum,columbarum & pavonum; quælibet recentia anteponuntur vetuſtioribus, & tremula,quæ magis & citius nutriunt:dura ægrè coquuntur:frixa deterius alimentum procreant,& abeunt in nidorem.

Sumitur ex piſcibus alimentum majori ex parte frigidum & humidum. Differunt à loco: ſunt alii fluviatiles,alii maritimi, alii lacuſtres: præſtantiores ſunt qui gaudent mediocri magnitudine, alba carne, pinguedine,bono odore,qui friabiles ſunt ſquammoſi,in aquis limpidis degentes, bene exercitati, & concoctu faciles ſunt, ut ſargus, perca, leuciſcus, tructa, lucius, gobio; deteriores ſunt ſpinarella, foxinus, tinca; proximè his accedunt anguillæ, lampretæ; deterioris ſucci ſiunt,qui in lacunis,& ſtagnantibus degunt aquis. Medii ſunt marini, quorum alii ſunt ſalubriores, ut turdus, merula, ſcarus, cynedus, fuca, perca, & perlanus; alii inter hos maximè exercentur, ut aculeatus, barbuta, aurata, mugil; alii craſſiorem præſtant ſuccum, & difficulter coquuntur, ut congri,ſcombri,dracones, citari; alii ſunt cetacei,qui duriorem,craſſiorem, & praviorem præſtant ſubſtantiam; alii ſunt teſtacei, ut oſtreæ, conchæ & conchilia, buccina,murices; alii leviorem habent teſtam ut gammari, cancri; reducuntur ad piſces ranæ frigidæ & humidæ.

CAPUT III.

De Motu & Quiete.

Quies eſt terminus motus, ſeu exercitii, cuicunque debetur labori. Docet ſacra Pagina, quod Deus poſt operationes ſeptem dierum requievit ab opere. Oribaſius *lib. 6. collect. cap. 2.* docet quibus competat,dicens: Quibus decubitus, iis etiam quies & tranquillitas convenit, ac præcipue quidem in principiis acceſſionum: itemque incrementis, & poſt cibum

bum nuper ſumptum, & cum quis dormire cogitat, apta eſt quies; & tranquillitas, quæ ad motum ſubſequitur, laſſitudines aufert; Et ex 2. *Aphoriſm.* 48. reparat vires, levat membra feſſa, auget innatum calorem, reparat ſpiritus, humiditatem conſervat, laboris vitat incommoda, aridas humectat partes, attemperat calidas, utilis naturis calidis. Et *libr. 6. Epidem.* Si modum excedit, humectat corpora, parit obſtructiones, obruit nativum calorem, procreat humidos, & frigidos morbos, enervat corpora, frangit vires, corpus attenuat unde Galenus nimiam vituperat quietem. Et Hippocrates conſulit, impigrum debere eſſe hominem ad labores. Ex quibus falſa convincitur opinio Aſclepiadis, & Eraſiſtrati, qui omnem uſum exercitationum, ut otioſum damnarunt.

Motus, ſeu exercitium quieti opponitur, de quo inquit Paulus, *libro 1. capit.* 16. exercitium eſt motus vehemens, vehementiæ terminus eſt reſpirationis mutatio ad denſitatem, exercitia verò reparant partes inſtrumentarias, ut ne facile offendi poſſint, & robuſtas ad actiones efficiunt, faciunt etiam alimenti attractionem fortiorem, & alterationem promptiorem, & nutritionem meliorem, propter exorientem caliditatem, expurgant quoque meatus, & ſuperfluitates evacuant, propter fortem ſpiritus motum. Oribaſius *lib. 1. ſympnoſeos*, idem confirmat dicens: *cap. 1. Exercitatio eſt vehemens motus, terminus vehementiæ eſt anhelitus ad frequentiorem alteratio. Porrò laborioſa exercitationes membra organica præparant, & robuſtiora ad actiones, & ad validiſſimam alimenti attractionem, promptiſſimamque alterationem, & meliorem appetitum propter calorem excitatum reddunt, meatus purgant, & vehementi ſpiritus impetu excrementa expellunt:* Ex iis Quercetanus deducit omnes exercitii effectus, *in ſuo diatteicone*, dicens: *Eſt enim illud noſtri caloris innati verum fomentum, & fuligonoſarum ſuperfluitatum, in corporibus redundantium aptum remedium, omnis plethoræ, ſive plenitudinis inducendæ obſtaculum, ac impedimentum, agilitatis, & promptitudinis corporis comparandæ incitamentum, nervorum, & juncturarum corroborandorum idoneum, & opportunum auxilium, nec non primaria ac præcipua cauſa apertionis pororum, ac meatuum, per quos fuliginoſa illa & ſuperflua ſanguinis, & ſpirituum, qui aliàs noſtræ vitæ fomites, ſuſtentacula ſunt, materiæ foras propellitur, ac diſſipatur.*] Unde fit, ut ſingulæ corporis facultates corroborentur, & inſtaurentur, omnium ſenſuum, tam interiorum, quam exteriorum actio promptius, ac aptius perficiatur, liberior fiat pulmonum inſpiratio, ac reſpiratio, cordis robur, ac vigor reſtituatur, partes quoque nutritioni inſervientes melius concoquant, digerant, & aſſimilent alimenta, ex quibus exercitii uſus manifeſtè patent, exercitii utilitates non cognovére primi, Ars Gymnaſtica, illud continebat celebris in ludis, & ſacrificiis, illam Herodicus adjunxit medicinæ; ut tenet Plato 3. *de Republica*, tanquam utilem ad tuendam valetudinem, ob effectus quos retulimus. Unde hæc ars varia ſtetit juxta varios uſus. Gymnaſtica eſt Ars docens uti exercitio, alia bellica, quæ juvenes inſtruit, quos idoneos, & fortes reddit ad bella gerenda. Alia eſt Athletica, quæ minus utilis: incumbit illi homines robuſtos reddere, ut ex Gymnicis

Digitized by Google

nicis certaminibus victoriam, & præmium conſequantur; Alia eſt medica, quæ ordinatur ad comparandum bonum habitum corporis, & ad conſequendam & tuendam valetudinem.

De Arte Gymnaſtica Athleticorũ plura tradidére Medici, illorum enim exercitium maxime valuit ſanitatem immutare, locupleriſſimè ex nuperrimis de illa egerunt, Mercurialis *in libro de arte Gymnaſtica*, & Quercetanus, *in Diæteticon.* hæc ars docebat duplicem exercitationis ſortem, aliam ſimplicem, aliam habentem comitem æmulationem, ſeu imitationem. Simplex erat, in qua homo ſolus ſe exercebat, vel currendo, vel ſaliendo, vel quomodolibet ſine ſocio. Quæ comitem habebat æmulationem, aut imitationem, ordinabatur ad luctam, quæ fiebat inter duos, quorum alter alterum ſupplantare conabatur: Hinc Digladiatores, Pugiles, Paleſtræ, luſores, ſeu Athletæ exorti, cui luctarum quinque ſupervenerunt genera, lucta, curſus, pugilatus, ſaltus, jactus diſci, ſaxi, & jaculi. Luctaturi nudi deſcendabant ad luctam, & inuncti, quod etiam admittebatur in puellis apud Lacedæmonios; Curſui deſtinabatur locus publicus, cujus longitudo erat bis centum & viginti quinque paſſuum, quod pluries ab aliquibus currebatur: Pugilatus genus erat pugnandi, quo pugiles contendebant pugno alteri impingere plagas, ex pugillatu & pugna reſultabat pancratium, in quo pugiles conatu totius corporis contendebant ferire calcibus, genibus, manibus, dentibus, & omni virium contentione. Saltus, fuit primò levis corporis commotio ſive unius, ſive plurium ſe tenentium manibus catenatis, poſtea inſtrumentis accommodata ſunt varia ſaltationum genera. Jactus eſt, vel diſci, ſeu lapidis rotundi in medio perforati, vel jaculi, ad varias ſimiles exercitationes ſe extendit, & pertranſit ad bellicam Gymnaſticam Artem. Dicitur fuiſſe illius Inventor Perſeus, ad cujus imitationem ſubſequutus eſt arcus, & arcubus baliſtæ, quibus olim Sarmathæ & parthi utebantur, & noſtris temporibus Scythę, & Tartari; & apud nos bellica tormenta, ſeu ignea inſtrumenta. Baliſtæ uſus apud veteres celebris fuit: Præclariſſimi Principes in eo excelluére. Deinde ſubſequuta ſunt tempore alia exercitationum genera, loco curſus pedeſtris, ſupervenit equorum curſus, qui poſtea conjugati in curru duo, aut quatuor pro curſu inſtruebantur, his ſupervenit ludus pilæ, noſtris temporibus valde etiam receptus, ſicut ludus ligneæ pilæ, apud agreſtes homines: venatio, & natatio maxime invaluerunt apud omnes quæ pro ſanitate pluribus conferunt, aliis verò noxia experiuntur.

Ars Gymnaſtica bellica apud Duces, & milites exercetur, & varii qui de re militari ſcripſerunt, varia quæ ad illam ſpectant exercitia literis tradiderunt, quæ uſui medico nihil conducunt.

De Arte Gymnaſtica Medica, quales præſtet uſus, ſeu utilitates, retulimus. Sed quia modus exercitii, aut immoderatus, illius uſus poteſt eſſe contrarius ſanitati, ex nuperrimis, qualis ſit admittendus, aut reprobandus, proponemus. Motus igitur qui omnes partes æqualiter exercet, optimus, qui omnes exercet non æqualiter, proximus: nimius exhaurit partes, ſpiritus reſolvit, corpus refrigerat, obeſt lumini oculorum, vehemens reddit corpus

gracile, reſolvit, attenuat; tardus auget carnem, & rarefacit; vehemens reddit gracile, & vegetum. In calidis locis factus rarefacit, & exurit; ſaltus ſine intermiſſione nocet capiti, & pectori, excitat calorem nativum; Curſus vehemens prodeſt obeſis; moderatus optimè calefacit per loca declivia corporis viſcera quaſſat; jaculatio adquirit bonum habitum; equitatio ſi lenta, laſſitudinem, & infæcunditatem parit; celer concutit corpus, currens nimium calefacit, nocet ſenſibus. Geſtatio in vehiculo obeſt vertiginoſis, in lectica ſanis, & neutris utilis: venatio diſſipat excrementa, auget calorem innatum, carnes minuit, ſomnum inducit. Navigatio fluvialis humectat caput; Maritima affectibus frigidis utilis: frictio remollit partes, attenuat excrementa, laxat meatus; præparatoria corpora ad exercitium præparat; apotherapeutica corpus immune reddit à laxitudine; ſi mollis, carnem laxat, emollit; meatus aperit; ſi dura, cogit, ſiccat, adſtringit, mediocris modice calefacit, juvat diſtributionem, carnem auget: apparentibus rubore, & molis incremento abſtinendum ab illâ.

CAPVT IV.

De Somno, & Vigilia.

SIcut motui quies, ſic ſomno opponitur vigilia, moderata ſpiritus, & ſenſus excitat, vegetiores reddit: calorem per ſpiritus, per omnes partes ſpargit: alimentum diſtribuit: excrementa promovet; inquit enim Oribaſius, *lib. 6. collect. cap. 6.* Vigilia plenitudinem per habitum digerit, quę in ventre ſunt, minuit, & ut per partes infernas exeant; præparat; languorem diſſolvit; gravitatem diſpenſat, reſoluta corrigit, & robur naturæ, ac animo adjungit, ſudores cohibet, ex Galeno corpus alere propter diſtributionem habetur *lib. 6. Epidem. ſect. 5. comment. 32.* Vorax dicitur ab Hippocrate, *lib. 6. Epidem. ſect. 4. ſent. 2.* ob diſtributionem & inanitionem ſenſus alacres facit, intellectui tribuit perſpicacitatem; omnes partes externas perficit, & illarum actiones; ſi immoderata animales ſpiritus abſumit, diſſipat, exſiccat corpus, bilem auget, & accendit, morbos frigidos cauſat, *lib. 2. acut. p. 44.* deſipientiam inducit, & convulſionem, ex Hyppocrate, *lib. 7. aphoriſ. 18.* pervertit functiones ſenſuum, acuit humores, pervertitque intemperiem cerebri, & totius corporis; ab illa enim facies palleſcit, corpus contabeſcit; oculi cum triſti vultu fiunt cavi, frons rugis repletur, naturales facultates proſteruntur; coctiones imminuuntur, & omnium confuſio ſupervenit.

Somnus ex Ariſtotele eſt quies primi ſenſorii, ſeu ſentientis facultatis vinculum: & impedimentum ex Hippocrate *lib. 6. Epidem.* labor articulis cibus eſt, ſomnus verò viſceribus, ex Quercetano, ſi moderatus, medetur infirmitatibus ſpirituum, perturbatæ mentis affectiones reprimit; omnes inſtaurat facultates, roborat corpus imbecille, coctionem, & digeſtionem juvat, crudos humores coquit, reficit membra labore laxata, fluxiones impedit, calorem naturalem auget. Quod Ægineta confirmat dicens. Somnus animalium facultatum quies eſt, bona humiditate cerebrum rigante contingens. Quod ſi benè

libenè admittatur, multa bona facere poteſt: nam & cibos concoquit, & dolorem mitigat, laſſitudineſque lenit, & diſtentorum laxitatem efficit, ſed animalium affectionum oblivionem inducere poteſt, & emotam mentis rationem corrigere. Immoderatus ſomnus impedit digeſtionem crudorum ſuccorum, cohibet craſſa excrementa, nativum obruit calorem, obtundit ſenſus, mentiſque vires, corpus torpeſcit, caput halitibus replet, morbis diurnis congerit materiam. Hippocrates illum damnat, ſi modum excedat, hic ſervatur in tempore, in modo, in decubitu, in ſpatio. Commodius tempus eſt nocturnum, nox ad illum deſtinata, juvat conſuetudo, concurrunt naturalis ſomni cauſæ, frigus ob retroceſſum ſpirituum, humiditas, ſilentium, tenebræ, idoneum ſpatium pro coctione perficienda, quæ deficiunt in diurno ſomno, qui ideo non adimplet coctionem, & ob hanc cauſam flatus gignit, ructum acidum, caput implet vaporibus, appetitum proſternit, tumefacit lienem, fluxiones cauſat, & ſegnitiem, ac febres, aſſuetus minus nocet, ex Celſo, *libr.* 1. *cap.* 2. ſpatium ſomni ſit, quod ſufficiat pro ciborum coctione, poſtquam ructus ceſſant, urinæ apparent coctæ, & actionum apparet alacritas. Pro decubitu erectior, ſalubrior in latere dextro prius, poſtea in ſiniſtro corpore mediocriter inflexo, ex Ariſtotele 6. *Problemat.* In ſomno inſomni ſuperveniunt, externum proveniens ab humoribus, vel ex continuis cogitationibus. Externum eſt, quod divinum alii vocant. Homerus ſomnum ex Jove, alii ex Deo, alii à Dæmone moventur. A cogitationibus fit, dum phantaſia non impedita movetur ab eis in quibus diverſantur, & ſtatus eſt judicium: ab humoribus provenit, quod excitat ſpecies juxta humorum præcantium intemperies, lætas, à ſanguine, furore plenas à bile; pluvias & aquas repræſentantes à pituita, triſtitia à melancholia, ex Galeno libro de inſomniis ex Ariſtotele de ſomnis.

CAPUT V.

De eis, quæ excernuntur, & retinentur.

Neceſſariò in corpore generantur excrementa, quorum naturalis evacuatio conducit ad ſalutem. Retentio verò ultra modum varios morbos creat, variant excrementa pro ratione coctionum ex quibus reſultant, & alia ſunt ſimpliciter alia, ut lotium, vapor internus, fuligo, furfures, ſudor, mador, ichor, lachrymæ, lemæ, menſtruum, hæmorrhoides, ſputa, mucus, coryza, ſtyriæ, ſordes aurium, fæces alvi. Alia ſunt excrementa prolis cauſa progenita, ut lac, ſemen, ſanguis menſtruus. In ſpecie alii alia tria annumerant excrementa, alvi, urinæ, & veneris. Alii penes tres coctiones, per quas ſeparantur excrementa ab alimentis illa diſtinguunt, pro omnibus expellendis apta inſtrumenta, & vias fabrefecit natura, propriaſque adaptavit facultates, ex Galeno, *libr.* 1. *de ſanitate tuenda, cap.* 3. Quæ ſi debitè expellantur corpus ſanum conſervant. Sin minus; ſive nimis retineantur, multumve evacuent, plura incommoda ſubſequuntur, præcipuè vero ex excrementis in tribus regionibus repertis: nam ſi fæces in prima retineantur, dejiciunt appetitum, nauſeam

 pariunt,

pariunt, flatus elevant, & colicos pariunt dolores, caput vaporibus replent, & varios in eo morbos procreant, univerſumque coinquinant corpus, ex Galeno, *lib. 3. de cauſis ſymptom. cap. 2.* Si in ſecunda regione redundent humores, fit plenitudo à qua gravantur vires, variique ſubſequuntur morbi, ſi alii abundent humores ſeparati à ſanguinis commixtione, fit cacochymia, & ab humoribus cacochymis in varias partes delatis, varii fiunt morbi; ſi immodicè evacuantur, vires proſternunt. Tertiæ coctionis excrementa, ſi cute impedita retinentur, vel febres, vel plethoram, vel ſcabiem, aut alias cutis fœditates generant, nimia evacuatio vires dejicit, ex qualibet regione, ſi tranſpiratio impeditur, inſurgunt incommoda recenſita à Sanctorio, & ex illo à Sennerto, menſtrua ex Hippocrate ſive largè, ſivè diminutè fluant, morbos creant, *in Aphoriſt. ſentent.* Seminis nimia evacuatio minuit vires, & plures ex eis diminutis provenientes morbos procreat retentio: abſtinentia alimentorum, & aliis exercitiis corporis vires minuentibus coërcetur; & otia ſi tollas, &c.

CAPUT VI.

De animi pathematibus ſeu perturbationibus.

Animi Pathemata moderata conſervant ſanitatem, immoderata vero maximas cauſare valent perturbationes, morbos, & repentinas mortes, ſunt plures, ambitio, avaritia, invidia, heroicus amor, ira, gaudium, timor, triſtitia. Ethnici de iis non pauca, ex quibus Plato, Ariſtoteles, Xenephon, Plutarchus, Seneca, nec ſine errore in pluribus Chriſtiani mores in iis confirmare debite, docuerunt. Nos proponemus non earum formalitates, vel ad mores conducentes earum proprietates, ſed ex adjuncta in illis ſanguinis, & ſpirituum commutatione, aut perturbatione. Qualiter valet immutari, aut conſervari ſalus. Ambitio inſania fit ardens ſupremorum graduum honoris vitium, præcipuè dum fit ſtudium inanis gloriæ, & non tendit ad publicam utilitatem, ſed ut faſtu, & timore dominetur, aut ad nocendum, aut proficiendum ordinatur. Ex quacunque ambitione excedente animus maxime perturbatur, & abit in inſaniam plerumque. Avaritia non minus ardens inſania fieri ſolet, & eſt retinendi cupiditas, quam concomitantur quinque furiæ differentiæ, metus, ſollicitudo, vana ſpes, deſperatio. Avarus noctes ducit inſomnes, in ſentes, & urticas convertit proprias commoditates, ſi ſuæ opponantur avaritiæ, quæ omnium malorum fit radix, omnium perturbationum mater, pluriumque incommoditatum, miſeriarum, & morborum. Quos enim poſſidet, inſomnes reddit, noctu, & die vigiliis, & curis animum fatigat, omnique quiete privat, & inter pereundum vivere cogit. Invidia horribilius eſt monſtrum, continuò corpus perturbans, animumque exagitans, cor conſumens adurens cæcis ignibus, nullumque ſuæ perturbationis exigit fructum, naſcitur ſine illo ex improbitate voluntatis, tabeſcens ex alterius rebus opimis, non ut invidus ipſis fruatur, ſed ne fruatur alter, ob id enim tabeſcit, cruciatibus eroditur, oſſa abſumit, macie palleſcit,

ſeſcit, horridus habitu redditur, quod ſic egregie depinxit Poeta.

Livor tabificum malis venenum.
Intactas vorat oſſibus medullas.
Et totum bibit artubus cruorem.
Cum quiſquis fuerit, invideтq; forti.
Ut debet ſibi pœna ſemper ſibi eſt.

Venereus Heroicus amor varias infert perturbationes, nempè æmulationem, iram, furorem, vindictam, injurias, læſiones, ſupplicii metum, triſtitiam, mœſtitiam, cupiditatem potiundi abſentem rem nempè bonum, vel præſentem amittendi metum. Ex quo indignatio ſupervenit, & continuus animi cruciatus, qui fortisſimos quoſque devincit ac magnanimos viros, mentemque evertit, & prudentisſimos plures in inſaniam deducit, ſenſus hebetat, homines effæminatos reddit, ac molles, lymphaticos, ſuæque vitæ præcipites inſidiatores, qui præcipuè philtris in hunc laqueum deducuntur. Pro quibus Policianus.

Hic qui philtra bibit, nimioque inſanuit amore,
Mox ferro occubuit, ſic mentem amiſerat omnem.

Ira pro materiali, eſt effervescentia ſanguinis circa cor; Pro formali verò eſt vehemens vindictæ appetitus, & ita ſæva eſt animi perturbatio, ita ut nihil illâ magis monſtroſum, aut magis horrendum ſit, talis depingitur Megæra infernalis furia, quæ ejus inſaniam repræſentant, dum ab ea præcipitatur homo. Alia eſt iræ ſpecies, quæ laudabilis judicatur, & eſt ardens æmulatio fervensq; ſtudium continendi omnes impetus rationis, eſt & alia iræ ſpecies inter has media, medio modo conturbans corpus, altera eſt ſimulata & ficta, quæ pro vindicta ſumenda diu clam retinetur, corpus tamen alterat, & immutat, licet inſtar ignis ſub cineribus lateat. A vehementiori ira, nec ſolum humorum fiunt variæ commotiones, ſed vehementiſſimi morbi & præcipites, ſubſequuntur mortes, ut Nervæ; Valentiniano, Vencellao & aliis Principibus contigit.

Gaudium inter animi pathema ponitur, quod nobis proficuum eſt, hilaritate enim magis cor diffluit, ſpiritus per totum corpus diffundit, & expirat, ſæpe tamen mortem repentinam inducit, reſolutis ſpiritibus, & diſſipatis. Aliud eſt occultum, ſeu internum nullis ſe prodens notis, aliud manifeſtum, & externum, quod ſe prodit congratulatione, hilari vultu, aut riſu, quodvis oritur aut ex utilitate quæ ſperatur aut qua fruimur, vel qua fruuntur noſtri, & ſæpe ex infauſtis inimicorum coaleſcit eventibus; quodcumque ex iis necem inducere valet, ſi cor in illo omnes ſpiritus effundat, & exhalet effietque omnem influentem calorem, ſine quo vita nequit foveri, quod demonſtrant varia inter Authores exempla eorum, qui ex nimio gaudio extincti ſunt.

Timor, vehementisſimas animi commovet perturbationes, à quibus ſanguis, & ſpiritus commoventur, & circa cor ſpiritus ſuffocare ſolet, & mortem inducere valet, ſæpe ſiſtens in ſola mali opinione, nos omni quiete privat, continuo laceſſit, perterret, mentem plerumque perturbat, eripit, ſenſus confundit, & ſtupidos homines reddit, & utcunque parvus cor conſtringit, & omne corpus perfrigerat, ſicut & futuri mali timor ex præſenti fit triſtitia, quæ languor eſt, ſeu mæror ex apprehenſione mali præſentis, ſeu

ex metu mali ingruentis, proximè cor exagitat, animales facultates conturbat, mentem obnubilat; in ſenſibus externis inducit torporem, cerebrum debilitat, & imaginationem conturbat, & excruciat, vigilias inducit, quietem exterminat, homines avertit ab aliorum conſortio, abdicat à conſilio amicorum, lucem facit fugere, amare tenebras, abſconditaque loca, facit contabeſcere, & tandem in mortem deducit; luctus proximè illi accedit, adulterina enim eſt triſtitia in externis ſimilis, expers doloris; quæ enim vera eſt, premitur dolore, fugitque illius remedia, & hominum conſortia, à quibus poſſit levari. Unde Poëtico Dogmate ſic formatur.

Qui ſolus miſer in campis errabat Alæis,
Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

SECTIO VI.

De Therapeutice dogmatica univerſali.

Dogmatica Medicina in Therapeutice maximè differt ab aliis ſectis; illæ enim ſe adſtringunt ſub brevibus cancellis, ipſa verò univerſaliſſimam ſuppellectilem offert remediorum: quam profert ex parte Diætetica, Pharmaceutica, & Chirurgica, ex propriiſque operationibus: & hæc ut inveniat, variis utitur inſtrumentis, de quibus agemus *ſub hac ſectione.*

CAPUT I.

De variis inſtrumentis, quibus Dogmaticus remedia quærit.

Aliqua de iis Artis inſtrumentis tetigimus, quæ latius proſequemur. Dogmatica Medicina pro inveniendis auxiliis, pro omni morbo, utitur Methodo, Ratiocinio, experientia, Analogiſmo, & indicatione. Methodus medendi eſt pars Medicinæ; quæ docet invenire remedia apta, pro morbis curandis per propria artis inſtrumenta, in hunc finem deſtinata; & eſt duplex; alia univerſalis, ſeu generalis, quæ generica, & communia præcepta tradit, per quæ debeant curari morbi in intemperie, in mala compoſitione, in ſoluta unitate, juxta genericas eorum rationes: alia Methodus particularis particularem docens modum, quo unuſquiſque petit curari morbus, ſive de cura regulari, ſive de cura coacta interturbando regularem ordinem; ars enim eſt, etiam urgente neceſſitate, recedere ab arte: nec enim ſufficit quivis receſſus, ſed parte quam maximè indiget occurſus imminentis periculi: & hæc variat communes indicationes juxta urgentiam vehementiſſimorum contraindicantium.

Ratiocinium eſt diſcurſiva ratio quærendi auxilia pro morbis curandis. Experientia eſt obſervatio, & memoria eorum, quæ ſæpe viſa ſunt pro morbis curandis utilia; & alia eſt Empiricorum, quæ in ſola obſervatione, & memoria eorum, quæ ſæpe ſunt experti, ſiſtit, nullam eorum quærentes rationem. Alia eſt Dogmaticorum qui experientia utuntur, ſed quærentes

rentes rationem medicamentorum, quæ experti ſunt prodeſſe: ideò Hippocrates ex remediis in Apollinis templo repertis, ea tantùm elegit, quorum virtutes, & utilitates rationi adinvenit adhærere. Analogiſmus eſt tranſitus ad ſimile: eo utuntur Empirici & Dogmatici, Empirici ſolo utuntur tranſitu ad ſimile: Dogmatici utuntur tranſitu ad ſimile cum ratione; in quo eorum Analogiſmus differt ab Analogiſmo Empiricorum; eſt enim rationalium Anologiſmus analogiſtica ratio ſimilitudinis, ex quibuſdam cauſis notis nos deducens in dignotionem cauſarum ignotarum, vel ex Galeno, *Eſt ratio quæ ab evidentia auſpicatur rei obſcuræ cognitionem*: ideò illo utimur dum ignota eſt cauſa, nullaque obſervatio habetur; ſed affectus quam ſimilimus penes ſymptomata apparet. Indicatio communiſſimum inſtrumentum eſt, quo Dogmatici utuntur; & quo differunt, ab aliis ſectis, quæ omnes ob hujuſmodi inſtrumenti defectum, veræ ac appropriata auxilia unicuique morbo & cauſæ morbificæ invenire nequeunt: Eſt indicatio inſinuatio agendorum; vel comprehenſio juvantis, ſimul cum comprehenſione nocentis; quæ ſimul cum re indicat adveniad ſine experientia, aut ratiocinio; alia eſt conſervatoria, quæ reſpicit res naturales, quæ petunt per ſimilia conſervari; alia verò eſt curatoria quæ reſpicit res prætenaturales, per ſua auxilia auferendas; alia eſt generica, quæ ſumitur à generico indicante; alia eſt ſubalterna, quæ ſumitur à ſubalterno indicante; alia eſt ſpecifica, quæ à ſpecifico indicante ſumitur: generica indicatio ſolet vocari inartificioſa, aliis quàm artificibus communis, immò vulgaribus nota; ſpecifica dicitur artificioſa, quia tantùm eſt nota artificibus; hæc autem eſt utilis; quia indicatum auxilium applicari & prodeſſe poteſt; inutilis dum auxilium indicat cujus materia nequit reperire, ut tollatur morbus per ſe ab illa.

Indicatio quævis ab indicante ſumit differentias: conſervativa ab eo quod ſecundum naturam in nobis eſt, & ſui indicat conſervationem: curativa ab eo quòd præter naturam advenit, & ſui indicat ablationem: Hoc eſt aliquod agens in corpore permanens, quod per propriam naturam aliquod auxilium indicat, & ad ſe dirigendum, demonſtrat ad amiſſam ſanitatem acquirendam; juxta quod verum indicans curativum, eſt duplex, morbus & morbi cauſa; & unicuique convenit, quòd ſit agens corpus afficiens, quod maneat in corpore, quòd ſit intellectui notum, & quòd unum indicat: per quæ rerum indicans conſtituitur tàm cauſa permanens quàm morbus; excluditur ſymptoma, ut tale, quia morbi poſitionem, aut ablationem ſequitur, niſi cauſæ rationem indicat: tunc enim indicat ut cauſa. Alia ſunt quæ ſe habent ex parte indicantium, & vocantur coindicantia; quia licèt non ſint res præter naturam, indicare valentes ſui ablationem, ſed res naturales, aut non naturales; tamen ſe habent ex parte indicantium remedium tolerantes, aut permittentes illud, ut vires, ætas, temperamentum, ſexus, conſuetudo, aër, cibus, & potus; motus, & quies; ſomnus, & vigilia; excreta, & retenta, ac animi pathemata; Opponuntur aliqua quæ vocantur contraindicantia; quia licèt indicare nequeunt, valent tamen impedire executionem eorum, quæ indicata ſunt. Dicuntur

Google

cuntur igitur indicata, quæ à natura indicantis demonſtratur ſequenda, ut rectè adminiſtrentur, eorum conſideratur natura, & quid ſit agendum, quomodo, & ubi, quantum, ſeu in qua doſi, quod demonſtrat receſſus à naturali ſtatu, ſed quomodo applicandum ſemel, aut bis, ſimul, aut partitè; paulatim, aut conſertim, demonſtrat affectûs modus, quando agendum, & in quo tempore, aut occaſione, univerſali, aut particulari tempore, qua hora, aut quo ordine demonſtratur ab urgentia, potioris indicantis, ubi vero ſeu locum per quem, indicati debet fieri applicatio, monſtrat locus affectus.

CAPVT II.

De curativa indicatione à morbo, & cauſa deſumpta.

MOrbus ſui indicat ablationem, auffertur per ablationem cauſæ; & per ſuum contrarium: eſt triplex in temperie, mala compoſitione, & ſoluta unitate: qui in intemperie: indicat ſui ablationem per contrarii alterationem, ut calidum à frigido: quæ intenſior eſt intemperies, intenſiori indiget contrario, remisſiori remisſius, & uniuſcujuſque partis temperiei affine. A morbo organico variant indicationes juxta illius varias ſpecies; in compoſitione, magnitudine, ſitu, & numero; in conformatione, ſi vitiatur figura ſine affluxu materiæ, contrectatione petit emendari, & ligaturis compresſivis retineri; ſi durior pars, petit emolliri; ſi calloſa, callus auferendus, ut posſit pars collocari, & debitè retineri; ſi in meatu ſit morbus, in adſtricto dilatetur, in laxiori ad ſtrictio tentanda juxta partis læſæ naturam; ſi morbus ſit in numero, pars exuperans abſcinditur; ſi in adaucto, ſi in diminuto, à natura ſolet reſarciri, ſæpe mentiri ab arte comptoria: ſic magnitudo aucta, aut diminuta, imminui, aut augeri petit inſtrumentis Chirurgicis: ſi morbus ſit in ſitu, ut in luxatis osſibus accidit, indicatur eorum repoſitio; in ſoluta unitate, indicatur partium unio, extranea àuferendo, ſeparata conjungendo, conjuncta conſervando, & ſymptomata removendo, donec vireſcat coalitus.

A cauſa, prima curativa indicatio incipit: nam prius unamquamque cauſam abſcindere oportet; poſteà ad dyſcraſiam perveniendum. Eſt Medicina ablatio & adjectio; reficiuntur deperdita, auferuntur ſuperflua: morbi qui ex repletione fiunt, evacuatione curantur, & eorum contrarietas. Humores ſunt plerumque cauſa redundans, quorum evacuatio variis tentatur modis, variiſque evacuationum generibus; eſt evacuatio artis, humoris peccantis eductio ex corpore, & alia univerſalis; alia particularis: univerſalis à toto corpore materiam educit, à triplici ve eius regione, fitque præcipuè venæ ſectione, & purgatione. Alia eſt evacuatio particularis, quæ fit ex aliqua corporis particulari parte, cerebro, pulmone, uterove. Ad venæ ſectionem reducuntur arteriotomia, cucurbitulæ, ſcarificationes, hirudines, ſeu quæ per illas fiunt evacuationes: ad purgationem, enema, clyſteres, vomitus. Sanguinis misſio & purgatio, ſunt remedia magna ſupremàque artis auxilia, quæ corpus ab humoribus ſuperfluis, ex toto evacuare valent: de illis

de illis in *reſolutionibus Medicis* completam tradidimus doctrinam, & propria ex noſtro marte, diſtinximus indicantia: ſanguinis miſſio præſtantior eſt purgatione, ſecuritate, temporis brevitate, & remedii jucunditate; & auxilium curatorium, & præcautorium, auferens plethoram, ſimul & vitiatos alios humores ſanguini commixtos, attemperans, evacuans, revellens, derivans, ſimul & coctionem juvans levatâ naturâ; unde & criſes conſequuntur impedita putredine; ablatis obſtructionibus. Sive fiat ſanguinis miſſio revulſoria à diſtantioribus partibus, ſive derivatoria à vicinis, ſive evacuatoria à parte; mittendi ſanguinis copia metitur non tam ab eius copia, quam à permutantibus: ſeu coindicantibus & contraindicantibus; ideò exigente morbi magnitudine, & viribus permittentibus mittitur ſanguis in magna quantitate, & ad animi deliquium, præcipue in magnis inflammationibus, & vehementiſſimis doloribus & febribus ardentibus; ac in venarum interceptione: ſi non urgeat neceſſitas ſecurius peragitur partitis vicibus, quia quod paulatim fit, tutum eſt: temperatur ſanguinis miſſio in pueris, & ſenibus, in ſexu & anni temporibus, juxta exigentiã virium in illis. Arteriotomia eſt ſectio arteriarum, apud Ægyptios uſitata, nobis ignota, quia periculoſa; impedit agglutinationem durities & ſpirituum deveniens impetus, unde aneuriſma accidit: Secabant antiqui arterias in temporibus, ponè aures, & inter pollicem, & indicem, Cucurbitulæ prophlebotomia deſerviunt ad derivandum & revellendum, dum vires ſunt debiles, evacuant, derivant, revellunt, partes in locum ſuum reducunt, flatus diſſipant: cum ſcarificatu gerunt vices ſanguinis miſſionis in pueris, & debilibus. Fiunt cucurbitulæ ex vitro, terra, metallo, cucurbitis: Sunt aliæ parvæ, aliæ mediocres: aliæ magnæ, aliæ circulares, aliæ oblongæ, ſeu cornutæ, aliæ magni orificii, aliæ parvi; & ſcarificantur partes, aliæ profunde, aliæ ſuperficariè; illæ vicem gerunt venæ ſectionis, iſtæ potiùs ad trahendum, utiles in febribus malignis; ideo in infernis partibus utiliores. Hirudines animalcula ſunt oblonga, parva, in aquis degentia, cum aliqua virulentia, quæ aplicata venis ſanguinem exſugunt à parte, ſi in capillaribus; à toto ſi in majoribus, ut in brachiis puerorum, vel in hæmorrhoidibus adultorum; ex quibus, ſi externæ, deponitur totius plenitudo, ſi internæ, plenitudo lienis, & meſenterii; quæ ſi in profluvium abeant, utimur albumine ovi, gypſo, goſſipio uſto, telis aranearum, pulvere vitrioli, vel calcanthi, præcipuę cum ſucco porrorum.

Purgatio eſt remedium magnum, univerſaliſque evacuatio humorum cacochymia peccantium, pro qua requiruntur plura, Proprium indicans, qualis regio, an infrà, aut per ſuperna: quale pharmacum; an lenitivum, aut ſelectivum; an unum aut plures ſimul; an phlemagogum, Cholagogum, aut melanagogum Pro quovis requiritur quòd corpora ſint fluida, reſerentur viæ, vomitu aut clyſteribus, & quòd pharmacum eligatur juxta ægri naturam, juxta corporis ſtatum, temperiem, habitum, vires, ſexum, ætatem, aut conſuetudinem. Corpora ſana difficulter ferunt purgationes, calida levioribus indigent pharmacis, frigida fortioribus & quibus conſopitæ ſunt facultates; aſſueti facilius

cilius tolerant, præcipuè in æſtate, tempore pluvioſo, aut auſtrali. Unaquæque purgatio evadit utilis, dum talia purgantur, qualia purgari oportet, confert enim & leviter ferunt: aut fit noxia, quia irrita, ob catharticum diſconveniens, in virtute, in quantitate; aut quia in non tempore exhibitum, aut quia varia accidentia cauſat, quia in magna doſi exhibitum, ſive quia pollet deleteria vi, ſive quia æger aptam non habet expulſioni naturam, vel irritationi nimis cedentem. Purgationi deſervit vomitus, qui eſt quædam purgatio humorum, in ventriculo, aut partibus circumcirca exiſtentibus, conducit ad affectus hypochondriorum, nocet ſtrangulatui, dolori capitis, animi deliquio, ventriculi inflammationi; Commodior eſt in æſtate, magis utilis in hyeme, & in paroxiſmi principio. In ſanitate fit, ventriculo cibo & potu repleto. Clyſteres corpus purgant evacuando ſuperflua in inteſtinis contenta, & ſucceſſivè ad id quod evacuatur trahitur materia à capite, hepate, liene, thorace, & meſenterii partibus.

CAPUT III.

De indicationibus deſumptis ex parte diætetica Medicinæ.

Diætetica medicinæ pars varia auxilia pro T[illegible] impeatrice offert, quæ ex rebus non naturalibus [illegible], penes varias indicationes, qu[illegible] deſumit à corporibus ſani[illegible], pro illis conſervandis, in naturali ſtatu, & a morb[illegible], & illorum [illegible] pro ipſ[illegible] tempore extern[illegible]ndis. [illegible] [illegible] naturæ, &

proprietates: nunc proponemus mod[illegible] quo illis pro praxi utendum, juxta un[illegible] cujuſque naturam, per quam indicati rationem induit.

Potus alius delativus, ut aqua, & deſervit pro cibi elixatione, & ut ſit illius vehiculum in partes nutriendas, alter eſt alimentoſus, qui ſimul valet nutrire & alimenti induit rationem. Eſt cibus alimentum aptum, pro partium nutritione, & pro ſpiritibus inſtaurandis, & ideo in ſanit[illegible] neceſſarius, pro indigentia famis, & conſuetudinis: In morbis ob eoſdem e[illegible]git fines, ſed contraindicatur in morbis materialibus, quatenus auget cauſam morbificam, naturamque avertit ab illius coctione: ideo pro ejus exhibitione attenduntur vires, à quibus indicatur, & morbus à cujus cauſa contraindicatur; in morbo attenduntur illius ſpecies, ejus acceſſiones, & tempora, ægri vires, natura, conſuetudo, anni tempus, & conſtitutio, pro[illegible]ta quæ cibus tenuis, mediocris, aut craſſus conſideratur. Craſſus exhibetur pro morbis longis, mediocris pro morbis acutis, tenuis pro morbis peracutis, e[illegible] tenuis pro morbis exactè peracutis, ſemper tamen, juxta patriæ conſuetudinem va[illegible]mus quantitatem ultra [illegible] conſuetudinem exhibentem ſolam pr[illegible]nam, ſummus dictator ſancivit cibum præ[illegible]dum, quo virtus poſſit perdurare uſque ad morbi vigorem, indicatur cibus [illegible] ob ipſas conſervandas & ut per illas [illegible]bus vincatur, quia vir[illegible] conſervat[illegible] eſt medela: contraindicatur à cauſa [illegible] per illum augetur [illegible] ideo tantu[illegible] exhibendum, quantum valet eos conſervare, [illegible] liquum autem [illegible]dum, ne cauſam [illegible] Præter morborum diſ[illegible] [illegible]

tur

tur eorum tempora, quia in acceſſionibus abſtinere oportet: nam cibum dare nocuum eſt, & juxta diverſitatem temporum variari petit: in principio exhibetur tenuis, ne diſtrahatur natura à coctione cauſæ morbificæ, & quia vires magis ſubſiſtunt tenuior in vigore, ne diſtrahantur criſes, & quia minus diſtat morbus uſque ad declinationem, in qua pleniori victu petunt reſarciri vires, & concocta materia minus prohibet. Tempora etiam paroxyſmi attenduntur, in cujus principio omnino abſtinendum eſt per aliquas horas, ante illud, ne impediatur expulſio acceſſionalis materiæ, niſi ſumma debilitas aut occurſus biliosorum humorum, ad ventriculum exhibere cogant aliquas ſorbitiones, quæ proportionaliter minus impediuntur per ſubſequentia tempora, uſque ad declinationem in qua permittitur cibus morbo proportionatus. Prævalet ſemper indicatio à viribus, & quæ ſumitur à conſuetudine cogit plerumque ad pleniorem cibum, ob illam: pleniorem cibum offerimus quam Priſci crasſiori utimur cibo in longioribus morbis, ut virtus poſſit per longum tempus perdurare, in iis tenui aliquando utimur victu, dum virtus debilis in qua parum, & ſæpe cibare expedit: in morbis, licet longis non ſemper utimur crasſiori cibo: ſed illis qui ſunt præſtantioris ſucci, licet in majori quantitate, ut ſunt conſummatum, hordeatum, in mediocribus viribus pulli gallinacei: aut perdices recentes, utimur ovis recentibus; ovis avicularum, gallinarum, caponum, pullorum, eorum teſtibus aut jecore. In viribus robuſtioribus, & longis morbis, permittitur eorum caro, in aſſuetis caro arietis, piſces ſaxatiles: Pro acutioribus morbis, Hippocrates utebatur ptiſana, nos conſulimus tenuiorem cibum, potionibus aut ſorbitionibus paratum. Paramus potiones ex rebus nutrientibus, & cauſæ morbi oppugnantibus, ut aquam hordei, pro calidis morbis, vel in aſſuetis, utimur vino, tenuiori cerevisia, vino pyraceo, pro frigidis & humidis confert bochetum, pro obſtructis confert aquæ acetoſæ, aut graminis, pro frigidis hydromel, pro extenuatis lac aut diſtillatum reſtaurans: In peracutis morbis utimur ſorbitionibus quæ ſunt juſcula liquida, ex gallina pingui, & carne arietina, quibus ſolent ſuperaddi herbæ attemperantes, vel cauſæ morbi oppoſita, ut prædictæ crasſiores ſorbitiones, conferunt robuſtis pro longioribus morbis, ut conſummata gelatina expreſſa, hordeata, amygdalata, panetella. Aeris maxima eſt pro morbis indicatio, quia inevitabilis, & continuo nos alterat, vel morbo contrarius, vel ſimilis. Pro calidis morbis quærendus frigidus, & humidus, & e contra, ſi offerat cœli conſtitutio, anni tempus, loci temperies, ſin minus arte parandus: pro febrientibus, refrigerantibus, irroratione, frigido liquore, ut acetum roſaceum, vel herbis frigidis, ut nymphæa; vitis folia, plantaginis, lactucæ, ſalicis, ſic pro morbis aliis, aliæ temperies quærendæ pro frigidis calefaciendo, & occurſus aeris frigidi vitandus: vel expedit mutare ſolum in morbis longis, & quærere oppoſitam morbo temperiem, præcipuè ſi ſit patria, cujus dulcis amor, animum magis recreare eſt aptus.

Somnus & vigilia, ſi modum excedant malum, utriuſque viciſſitudo neceſſaria, vigilia pro eliciendis operationibus, præcipuè ſenſitivis & intellectivis: Somnu refic

reficit ſpiritus, perficit actiones vegetativas: ideo in longa vigilia ſomnus conciliandus; longus vero cohibendus, parit enim cruditates, refrigerat, humectat, caput gravat, obtuſum reddit: Ideo conferunt revellentia, derivantia, & evacuantia, ligaturæ cucurbitulæ, ſcarificationes, acetum odoratum, calidũ, vel cum thymo coctum aut pulegio. Vigilia nimia vires debilitat, ſpiritus reſoluit, delirio terminatur: ideo procreandus ſomnus pedum levi frictione, cantu, leni aquarum ſtrepitu, lotione cum aqua dulci, aut in qua coquantur herbæ frigidæ, & humidę, cum quibus fiant embrocationes; vel cum lacte concocto, cum eiſdem herbis, vel in quo diſſolvatur opium, vel parandæ inunctiones cum frigidis unguentis, & unguento populeonis; exhibemus plerumque ſyrupum papaveris, amygdalata, vel laudanum opiatum.

Motus, & quies viciſſitudine etiam indigent; hæc illius eſt terminus, inſanis nimia quiete extinguitur calor; fiunt cruditates; fit corpus ignave, ſpiritus ſegnes; hæc corrigit motus, quem impediunt plures morbi, ob debiles vires: ſupplent frictiones, & fiunt vel leves, vel, vehementes, juxta ægri vires; molles rarefaciunt, durę conſtringunt, vehementes reſolvunt: pro aperiendo fiunt cum calidis oleis, cum hydreolo ad humectandum; cum ſiccis ad adſtringendum. Animi pathemata varios cauſant effectus, varias animi perturbationes, humorumque commotiones, & ſpirituum agitationes: lætitia utilior dilatat cor, roborat facultates, perficit functiones, auget coctiones; ſed in nimio gaudio aliqui extincti ſunt. Reliquæ paſſiones animi ſaluti noxiæ, præcipue triſtitia, quæ oppoſitos procreat effectus, lætitiæ; obeſis tamen proficua; exſiccat enim præcipuè nocet ægris quibus cauſæ occultandæ. Ex continuo uſu alimentorum, fiunt humores utiles, ex quibus reſultant excrementa. Natura retinentes habet vires pro utilibus ſuccis; expellentes pro excrementis: habet & cavitates ad quas hæc tradit: cunctis partibus inhæret facultas expellens, viæque inſunt aptæ, per quas ſuperfluum evacuet; ſi debite ſe habet animal, retinet utile; & expellit inutile; & fiunt morbi ab excretis, aut à retentis, pro quorum curatione variæ deſumuntur indicationes juxta ea quæ petunt evacuari, aut retineri: generaliſſimas indicationes aphoriſticè docuit Hippocrates: morbi qui ex repletione naſcuntur, evacuatione curantur, & è contra. Particulares evacuationes ſumuntur ex natura partis in qua retinentur, vel a qua ultra modum pelluntur & juxta diverſas regiones corporis, ex quibus excrementa reſultant, aut in quibus ſubſtantiæ alimentitiæ generantur, aut continentur.

CAPUT IV.

De indicationibus deſumendis pro pharmacia.

MEdica provincia artem Pharmaceuticam continet, in qua ſimplicium, & mixtorum omnium ſpeculantur virtutes, juxta quorum varietatem variæ ex variis morbis deſumuntur indicationes, quæ petunt adimpleri per medicamentorum facultates. Dicuntur medicamenta, entia quæ curativis gaudent viribus, & medicamentum vocamus, quod corpus medendi vim

di vim habet; Pharmaceuticum quod à natura vim obtinuit ad oppugnandos morbos: hoc aut eſt ſimplex aut compoſitum; ſimplex aut elementum, aut mixtum; elementum, ut ignis, aut aqua, mixtum aut ſumitur ex plantis, aut ex animalibus, aut ex mineralibus. Medicamentorum virtutes ſeu facultates dividuntur in quatuor ordines, ſeu claſſes, quarum aliæ ſunt manifeſtæ, aliæ occultæ. Primæ facultates manifeſtæ ſunt, ex quibus reliquæ manifeſtæ ſubſequuntur, calefacientia, refrigerantia, humectantia, deſiccantia: in unaquaque ſunt quatuor gradus, ſecundum quos ultra mediocritatem nos alterare valent, juxta quos dicuntur talia imprimi, ſecundo, tertio, aut quarto gradu. Secundæ facultates proxime ſubſequuntur ex primis & ſunt attenuantia, detergentia, reſolventia, emollientia, attrahentia, ſuppurantia, rarefacientia, laxantia, incraſſantia, emplaſtica, compingentia, indurantia, repellentia, ſarcotica, condenſantia; quibus accedunt anodina, narcotica, veſicantia, rubificantia, corroborantia, adſtringentia, glutinantia, epulotica, catheretica, ſcarotica. Tertiæ facultates poſt ſecundas ex primis etiam ſubſequutæ, ſunt diuretica, ſudorifica, lythothripica, menſes moventia, & ſiſtentia, bechica, lac generantia, & extinguentia; errina ſternutatoria, apophlegmatiſmata. Quartæ facultates ſunt quæ ſine primarum intervenientia oriuntur à forma, tanquam illius proprietates, ut cum tali modo ſubſtantiæ; aliæ ratione ſimilitudinis, in modo ſubſtantiæ attrahunt humores determinatos, ut cholagoga, phlemagoga, melanagoga, hydragoga: alia occulta vi partes roborant, ut cephalica, nephritica; alia venenis proprietate reſiſtunt, ut alexipharmaca; alia ſunt veneno oppoſita, ut deleteria.

Ratione modi, quo medicamentis utimur, alia dicuntur interna, alia externa: Interna ſumuntur ad ablationem morbi, aut cauſæ illius, vel ad roborandas partes; Pro cauſis morborum offeruntur alia ad humores præparandos, alia ad illos expurgandos; unde interna materia pharmaceutica aut offertur ad purgandum, aut ad alterandum, aut ad roborandum. Alterantia variant pro humorum varietate, ſeu illorum intemperie. Purgantia aut purgant per alvum, aut per vomitum: quæ per alvum, aut ſunt chatartica, chalogoga, melanagoga, phlemagoga, hydragoga; aut ſunt lenientia. Alia purgant à determinata parte, ut ſudorifica per ambitũ corporis, aut per lotium ut diuretica, aut per nares, ut errhina; aut per os, ut apophlegmatiſmata; aut bechica, ut expectorantia. Medicamenta externa aut applicantur ad calefaciendum, aut ad attemperandum, humectandum, aut exſiccandum, vel ad repellendum, vel aliquid operandum; juxta diverſas facultates *ſuprà* poſitas; utimur enim pro calidis affectibus, repellentibus, anodinis, emplaſticis, narcoticis. vel in frigidis, rarefacientibus, emollientibus, reſolventibus, attenuantibus, attrahentibus, in abſceſſibus, ſuppurantibus; in ulceribus, detergentibus, aperientibus, epuloticis, ſarcoticis, vel ob vulnera, ſanguinem ſiſtentibus, glutinantibus; ad cutem ſolvendam, ſcharoticis, reſiccantibus, cauſticis.

Materia pharmaceutica deſumitur ex elementis, aut ex mixtis. Mixta vel deſerviunt per ſuas entitates, vel quatenus ex il-

ex illis alia fiunt medicamenta ; ſi per ſe ipſa, dicuntur medicamenta ſimplicia; quæ ex illis fiunt, dicuntur medicamenta compoſita. Præſtant materiam Pharmaceuticæ pro ſimplicibus medicamentis, Microcoſmica, foſſilia, animalia, vegetabilia. Microcoſmica ſunt medicamenta, quæ deſumuntur ex corpore humano ad morbos curandos, ut ſaliva pro impetigine, lac ad humectandum, & ad alios uſus, ac ſerum; os cranii pro epilepſia, mumia, & alia. Foſſilia ſunt ſimplicia, quæ eruuntur ex terra, ut metalla, lapides, ſucci, bitumina, terra. Metalla ſunt foſſilia, quæ igne liquantur; & alia ſunt naturalia; ut aurū, argentum, ſtannum, æs ſeu cuprum, ferrum, plumbum, hydrargyrum, antimonium; vel ſunt factitia, ut ſcoria, cadmia, fornacum, pompholix, ſpodium, flos æris, ærugo, cinnaberis, lythargyrum: lapides ſunt foſſilia, quæ non liquantur igne, ſed friabilia diſſolvuntur: & alii ſunt pretioſi, alii non ita. Pretioſi ſunt: ſmaragdus, rubinus, ſaphyrus, granatus, ſardius, hæmatites, nephriticus, chryſolitus, cryſtallus, & præ reliquis adamas; Minus pretioſi ſunt lapis lazuli, lapis armenus, lapis judaicus, lapis lyncis, magnes, oſtiocolla, ſilex, talcum, unicornu, foſſile & reliqui lapides. Sumuntur ex animalibus aliqui lapides, ut lapis ſpongiæ, corallium, alectarius, chelidonius, lapis ſcorpionum, lapis capranum, lapis porcinus, lapis percæ, lapis Bezoar, Ætites. Sunt ſucci, foſſilia ex ſuccis concretá, ut ſal gemmeus ſeu marinus, alumen, nitrum, chalchantum ſeu vitriolum, ſulphur. Bitumina ſunt glutinati ſucci, ut naphtha, petroleum, ſperma ceti, ambra, ſuccinum, gagates. Terræ ſunt foſſilia, quæ fuſa aqua ſolvuntur, ut argilla, creta, terra lemnia, bolus armena, terra Syleſiaca ſeu ſtrigenſis.

Animalia medicam pharmaciæ materiam præſtant, variaque medicamenta, vel ex totis vel ex partibus illorum: Sunt in multiplici differentia; Reptilia, exanguia, aves, piſces, quadrupedes. Reptilia ſunt ſerpentes, ut Vipera, Ceraſtes, Ammodiſes, Hæmorrhous, Dipas, Aſpis, Scytale, Amphisbæna, Cæcylia, Cenchrus, Draco pythius, Draco alatus, Hydrus marinus, Scolopendra marina, Acontias, Dryinus, Hydrus, Boas, Elops, Anguis Æſculapii. Axanguia ſunt animalia non ſanguinea, & diverſa; alia mollia, ut polipus, loliga, ſepia, lepus marinus; alia ſunt cruſtacea, ut aſtacus, locuſta, ſquilla, & cancri, degentia in conchis; alia ſunt teſtacea, ut purpura, nautilus, buccinum, margaritæ. Inſecta ſunt vel terreſtria pedata, ut apes, & veſpa, muſcæ; vel carentia pedibus, ut limax, vermis; vel aquatica, ut hirudo, hippocampus. Partes pro medicamentis aliæ ſunt omnibus communes, aliæ aliquibus animalibus particulares.

Aves animalia ſunt aëris quam maximè incolæ; aliæ carnivoræ, ut aquila, vultur, aliæ baccivoræ, ut turdus; aliæ pulveratrices, ut phaſianus, gallina; aliæ domeſticæ, ut pelicanus, ut columba; aliæ canoræ, ut luſcinia; aliæ herbivoræ, ut anſer. Quadrupedes aliæ, ſolipedes, ut equus & aſinus; aliæ bipedes, ut bos.

Piſces alii ſunt marini & ſquammoſi, ut aſellus; alii leves, ut tumnus, alii cartilaginei, ut canis marinus; alia plani, ut torpedo; alii ſaxatiles ſquammoſi, ut ſcarus; alii plani, leves, ut rhombus; alii fluviales, & marini, ut ſalmo, aloſa.

Vegetabilia, medicamenta præſtant varia

ria, & ſunt in multiplici differentia; arbores, frutices, herbæ, deſerviunt Pharmaciæ, vel tota vel per ſuas partes: radices inquam ligna, folia, cimæ, flores, fructus & humores: ex arboribus aliæ ſunt pomiferæ, ut malus citria, pyrus; aliæ nuciferæ, ut nux, amygdala; aliæ dactyliferæ, ut palma; aliæ glandiferæ, ut quercus, aliæ bacciferæ ut lentiſcus; aliæ aromaticæ ut nux moſcata, macer; aliæ ſiliquatæ, ut acacia; aliæ rodofloræ, ut roſa. Herbæ pro uſu aliæ proſunt ex radicibus, ut cepa, porrum; aliæ ex foliis, ut gramen, cyperus; aliæ ſunt hortifoliæ ut borrago, lactuca; aliæ nervifoliæ, ut plantago, aliæ rotundifoliæ, ut ariſtolochia; aliæ capillares, ut lunaria; aliæ ſpinoſæ, ut cardui; aliæ millefoliæ, ut althea. Ex floribus aliæ ſunt verticulatę, & galeatæ, ut ex mentha & origano, aliæ ſtellatę, ut ex ruta, & cruciata, aliæ calcaliforæ, ut ex aquileia: aliæ umbiliferæ, ut ex cumino, aliæ corymboides, ut ex helenio & pyrethro, aliæ capitatæ, ut ex ſcabioſa. Fructus etiam ſunt varii, alii pomiferi, ut cucumis, melo, alii ſiliquati, ut leguminoſi; alii oleracei ut rapa, napus; alii leguminoſi, ut fabæ, piſum; alii hortenſes, alii ſylveſtres. Humores plantarum aut ſunt ſucci inſpiſſati, ut ammoniacum, galbanum, opopanax, ſagapenum, opium, aloe, ſcamonium, ſaccharum; aut ſunt gummata, ut gummi arabicum, tragacanthum, ſarcocolla, lacca, ſanguis draconis, camphora, aut ſunt reſinæ, ſive humidæ, ut therebinthina; ſive ſiccæ, ut ammoniacum, thus, myrrha, bdellium, benjoinum: aut ſunt pices variæ, juxta arborum varietatem, ex quibus deciduunt.

CAPUT V.

De gradibus facultatum omnium ſimplicium.

PRopoſuimus varias ſortes ſimplicium, quibus inſunt facultates medicamentorum, quas Pharmaceutica medicinæ dogmaticæ pars colligit; quæque in Therapeutice deſerviunt, pro variis adimplendis indicationibus; ſed quia non adaptantur unicuique affectui, juxta genericas indicationes, ſed juxta intenſiones graduum, penes quos nos valent alterare; ideo in hoc capite proponemus gradus facultatum, penes quos ſimplicia medicamenta operari conſentiunt Dogmatici.

A.

ABrotanum cal. ſic. in 3.
Abſinthium ponticum cal in 1. ſic. in 3. ſuccus longè calidior.
Acacia ſic. in 3. frig. in 1. ſi abluatur in 2.
Achanthi folia digerunt, radix exſiccat, & eſt tenuium partium.
Acetoſa frig. & ſic. in 2.
Acetum frig. & ſic. in princip. 3. antiquiora calidiora fiunt.
Acori radix cal. & ſic. in 3.
Adiantum temperatum.
Adipes humectant & calefaciunt: ſuillus in æſtivis temperatus, humidus in 2. Humanus in utriſque temperatus: Vitulinus calidus in 1. hum. in principio 2. Anſerinus calid. humid. in princip. 1. Vulpinus calid. in 2. in aliis temperatus.

Æris

Æris ſquamma ſicc. in 3. cal. in 2.
Ærugo cal. & ſic. in princip. 4.
Æs uſtum cal. in princip. 2. ſi lavetur ſemper. ſic. in 3.
Agallochum ſtipticum.
Agnus caſtus cal. ſic. in 3.
Agrimonium cal. in 1. ſic. in 2.
Alkekengi ſemen. frig. ſic. in 2.
Aloë cal. in princip. 2. ſic. in 3.
Altheæ radix cal. in 1. ſic. in 2. folia & ſemen cal. & hum. in 1.
Alumen cal. ſic. in 3.
Ambarum cal. in 2. ſic. in 1.
Ammi cal. ſic. in 3.
Ammoniacum cal. in 3. ſic. in 2.
Ammonium cal. ſic. in 3.
Amygdal. dulcis cal. hum. in 1.
Amygdal. amara cal. in princ. 2. ſic. in 2.
Amylum cal. & hum. verſus 1.
Anagallis cal. & ſic. in 2.
Anethum viride cal. ſic. in 2. ſiccatum cal. in princip. 3.
Angelicæ folia ſic. in 2. & cal. radix ſic. 3.
Aniſum cal. ſic. in 3.
Anthos cal. ſic. in 3.
Antimonium frig. & ſic. in 3. de frigiditate dubitatur.
Apium in 2. cal. in 3. ſic.
Aqua ſimpliciter frig. & hum.
Arantia tota frigida & hum. in princip. 1. cortex cal. ſic. in 2.
Acetoſa frig. & hum. in 2. ſemen ſic. in 2.
Argentina moderate cal. ſic. in 3.
Argentum frig. & hum in 1.
Ariſtolochiæ radix cal. ſic. in princip. 3.
Artemiſia cal. in 2. ſic. in ejus principio.
Arſenicum cal. ſic. in 3.
Aſparagus temperatus & tenuium partium.
Aſſa fætida cal. & ſic. in 3.
Atriplex frig. in 1. hum. in 2.
Avellanæ cal. & ſic. in 1.
Auripigmentum cal. & ſic. in 4.
Aurum temperatum.

B.

Balauſtium frigid. in 3. ſic. in 2.
Bardanæ radix cal. ſic. in 1.
Baurach. cal. ſic. in 4.
Bdellium cal. ſic. in 1.
Benjoinum cal. ſic. in princip. 3.
Berberis fructus frig. & ſic. in 2.
Beta cal. & ſic. 1.
Betonica cal & ſic. in 2.
Bezoar lapis moderate cal. ſic. in 2.
Biſmalva cal. & hum. in 1.
Biſtorta frig. in 2. in princip. 3.
Bolus Armena frig. & ſic. in 2.
Bombacis ſemen calid. in 1. hum. in princip. 2.
Borraginis folia & flores cal. & hum. in 1.
Braſſica cal. ſic. in 1.
Brioniæ radix cal. in 1. ſic. in 2.
Bugloſum cal. & hum. in 1.
Bugula moderate cal. ſic. in 2.
Burſa paſtoris frig. & ſicc. in 2.
Butyrum cal. hum. in 1.

C.

Cadmia temperata in activis ſic. in 2.
Cepa cal. in 4 ſic. in 2.
Calamintha cal. ſic. in 3.
Calcitrapa cal. ſic. in 3.
Calaminaris lapis frig & ſic. in 2.
Camphora cal. in 1. ſic. in 3.
Cannabi cal. & ſic. in 3.
Cantaris cal. & ſic. in 4.
Capillus Veneris temperat.
Caprinum ſtercus cal. & ſic. in 3.
Carſaparilla cal. in 2. ſic. in 1.

Carduus

Carduus benedictus cal. & ſic. in princ. 3.
Cardamomum cal. & ſic. in 3.
Caricæ cal. in 2.
Carlinæ radix cal. in 2. ſic. in 3.
Carvi cal. & ſic. in 3.
Caryophili cal. ſic. in 3.
Cappares cal. ſic. in 2.
Caſtoreum cal. in 3. ſic. in 2.
Centaurium minus cal. ſic. in 3.
Centinodia frig. in 2. ſic. in 1.
Ceraſa frig. & hum. in 1.
Cervicornu uſtum cal. in 1. ſic. in 2.
Ceruſſa frig. & hum. in 1.
Ceterach, temperatum.
Chalcitis, cal. ſic. in 3.
Chalyps cal. in 1. ſic. in 3.
Chamædrys cal. ſic. in 3.
Chamæmelum cal. & ſic. in 1.
Camæpytis cal. in 2. ſic. in 3.
Chelidonium majus cal. ſic. in 3.
Chelidonium minus cal. & ſic. in princ. 4.
China cal. in princip. 1. ſic. in 2.
Cicera rubra cal. & ſic. in 1.
Cicerbita frig. & ſic. in 1.
Cichorium frig. ſic. in 2.
Cinnamomum cal ſic. in 3.
Citria tota frig. ſicc. in 1. cortex exterior, cal. in 1. ſubſtantia frig. & hum. in 1.
Cutrullus frig. hum. in 1.
Ciricus cal. in 2. ſic. in 3.
Columbinus fimus cal. & ſic. in princip. 4.
Corallium frig. ſic. in principio 2.
Coriandrum cal. in 1. ſic. in 3.
Corna frig. & ſic. in 1.
Crocus cal. in 2. ſic. in 1.
Cryſtallius frig. ſic. in 2
Cubebæ cal. ſic. in 1.
Cucumer frig. hum. in 2.
Cucurbita frig. hum in 2.
Cuminum cal. ſic. in 3.
Cupreſſus cal. 1. ſic. in 2.
Cuſcuta cal. in 1. ſic. in 2.
Cyanus frig. hum. in princip. 2.
Cyclamen cal. ſic. in 3.
Cydonia frig. in 1. ſic. in princip. 2.
Cyperus cal. ſic. in 2.

D.

DActyli recentes cal. hum. in 1. veteres ſicc. in 1.
Daucus cal. ſic. in 3.
Dens leonis frig. ſic. in 2.
Dictamum Creticum cal. ſic. in 3.
Doronicum cal. ſic. in 3.
Draconis ſanguis frig. in 1. ſic. in 2.

E.

EBur frig. in 1. ſic. in 2.
Elaterium cal. ſic. in 2.
Endivia frig. hum. in 1.
Enula campana cal. in princip. 3. ſic. in 2.
Equiſetum frig. in 1. ſic. in princip. 4.
Eruca cal. in 2. ſic. in princip. 2. recens humid. in princip. 2.
Eringium cal. moderate ſic. in 2.
Euphorbium cal. ſic. in 4
Euphraſia cal. ſic. in 2.

F.

FAba frig. ſic. in 1. recens hum. in 1.
Fella cal. ſic. à 2. ad 4. pro animaliū temperie.
Fermentum vetus cal. hum. in 1.
Ferri ſcoria frig. in 1. ſic. in 3.
Ficus cal. moderatè hum. in 1.
Flammula Jovis cal. ſic. in princip. 4.
Fœniculum recens cal. in 2. ſic. in 1. vetus cal. in 3. ſic. in 2.
Fœnugræcum cal. ſic. in 1.
Fragaria frig. hum. in 1.
Fraxinella cal. ſic. in princip. 3.

Fraxinus cal. ſic. in 2.
Fumaria cal. in 1.

G.

Galanga cal. ſic. in 3.
Galbanum cal. ſic. in 2.
Gallæ frig. in 2. ſic. in 3.
Geniſta cal. ſic. in 2.
Gentiana cal. ſic. in 3.
Glandium calices frig. in 1. ſic. in 2.
Gluten frig. & ſic. in 1.
Gramen frig. & ſic. in 1.
Grana tinctorum cal. in 2. ſic. in 3.
Granata dulcia frig in 1. hum. in 2.
Granata acida frig. ſic. in 2.
Granatus lapis cal. & ſic.
Guajacum cal. ſic. in pr. 2.
Gummi Arab. frig. & ſic. in 1.
Gypſum frig. & ſic.

H.

HÆmathites lapis frig. in 1. ſic. in 2.
Hedera cal. ſic. in 2.
Helleborus cal. ſic. in 3.
Hedera terreſtris cal. ſic. in 1.
Hepatica frig. ſic. in 1.
Hermodactyli cal. & ſic. in 2.
Herniaria frig. ſic. in 1.
Hœdi coagulum cal. ſic. in 2.
Hordeum frig. ſic. in 1.
Hyacinthus lapis frig. ſic. in 1.
Hyoſciamus frig. in 3.
Hypericum cal. ſic. in 2.
Hypochiſtis frig. in 3. ſic. in 1.
Hyſopus cal. ſic. in 3.

I.

IAſpis lapis frig. & ſic.
Iberis cal. ſic. in 4.
Ignis cal. ſic. abſolutè.
Iris cal. ſic. in 3.
Judaicus lapis cal. ſic. in 2.
Jujubæ cal. hum. in 1.
Juniperus cal. ſic. in 3.

L.

LAc mulieris temp. frig. & hum.
Lac aſininum frig. hum. in 1.
Lacca cal. in 1. ſic. in 2.
Lactuca frig. in 3. hum. in 2.
Lappa major ſic. in 1.
Lavendula cal. ſic. in 3.
Laurus cal. ſic. in 3.
Lens aquatica frig. in 2.
Lentes frig. & ſic. in 1.
Lentiſcus frig. ſic. in 1.
Leporis coagulum, & pili uſti cal. & ſic.
Lilium cal. ſic. in 1.
Limones frig. hum. in 2.
Linum cal. in 1.
Liquiritia cal. hum. in 1.
Lithargyros frig. ſic. in 1.
Lumbrici cal. hum. in 1.
Lupini cal. in 1.
Lupulus cal. in 2.
Lyncis lapis frig. in 1. ſic. in 2.

M.

MAcis cal. in 1. ſic. in 2.
Majorana cal. ſic. in 3.
Malicorium frig. ſic. in 1.
Malva frig. hum. in 1.
Mandragora frig. in 3.
Margaritæ frig. ſic. in 2.
Maſtiches cal. ſic in 1.
Matricaria cal. ſic. in 2.
Medullæ cal. moder. humana etiam. Bubul. cal. ſic. in 1.
Mel cal. ſic. in pr. 2.
Meliiotus cal. ſic. in 1.

Meli-

Digitized by Google

Meliſa cal ſic. in 2.
Melones frig hum. in 2.
Mentha cal. ſic. in 3.
Mercurial cal.ſic.in 1.
Meſpila frig. in 1. ſic. in 2.
Milium frig. 1. ſic. in 2.
Milium ſolis cal. ſic.in 3.
Millepedes cal. ſic. in 2.
Moſchus cal. ſic. in 3.
Mumia cal. ſic. in principio 3.
Myrabolani frig. in 1. ſic. in 2.
Mirrha cal. ſic. in 2.
Myrtillus frig. in 1. ſic. in 2.
Myrtus frig. ſic. in 1.
Mythridatium frig. in 1. ſic. in 2.

N.

Nardus cal. in 1. ſic.in 2.
Naſturtium cal. ſic. in principio 4.
Nenuphar frig. hum. in 2.
Nephriticum lignum cal. ſic. in 1.
Nepera cal. ſic.in principio 1.
Nicotiana cal. ſic. in 3.
Nigella cal. ſic. in 3.
Nux moſchata cal. ſic. in 2.

O.

Ocimum cal. in 2.
Oeſipus cal. hum. in 1.
Omphacium frig. ſic. in 1.
Ononis cal. ſic. in 3.
Opium frig. in 4.
Opopanax cal. in 3. ſic. in 2.
Origanum cal. ſic. in 3.
Orobus calid. in 1. ſic. in 2.
Os de corde cervi frig. hum. in 2.
Ovi albumen frig. hum. in 2.
Oxylapathum frig. in 1.

P.

Pampini vitis frig hum. in 1.
Papaver album frig.in 4. ſic. in 2.
Papaver rhœas frig. ſic. in 2.
Parietaria frig. ſic.in 1.
Paſſerum cerebella cal. in 2. hum. in 1.
Paſſulæ temperatæ.
Pentaphylon ſic. in 3.
Pepones frig. hum. in 2.
Perſica frig. in 2. hum. in 1.
Pes cati ſic. in 3.
Petroſelinum cal. ſic. in 3.
Piloſella ſic. in 2.
Pimpinella cal. in 2. ſic. in 1.
Pinei nuclei temperati.
Piper cal. ſic. in 4.
Piperitis cal. in 4. ſic. in 3.
Piſtacia cal.ſic.in 2.
Pix cal. in 3. ſic. in 2.
Plantago frig. ſic. in 2.
Plumbum frig. hum. in 3.
Plumbum uſtum ſic. in 1.
Pœonia cal. ſic. in 2.
Polytricum ſic. in 1.
Poma frig. hum. in 1.
Portulaca frigida in 3. hum. in 2.
Præcipitatum cal. ſic. in 4.
Praſium album,cal in 2. ſic. in 1.
Primula veris cal. ſic. in 2.
Pruna dulcia frig. in 1. hum. in 2.
Pſilium frig. in 2.
Ptarmica cal. ſic. in 3.
Pulegium cal. ſic. in 3.
Pulmonaria cal. in pr. 1. ſic. in 2.
Pulmo vulpis cal. ſic. in 2.
Pyra frig. in 1. ſic. in 2.
Pyretrum cal. ſic. in 4.
Pyrola ſic. in 3.

Google

R.

RApa cal. in 2. hum. in 1.
Realgar cal. in 3. ſic. in 1.
Raphanus cal. in 3. ſic. in 2.
Reſina vulgaris cal. in 2. ſic. in 1.
Rhaponticum cal. ſic. in 2.
Ribes frig. ſic. in 2.
Roſa frig. ſic. in 1.
Roſmarinus cal. ſic. in 2.
Rubia tinctorum cal. ſic. in 1.
Rubus frig. in 1. ſic. in 2.
Ruſcus ſeu bruſcus cal. moderat. ſic. in 1.
Ruta cal. ſic. in 3.

S.

SAbina cal. ſic in 3.
Saccharum cal. in 1. hum. in 2.
Saccharum Candi cal. hum. in 1.
Sagapenum cal. ſic. in 2.
Salix frig. in 2. ſic. in 3.
Saliva cal. ſic. in 2.
Salvia-vita temperata.
Sambucus cal. ſic. in 2.
Sanicula cal. ſic. in 2.
Santala frig. ſic. in 2.
Sapphyrus frig. ſic. in 1.
Sardius lapis frig. ſic. in 1.
Satureia cal. ſic. in 2.
Satyrion cal. in 2. ſic. in 1.
Saxifragia cal. ſic. in 3.
Scabioſa cal. ſic. in 2.
Scariola frig. ſic. in 1.
Scinci cal. hum. in 1.
Scolopendrium cal. in 1. ſic. in 2.
Scordium cal. ſic. in 2.
Scorpiones uſti cal. ſic. in 3.
Scorzonera cal. ſic. in 2.
Sebeſten temperata.
Semper vivum maj. frig. in 3. hum. in 2.
Sericum cal. ſic. moderate.
Serpillum cal. ſic. in 3.
Seſeli cal. ſic. in 2.
Sideritis frig. moder. hum. in 2.
Siler montanum cal. ſic. in 2.
Sinapi cal. ſic. in 4.
Siſymbrium cal. ſic. in 3.
Smaragdus frig. ſic. in 1.
Solanum frig. in 2.
Sorba ſic. in 2.
Spodium frig. in 1. ſic. in 3.
Stechas cal. ſic. in 2.
Staphiſagria cal. ſic. in 3.
Styrax cal. ſic. in 2.
Sublimatum cal. ſic. in 4.
Succinum cal. in 1. ſic. in 2.
Sulphur cal. ſic. in 3.
Sumach. frig. in 2. ſic. in 3.
Symphitum cal. in 1. ſic. in 2.

T.

TTamariſcus cal. ſic. in 2.
Terebinthina cal. in 3. ſic. in 2.
Terra frigida & ſic. abſolutè.
Thapſia cal. ſic. in 4.
Thlaſpi cal. ſic. in princip. 4.
Thus cal. in 2. ſic. in 3.
Thymus cal. ſic. in 3.
Tormentilla ſic. in 3.
Tragacanthum temperat.
Ttriticum cal. in 1.
Tuſſilago cal. in 1.
Tuthia frig. in 1. ſic. in 2.

V.

VValeriana cal. ſic. in 3.
Verbena cal. ſic. in 3.
Verbaſcum frig. ſic. in 2.
Veronica frig. ſic. in 2.
Vinca pervinca cal. ſic. in 2.
Vinum recens cal. ſic. in 2.
Vinum vetuſtum cal. ſic. in 3.
Vinum album cal. ſic. in 2.
Violæ frig. in 1. hum. in 1.

Vir-

Digitized by Google

Virga aurea cal. in 1. ſic. in 3.
Vitriolum album cal. ſic. in princip. 4.
Vitrum uſtum ſic. in 3.
Ulmaria cal. ſic. in 2.
Unicornu frig. ſic. in 1.
Urtica cal. ſic. in 3.

Z.

ZEd oaria cal. ſic. in 2.
Zibetum cal. in 2. hum. in 1.
Zinziber recens cal. in 2. hum. in 1. reſiccatum ſic. in 1.

IN aliis etiam facultatibus præpollent, & hujuſmodi ſimplicia, quorum aliqua ſub determinato genere conjuncta præſcribuntur. Quinque radices aperientes ſunt, ruſci, aſparragi, fœniculi, ſeu petroſelini, apii graminis. Herbæ quatuor emollientes ſunt malva, althea, viola nigra, acanthus, ſive branca urſina, alias mercurialis, beta, parietaria, atriplex. Herbæ quinque capillares ſunt, polytricum, capillus veneris, adiantum vulgare, ſalvia vita, ceterach. Flores cordiales dicuntur, frigidi violarum vel roſarum bugloſſi, borraginis. Calidi, chamemeli, meliloti, anethi, ſeu liliorum fructus. Cordiales ſunt paſſulæ, pruna, vel tamarindi, jujubæ, vel ſebeſten. Quinque fragmenta pretioſa ſunt, ſapphyri, granati, ſmaragdi, hyacinthi, ſardii. Quatuor ſemina frigida ſunt majora, melonum, cucumeris, cucurbitæ, citruli: Minora lactucæ, portulacæ, intibi ſeu endiviæ, cichorii. Calida majora ſunt aniſi, cymini, fœniculi, carvi; Minora verò ammeos, ammomi, apii, dauci.

*****

CAPUT VI.

De variis compoſitis medicamentis internis.

EX varia ſimplicium medicamentorum congerie, varia fiunt medicamenta, in quibus facultates medicamentorum vario modo relucent, & juxta illarum varietatem, variæ ad morbos curandos deſumuntur indicationes, juxta quas compoſitis utimur medicamentis: quorum alia ſunt interna; quæ intus ſumuntur; alia externa; quæ adextra applicantur: formulas eorum præſcribemus, ut facilius poſſint à Tyronibus præſcribi, & compoſitiones cognoſci; ipſaſque transferemus ordine & modo quo à recentioribus præſcribuntur.

Medicamenta compoſita interna, de quibus primò agemus, alia ſunt liquida, alia mollia, alia ſolida: liquida ſunt apozemata, potio, julepus, ſyrupus, vomitorium, vinum medicatum, emulſio, amygdalarum, lac, ſerum lactis, hydromel, hydroſaccharum, ptiſana, bochetum, decoctum galli, deſtillatum reſtaurans, juſculum.

Mollia ſunt: Bolus, opiata, eclegma, conditum: Solida ſunt paſta regia, morſelli, pandaleon, maſſapanis, pineolatum, tabellæ, pilulæ, trochiſci, pulvis.

Unumquodque ex compoſitis medicamentis, coadunatur ex certa ſimplicium proportione, quam Medicus præſcribit certis notulis, ad pondus, numeros, & menſuram deſtinatis, & apud ipſos uſitatis. Pondere arida expenduntur; liquida menſura; fructus partim ponderantur, partim numerantur, qui parvi, ſæpius per

paria requiſita expenduntur: libra medicinalis Romana pendet uncias duodecim: civilis uncias decem & ſex; ſemilibra pendet uncias ſex, ſeſquilibra pendet libram unam, & ſemiſſem, quadrans, vel quartarius pendet uncias tres, ſextans pendet uncias duas, triens pendet uncias tres; dodrans pendet uncias novem; beſſis pendet uncias octo. Uncia eſt pars duodecima libræ, & pendet dragmas octo: ſemi-uncia eſt dimidia unciæ pars: pendens dragmas quatuor, ſeſquiuncia pendet unciam unam, & ſemiſſem: dragma pendet ſcrupulos tres, quæ eſt pars octava unciæ. Aureus Arabum, ſeu denarius Romanus pendet unam dragmam, & ſeptimam ejus partem, & ſeptem aurei, ſeu denarii pendent unciam unam. Scrupulus eſt tertia pars drachmæ; pendet apud aliquos grana viginti, communis grana viginti quatuor: Et ſic apud veteres dividitur in duos obolos: Obolus eſt ſemi-ſcrupulus: granum minimum pondus eſt, & reliquorum baſis, deſumitur ex tritico: loco ejus: quia varium, ſumitur minutum numerarium pro grano jam receptum.

Notantur à medicis menſuræ his notulis granum g. gr. ſcrupulis ℈. drachma ſic ℥. uncia ſic. ʒ. libra ſic ℔. ſemiſſem partem, ſeu dimidium horum. ſic ß. Fructus numerantur, liquida menſurantur, & aliqua ſolida ſolent impropric menſurari, ut plantæ, quæ faſciculis, manipulis, vel pugillis menſurantur. Faſciculus, ſic conſignatur F. manipulus ſic M. Pugillus ſic P. Menſuræ liquidorum propriæ ſunt apud veteres cochlear, cyatus, quartarium, hemina, ſeu cotyle Atica, ſextarius, congius, urna, amphora, cadus, culeus, Juniores pro iis utuntur libris medicis, vel civilibus, quartariis, & unciis, aut drachmis. Numerus ſic conſignatur N. & pro conſignandis numeris utimur Romanorum notis, ſic j ij. iij. iiij. v. vj. vij. viij. ix. x. xj. xij. xiij. xiiij. xv. Et ſic impoſterum. Libra civilis pendet ℥. xvj. & hæc eſt dimidia pars menſuræ vini, quæ amphora dicitur, & debet pendere ʒ. xxxij. Hemina Italica eſt dimidius ſextarius Atticus, & pendet ℥. ix. ſicut cotyla Attica, ſextarius Atticus continet duas heminas, ſeu ℥ xviij. Plerumque quantitates relinquuntur menſurandæ Pharmacopæis, & tunc poſt medicamenta præſcripta addimus quod ſufficiat, ſic deſignamus q. ſ.

CAPUT VII.

De compoſitis medicamentis internis liquidis.

VAria ſunt medicamenta interna liquida, ut diximus, quæ *ſuprà* propoſuimus, quorum compoſitiones, & formulas ſeorſim proponemus.

Apozema.

Decoctio à Græcis dicitur Apozema: Eſt liquor decoctione extractus ex variis plantis, & ſacharo, aut melle clarificatus, aromatiſatus, & exhibitus per tres, aut quatuor doſes, ad alterandum, aut purgandum; licèt ab antiquis aliter uſitatus: & eſt duplex; alterans, aut purgans: Alterans eſt quod corpus alterare valet, illius partes aliquas, vel determinatos humores; & ideo aut univerſale eſt, totum corpus reſpiciens, aut particulare reſpiciens determinatam partem: ideo dicitur cephalicum, hepaticum, aperiens, deobſtruens.

ſtruens. Attendũtur in illo cõpoſitio, uſus, & præſcribendi forma. Pro compoſitione præſtant materiam radices, cortices, ligna, folia ſemina, fructus, flores aromata quæ in diverſa quantitate deſcribi ſolent : radices ad ʒ.iiij. cortices, & ligna ad ʒ.ij. aut ℥j. fructus minores, ut paſſulæ, pondere ad ℥j.ſs. aut num. ad paria x. aut xij. majores præſcribuntur numero : flores ad P.iiij. vel vi. aromata q.ſ. Deſervit pro decoctis aqua hordei ad attemperandum; hydromel ad detergendum, pro decoctione q.ſ. vel communiter aqua communis; poſt colaturam maneat lib. j. ſs. Pro quatuor doſibus diſſolvuntur, pro dulcorando, ſyrupus idoneus pro affectu, vel parte affecta; aut ſaccharum, pro affectibus calidis; aut mel pro frigidis Modus:

℞. Materiam pro indicatione requiſitam : fiat decoctio in ſuff. quantitate liquoris ad lib j. ſs. dulcoretur : fiat apozema clarificatum, & aromatizatum. Si apozema requiratur ſimul purgans, ſumptâ indicatione ab humore peccante evacuando, ſuperaddendum catharticum, ut rhabarbarum, agaricum, tamarind. ſemen carthami, hermodactili, folia ſenæ, polypodium, in quantitate ſufficiente, pro quatuor doſibus, juxta naturam, purgantis medicamenti. Semper polypodium, carthamus & ſena ſuperadduntur cum aliis: ut ℞. Folior. ſenæ mundat. & polypodii quercini ana ʒ ij. medullæ ſeminis carthami ʒ ij. ſs. agarici, aut rhabarbari ana ʒ. ſs.

Potio.

Potio eſt forma liquida medicamenti dulcorata, & ſæpè clarificata in unam doſim; & duplex: alia ad purgandum, alia ad alterandum: aut eſt communis in officinis, officinalis dicta, aut à Medico peculiaris, dicitur magiſtralis; & eſt multiplex, juxta varios fines; alia alterans, alia roborans, alia ſanguinem ſiſtens, alia promovens partum, alia lumbricos interficiens, alia calculum frangens, alia confert ad caſum ab alto, alia ad gonorrhæam; & ſic in alios fines, & ad varios affectus confert juxta varia ingredientia. Compoſitio alterantis potionis, & corroborantis, conficitur ex appropriato ſyrupo, ad ℥j. cum ʒ. iiij. aquæ, & ex cordiali confectione ad ℥.j. vel pulveres ad ℥. ſs. vel ſi pretioſi ad ℈.j. aut ℈.ſs. aut ex Bezoar ad g.vj. & ſimili modo, ex diverſis ingredientibus fiunt variæ potiones alterantes, ad varios uſus.

Potio purgans fieri ſolet ex ſena & floribus cordialibus : in officinis habetur pro potionibus ſolutivis paratum decoctum Pugini, ſeu magiſtrale ſene ſic:

℞. Polypodij quercini folior. ſenæ ana ℥j paſſular : Corinthij ℥j. ſs. prunor. n.x. cinnamomi, zinziberis ana ℥.j. aniſor. ʒ.ij. flor. porrag. violar. ana m. ſs. aquæ hordei lib. ij. coquantur ſecundum artem; ſerva ad uſum: communis doſis pro pueris ʒ.j. ſs. aut ℥.ij. pro adultis ab ʒ.iij. ad ʒ.iiij. diſſolutur allicujus electuarii ſolutivi, aut diapheniconis, aut cathol. ſeu confect. Hamec. ʒ.ſs vel infunditur rhabarbari, aut agarici trochiſcati, ad ℥.j. ad ℥.j. & ſs. ſuperadditur communiter pro adultis ʒ.iij. ſyrup. alicujus ſolutivi, vel ſimplicis, ut Perſici, vel compoſiti, ut ſyrup. cichorii. cum rhabarbaro: utuntur alii ſyrupo regis minus uſitato in officinis, qui ſic deſcribitur:

℞. Foliorum ſenæ ℥.j. infunde in ℥.x. aquæ

aquæ fœniculi: cola: adde infuſionis ex 9. permutationibus roſ. perſicar. & ex quinque permutationibus flor. violar. ana ℥. iiij. ſacchar. lib j. ß. fiat ſyrupus magiſtralis, ſic: Mel perſicum Aëtii, ſi fiat cum ſaccharo loco mellis, manet clemens, ſolutivum, quod dicitur ſyrupus Principis: fiunt etiam lenitivæ potiones ex decocto Pugini, & iis ſyrupis cum emulſione ſeminis carthami, vel cum pulpa caſſiæ fiſtulæ, aut aliis ſeminibus. Fit etiam lenitiva potiò ex manna, in jure, aut alio liquore ſoluta, fit & potio in vino, aut jure, cum pulveribus zaqualtipanis aut jalapæ, aliiſque ſolutivis ſimilibus, quibus utimur pro communi doſi à ℨ. j. ad ℨ. ij. formula talis ſolet eſſe:

♃. Decoct. Pugin. & ſyrup. ſolut. anà ℥. iij. pulpæ caſſiæ fiſtulæ, vel emulſionis ſeminis carthami ℥. ß. vel pulver. mechoacam, aut jalapæ ℨ. j. ß. vel utimur ad leniendum decocti Pugini ℥. ij. ſyrup. perſ. ſolut. ℥. iiij. miſce: fiat potio.

Julepus.

IUlepi & ſyrupi inter Arabes ferè nulla diſtinctio, apud juniores diverſa eſt ratio Julep Perſicum nomen eſt dicit: potionem dulcem paratã ex aquis ſtillatitiis, aut decoctis, præſcribitur pro una doſi ex ℥. j. ſyrupi cum ℨ. iiij. aut ℥. vj. aquæ vel ſimul juxta hanc doſim pro pluribus, ſuperadduntur ſæpè guttulæ olei vitrioli, & in febribus malignis cardiaca, ut,

♃. Syrup. ſcorzoneræ, ℥. iiij. aquæ bugloſſi, & ſcorzoneræ, ana ℥. x. conf. Hyacynt. & Alchermes ana ℨ. j ß. pulv. lapidis Bezaar orientalis gr. viij. ſpiritus vitrioli q. ſ. ad aciditatem: fiunt etiam Julepi ex decoctione dulcorata, ſine clarificatione & aromatizatione, ſic,

♃. Radic. &c. fiat decoctio ad ℔ j. diſſolve in colatura ℥. iij. ſyruporum, vel dulcoretur ſaccharo, & clarificetur.

Syrupus.

SYrupus eſt liquida forma medicamenti, quæ ob ſtirpium defectum ex illorum ſucco aut decoctione fieri perit, melle aut ſaccharo conditis; & ad conſiſtentiam, ut guttatim in marmore injecta, difficulter defluat: Eſt duplex; alter ſyrupus alterans, alter purgans, uterque aut officinalis, aut magiſtralis, officinalis communiter receptus in officinis, multiplex paratus, magiſtralis pro medici uſu & neceſſitate præſcribitur, in quo attẽditur compoſitio, materia diſſolvenda, clarificatio, aromatizatio. Materia, ſunt variæ ſtirpium partes ex quibus extrahitur ſuccus, ex decoctione ſumimus à lib. j. & ß. ad lib. ij. ex ſuccis ad duplam partem, & cum ſaccharo q. ſ. in calidis affectibus, & cum melle in frigidis, fiat ſyrupus: doſis variat in ætatibus, communis eſt ad ℥. ij. ex uno aut pluribus cum æquali portione aquæ communis, vel alterius ſtillatitiæ.

Vomitorium.

PEr os movet natura beneficio facultatis expultricis, quæ ob gravantem copiam, moleſtam qualitatem, venenoſam aut alienam, irritant, & truduntur per œſophagum & os vi & impetu. Imitatrix naturæ ars, ſimilem contendit concitare evacuationem per medicamenta vomitoria dicta, quæ ſunt in triplici differentia, benigna, mediocria, & fortiora: fiunt benigna ex ſyrupo acetoſo; vel oximelite ſimplici, vel oleo olivarum, amygdal. dulc. quæ petunt in quantitate magna

Digitized by Google

magna exhiberi. Med'ocria fiunt ex decoctione radicis, aut ſeminis raphani, atriplicis, erucæ, naſturcii, cepæ, addendo ſyrupum acetoſum compoſitum, oximel ſquilliticum, aut hydromel compoſitum cum radice aſari. Fortiora vomitoria apud priſcos parabantur ex elleboro albo Thymelea, chamælea, peplio, & aliis venenatis medicamentis. Recentiores tutioribus utuntur: Diaſarum Fernelii utiliſſimum ſi ℥. j. diſſolvatur cum vomitoriis propoſitis in ſecundo ordine; vel pomum ex radice ellebori adimpletum & coctum; vel fiat decoctum ex ellebori radice, aut infuſum cum cardiacorum ʒ. ß. vel antimonium cum ſale petræ paratum, dictum crocus Martis ʒ. ß. infunditur in ℥. iij. vini albi & filtratur; vel fit deſtillatum ex aqua Nicotianæ & aceto: doſis ad ℥. iij.

Sed Rulandus potiora ad alios etiam uſus ſimul utilia habet vomitoria: ſudorificum præſcribit ex pulvere rad. aſari ʒ. ß. cum ℥. vj. aqu. cardui benedicti, vel ex ʒ ß. rad. aſari, cum aquæ hyſopi, praſii, meliſſæ, cardui benedicti, ana ℥. j. Maximè commendatur ejus aqua benedicta, Rulandi dicta, vel ex vitro antimonii fit calyx chimicus, in quo macerentur per noctem ℥. iiij vini, cum quo provocatur vomitus; vel crocus metallorum ad piſi magnitudinem in ℥. v. vini, maceretur per 24. horas: ſumatur vinum poſt colaturam. Vel confert ſal vitrioli à gr. 8. ad 10. in vino aut alio liquore diſſoluti.

Vinum medicatum.

Vinum ut potus aut alimentum pro viribus inſtaurandis, corpore reficiendo ſumitur: Diætetica medicinæ ſimul, ut *Bravo Tyrocin. Pract.* fit alimenti vehiculum; in Pharmaceutica prout medicatum; juxta varias indicationes, tanquam medicamentum deſervit: fit tale, dum recipit vires per admixta medicamenta ad alterandum, vel purgandum; & ideò duplex alterans, & purgans; & ſimplex aut compoſitum. Simplicia vina alterantia aut corroborantia ſunt, quæ ex ſimplici aliquo fiunt alterante medicamento: vinum acori, vinum angelicæ, vinum enulatum, vinum de tuſſilagine, vinum anthoſatum. vinum ſalviatum, vinum bugloſſatum, vinum juniperinum, vinum euphraſiæ, vinum fœniculatum, vinum hyſſopi, vinum aniſi, vinum epythimi, vinum abſinthii, vinum hypericonis, vinum centaurii minoris, vinum alkekangi, vinum eringiorum, vinum ſcylliticum, vinum ſenæ ſimplex. Alia ſunt vina ſimplicia, laxativa, ut vinum hermodactilorum, vinum turbith, vinum ſeminis ebuli maturi, vinum ſeminis ebuli non maturi, vinum ſeminis ſambuci, vinum ſeminis hederæ, vinum florum perſicæ arboris, prunorum, vinum helleboratum; vel vina purgantia fiunt compoſita, ut varia Hippocratica clareta dicta, vinum antepilepticum, vinum antapoplepticum, vinum antiparalyticum, vinum zedoariç, vinum micopthalmium, vinum chabyleatum, vinum antinephriticum. Hæc omnia vina vel fiunt ex muſto in vindemiis ſic: ℞. Abſinthii Romani exſiccati q.v. injice in vas idoneum, ſuperinfunde muſtum recens; ſine bullire per aliquot dies, novum alternis diebus muſtum infundendo, ut vas ſit ſemper repletum: Vinum ab fæcibus repurgetur: peracta ebullitione reple totum dolium eodem muſto, & optime claude: macerentur per menſem: Doſis dimidium vitrum,

omni mane, & præparatio ſimilis. De reliquis ſimplicibus vinis, vel ſine muſto parantur ſic: ℞. Abſinthium minutim inciſum, immitte in vas vitreum, ut pars tertia vaſis repleatur; affunde vinum album, vaſe probè obturato, loco tepido reponatur & maceretur per duodecim dies, relinquatur in vaſe, & per plures dies tantum affundes, quantum ad uſum abſumas. Vel alii vinum hoc decoctione parant, alii ſola infuſione.

Emulſio.

EMulſio eſt medicamentum poculentũ ex medulla ſeminum & fructuum quorundam contuſa, affuſo idoneo liquore, inſtar lactis emulſum, ad alterationẽ comparatum. Materia ex qua fit, ſunt fructus, ut amygdala, & nuclei pineorum ſemina, ut quatuor frigida & ſemen carthami, ſolent præſcribi ad ℥. j. ſ. fiunt ex liquore, ut aqua communi, vel aqua hordei, ptiſana, aut aliis decoctis: Doſis uſque ad ʒ. iiij. additur ſaccharum, aut ſyrupus affectui aptus.

Amygdalatum.

AMygdalæ, ſi amaræ ſunt, medicamentoſæ, ſi dulces, ſimul & alimentoſæ: fit ex iis amygdalatum, quod eſt potus inſtar lactis albus, febrientibus utilis, & in affectibus thoracis, ſic, ℞. amygdalar. mundatarum ℥ij. tere in mortario cum aquæ elixatæ, paulatim affuſæ ℔. ſ. adde ſacchari ʒvj. miſce, coque parum: fit unum liquidius, aliud craſſius, & magis minuſve dulcoratum.

****
*

Hordeatum.

PTiſanam confundunt plerique cum hordeato, ſed Ptiſana eſt potus de quo *infra*; hordeatum cibus, qui plerumque cum ſemine hioſciami ſolet in inſomniis parari, pro alimento: Fit per lentam decoctionẽ, per quatuor aut quinque horas: in colatura ſuperadditur ℥. j. aut ʒ. ij. ſacchari, & poſtea poſt levem ebullitionem manet hordeatum in febribus utile, & ad pectus.

Lac.

DE Lacte agitur, prout alimento ſumpto, & prout eſt medicamentum; ut ſic attemperat, & humectat ſubſtantificè; à pluribus contraindicatur indicatum, exhibetur ab ℥. iiij. ad lib. j. cum ſacchari ℥. j. aut plus; ſi aceſcit, cum melle ſumitur per menſes, plerumq; mane, & ſæpe etiam veſperi, ſemper recenter mulctum & calens: in dyſenteria chalybeatum. Utimur illo à minori doſi, progrediendo ad majorem, prout exigit uſus, & permittunt contraindicantia.

Serum Lactis.

LActis ſerum ſe ſolo medicamentoſum, & maximè dum ab aliis alteratur, exhibetur à lib. j. ad lib. iij. macerantur in illo ſæpe folia fumariæ aut cichorii, ad attemperandum admiſce Epitymum, aut ſennam ad purgandum, ad ʒ. ſ. cum ſacchari ℥. j. aut ℥. j. ſ. pro potione ʒ. viij. Uſus ſeri ad refrigerandum, humectandum, ad ſeroſos & aduſtos ſuccos expurgandos, in magna ſumitur quantitate, ſemel per quatuor horas ante paſtum, ab aliis bis ſumitur.

Hydro-

Digitized by Google

Hydromel.

Hydromel dicitur potus mellitus, mulſa etiam dictum: Eſt aliud vulgare, aliud medicatum, & ſimplex, vel compoſitum: vulgare pro potu communiter habetur & eſt aquoſum aut vinoſum: Hydromel aquoſum fit ex parte una mellis, & partibus duodecim aquæ: Vinoſum fit ex mellis parte una, & partibus quinq; aquæ, quod æmulatur magis vini vires; præcipuè ſi cum cinamomi ℥. ij. aut iij. aromatiſetur. Aloſa apud noſtros in communibus ejus officinis reperta, ad aquoſum accedit. Hydromel compoſitum ex ſimplicibus fit, ſuperadditis herbis, affectus aut affectas partes reſpicientibus: fit potus hydromelite ſuavior pro naturis calidioribus, ſic, ℞. cinamomi parum & ſantalor. rubror. ʒiij. ſacchar. partem unam, & partes duodecim aquæ: fiat potio ſecundum artem. Ad hydromel ſimplex ℞. mellis partem unam, aquæ partes duodecim; coquantur, ut amplius non ſpumeſcant, ſeu ad quartæ partis conſumptionem, in colatura aromatizentur. Pro vinoſo ℞. partem unam mellis, partes quinq; aquæ, coque uſq; dum ovum crudum poſſit innatare in colatura: aromatizetur in colatura.

Ptiſana.

De Ptiſana, prout cibus eſt ſub hordeato egimus. De ipſa prout potus, duplex eſt differentia: una ſimplex eſt; alia compoſita: ſimplex, potus eſt ex hordeo; fit ex una parte hordei, & aquæ partibus quindecim, aut viginti: Fit coctio ad hordei intumeſcentiam. Ptiſana hæc detergit, refrigerat, humectat, parum nutriens, febrientibus utilis, billioſis, aut ſanguineis. Ptiſana compoſita, alia alterans, alia purgans: Alterans eſt cui immiſcentur herbæ alterantes, juxta varios affectus, ut radices liquiritiæ, aut graminis, vel paſſulæ & alii fructus: Purgans, cui miſcentur medicamenta purgantia, ut ſi ſuperaddatur ℥. ß. folior. ſenæ, quæ infundantur per noctem: hoc potu mane exhibito utimur per aliquos dies ad educendos humores paulatim, in iis quibus non accidit facilis potionis aſſumptio; Vel ℞. libr. iiij. aquæ hordei, in quibus infunde folior. oriental. ſenæ mundatæ ℥. ij. per diem integrũ, cum pauco coriandro, aut fœniculo; parum calefiant; cola per manicam. Vel adde ſantalum citrinum, aut cinnamomum. Perfectius hordeatum aliqui ſic parant.

℞. Hordei electi è corticibus purgati ℥. ij coque lento igne in aqua limpidiſſima, quę ubi parum efferbuerit, projiciatur, & affundatur alia: Tum coquantur denuo per quatuor horas blando igne: deinde colo tranſmittatur; colaturæ adde ſacchari ℥. j. poſtea parum coque: Solet, ut fiat cordiacum, ſuperaddi margaritarum pulvis. Hoc potius cibus, quàm potus; utile tamen febrientibus alimentum.

Diæta.

Diæta eſt rectus rerum non naturalium uſus. Peculiaris diæta eſt uſus variorũ decoctorum, quæ ſudorifica ſunt: Quæ alterans dicitur, vel ſimul fit alterans, & purgans; & fit communiter ex ligno ſancto, ſalſaparilla, radice chinæ, & ligno Saſafras. Alii verò decocta faciunt ex radice ſalſæ parillæ, chinæ, ſponariæ, cannarum vulgarium, & lignis guajaci, ſaſſafras,

fras, juniperi, tamariſci, lentiſci, viſci, quercini, fraxini, ſantalorum. Hæc pro variis morbis coquuntur, & pro baſi accipiuntur: ſuperadduntur alia, quæ juvant activitatem eorum, alia quæ: ut permeet eorum virtus ad locum affectum conferunt. Decoctum ex iis fit communiter in aqua communi, in ſtillititia, in hordeacea, in jure, in vino. Doſis pro ſingula ℥. guajaci ſumitur ℔. j. liquoris: pro ſingula uncia ſaſſafras ℔. v. pro ſingula uncia ſalſæparillæ ℔. ij. pro ſingula uncia chinæ ℔. iij. & ℥. iiij. pro ſaponariæ pugillo ℔. ij. & ß. pro canar. radic. ℥. j. ℔. ij. pro ſingula uncia ligni juniperini ℨ. ij. pro ejus foliorum & ſeminum m. lib. j. ß. Lentiſcus & ſantali, ſicut ſalſa-parilla infunduntur: fraxinus & Tamarix, ſicut guajacum, ſic & lignum viſci quercini, & Juniperini, præcedit infuſio horum per 24. horas ad coctionem, ſic:

℞. Raſuræ ligni ſancti, ℥. iiij. corticis ejuſdem ℨ. ij infunde in lib. vj. aut ix. aquæ fontanæ, per horas xxiiij ſupra cineres calidos, ſi velis, adde alterantia quæ ſub fine decoquantur: fiat decoctio ad mediæ, ſeu ad tertiæ partis conſumptionem: coletur, ſolet inter coquendum ſuperaddi ſuccus limonum, & colari per manicam Hippocratis, cum ſaccharo, & cinamomo: doſis mane calidum ℨ. viij.

Vel ℞. limaturæ guajaci ℔. ß ſalſæ præpar. ℨ ij. aquæ communis lib. x. infunde per xxiiij. horas, bulliant ad conſumptionem medietatis: cola, & ſerva: ut ℨ. viij. mane & veſperi etiam ſæpè ſumantur. Pro potu ordinario, fit ex iis bochetum ſeu ſecunda decoctio ex reſidentia ingredientium primæ decoctionis, ſic,

℞. Reſiduum ligni & ſalſæ, aquæ communis lib. xv. bulliant ad tertias, pro communi potu, ſuperaddunt aliqui paſſularum ℨ. iiij. cinamomi aut coriandri parum, ab aliis dulcoratur & colatur, per manicam: alii bochetum parant ex ℨ. ij. aut ℥ ij. ß. deſumptis ex pluribus ſudorificis, cum aquæ propoſita doſi, decoctis.

Sudorifica diæta cathartica fit ex ſudorificis decoctionibus, ſuperaddendo cathartica, pro varia indicatione humorum peccantium. Utimur loco apozematis.

Decoctum galli veteris pulli & columbi.

JUs galli veteris, pulli, & columbi deſerviunt in medicina pro variis uſibus: Jus pulli datur ad attemperandos humores acres: Calidius Jus columbi ad reſtaurandum utilius: præparantur ſic: decapitantur, ut expurgentur à ſanguine: deplumantur, exenterantur, vino, aut aqua abluuntur, variis ſimplicibus in ventre intromiſſis replentur, qualia pro gallo veteri ſunt ex uſu, ad varios morbos: præcipuè ad attemperandum, proſunt hordeum, quatuor ſemina frigida, lactuca, violæ, pro aliis pectoris præcipuè affectibus, amilum, gummi Arabicum, paſſulæ, radix dulcis, pro abſumendis ſuperfluis humiditatibus, proſunt radix Chinæ, radix penthaphili, & pro obſtructis conferunt deobſtruentia. Sic ſimiliter fit Jus galli veteris, quod aut eſt alterans, aut ſimul purgans: componitur ex gallo, ſudorificis fructibus, ſeminibus, floribus: ex ſudorificis & fructibus ad ℨ. ij. ex ſeminibus ad ℨ. i. ß. ex floribus ad p. iij. ex radicibus ad ℨ. iij. in ſufficienti aqua quantitate, doſis mane ad ℨ. vj. vel vij. Jus galli incidit, attenuat, detergit, diſſipat flatus, diſcutit materias craſſas, urinam movet, & ſputum, ſubducit

Digitized by Google

cit ventrem : ideo indicatur ab affectibus frigidis & humidis, à cauſa morbi pollente iis qualitatibus, ab imbecillo calore, præcipuè ventris, à pectoris affectibus & juxta illos variis repletur venter ſimplicibus pro coctione, formula hujus.

℞ Gallum gallinaceum ruffum, & decrepitum quatuor, aut quinque annorum curſu defatigatum & verberibus, deplumatum, dum vivit exenteratum, jugulatum, herbis commodis repletum, conſutum coquatur, in ſufficienti quantitate aquæ, donec carnes contabeſcant, & ſeparentur ab oſſibus, donec remaneant ℔. iij. Juris : exprimantur ingredientia fortiter, ſerva in ampulla vitrea, in loco frigido, doſis ℔. ß. aut ʒ. viij. fit jus galli purgans, ſi ſuperaddantur in decoctione cathartica carthamum, polipodium, ſena ad ʒ. ij. epitymum ad ʒ. j. ſaccharum ℥iiij. ut dulcoretur

Deſtillatum reſtaurans.

DEſtillatum reſtaurans dicitur aqua deſtillata, quæ carnis optimi ſucci, & medicamentorum alterantium facultatibus imbuta, vires reſtaurare poteſt. Fit communiter ex carne caponis, gallinæ, aut perdicis, ex aquis cordialibus, vel herbis attemperantibus cum ſucco limonum, & aliquibus cardiacis, ſic: ℞. Carnem caponis n. j. diſſectam ab oſſibus, & pinguedine purgatam, conveniente aqua deſtillata aut communi lotam, ſeu in vino: coquatur perfectè : de colatura fortiter expreſſa, cape ℔. ij. aquæ cordialis q. v. injice in alambicum vitreum fiat deſtillatio, ſuſpendendo in collo vaſis parum confect. hyacinth. aut Alchermes.

Juſculum.

JUſculum aliud eſt alterans, aliud ſolum nutriens: fit ex pullis gallinaceis, aut columbinis, cum carne arietina, vervecina, aut vitulina, vel ex caponis, aut gallinæ dimidia parte & carnis ℔. ß. ad alterandum, ſic: ℞. radicum foliorum, aut fructuum, conducentium pro affectu q. v. coquantur cum pullo n. j. & carne arietina ad ℔. ß. fiat Juſculum, in cujus ℥. vj. ʒ. viij. colatis, & expreſſis diſſolve cardiaca, vel ſuccum limonum : vel ingredientia conſuantur, ante coctionem, in ventre pulli. Reſtaurans ſic: ℞. gallinam pinguem, conciſa coquatur in vaſe bene cooperto, ad putrilaginem, uſque dum fiat juſculum colatum, & expreſſum, & ſeparatum à pinguedine, diſſolve cardiaca.

CAPUT VIII.

De medicamentis internis, mollibus, & ſolidis.

SUb antecedente capite poſuimus medicamenta interna, liquida, ſub hoc agemus de mollibus, & ſolidis.

Bolus.

BOlus eſt medicamentum mollis conſiſtentiæ, & duplex, vel roborans, vel purgans, roborans componitur ex conſervis officinalibus ad ʒß. Purgans fit ex purgantibus medicamentis, ut ex caſſia ſola, vel ſimul cum alio purgante : ut ex caſſiæ ʒ. vj. cum therebintina lota ad ʒ. ij. vel fit ex ſola therebintina ad ʒß. cum pulv. liquiritiæ: fiant boli cum ſaccharo.

Google

Opiata.

Electuarium aut eſt molle, opiata dictum, aut durum, ſub tabellis contentum: Opiata mellis ſervat conſiſtentiam & fit ex illo, aut ex ſyrupo fit alterans, & purgans. Roborans fit ex conſervis cordialibus ad ℥iiij. cum ℥ß pulver. roborantium vel uſque ad ℥j. vel fit ex ſyrupis & pulveribus corroborantibus, partium, reductis ad mellis conſiſtentiam: Uſus ad ʒ. iij. ſeu ad magnitudinem avellanæ, aut caſtaneæ, duobus horis ante prandium, & ſuperbibendo idonei liquoris parum. Purgans fit ex melle, aut ſyrupo purgante, & pulveribus purgantibus, ex illis ſumuntur ℥iiij. pulverum ʒ. vj. uſus ad ℥j. ſingulis quindecim diebus, aut ſemel in menſe, ante prandium cum juſculo aut liquore alio appropriato.

Eclegma.

Elambitivum, lohoc, aut lohot, linctus, ſeu illinctus eſt medicamentum mediæ conſiſtentiæ, inter ſyrupum, & opiatam, quod ori inſitum ſenſim deglutitur, pro pectoris affectibus præcipuè utile eſt, vel officinales, vel magiſtrales: Fit ſimplex ex ſimplicis medicamenti decocto, aut ſucco cum melle aut ſaccharo: compoſitum ex pulveribus, aut electuariis, ſyrupo aut melle exceptis, vel ex decocto variarum rerum, radicum, corticum, florum, fructuum, in cujus colatura reſolvitur ſaccharum, cum pulvere electuarii bechici, vel ex pulpa fructuum fit, ut paſſularum, caricarum, ad ℥ij. & ſeminibus ſimul contuſis & trajectis ad ℥i. addita pulveris appropriati ʒß. cum ſyr. vel ex lohot officinali, ad ℥i. conſervâ ad ʒß. pulv. ad ʒiii. cum ſyrup. vel ex ſyrupis appropriatis & pulv. vel ex butyro cum duplici ſaccharo, ex quibus fit eclegma, doſis ad ℥iiii. uſus lambendo ſumitur, cum cochleari, ſæpe cum radice liquiritiæ.

Conditum.

Conditum medicamentum eſt reſtaurativum compoſitum ex conſerva ad ℥iii. aut iiii. confectione cordiali ad ʒi. pulveribus cardiacis ʒiii. foliis auri n. vj. cum duplo aut triplo ſaccharo. Uſus cum Juſculo aut appropriato liquore, cochlear unum aut alterum, vires recreat, & reficit.

Paſta Regia & Morſelli.

Ex variis ſimul fiunt morſelli, ſeu paſta Regia, ex fructibus bechicis, amygdalis, nucleis pineis, piſtaciis ad ℥iii. ſeminibus, ut quatuor frigidis, ad ℥ii. vel ℥ii. ß. Vel ex carne teſtudinum nemoralium, detractis capite, & cauda, lota in aqua hordei & cocta, fit teſtudinatum, vel ex carne cancrorum fluvialium, ſeu caponis, aut perdicis mixtis, aut ex unaquaque ad ℥iiii. ex fructibus ℥ii. aut ℥iii. ſeminum ad ℥i. ß. pulverum cordialium ad ʒß. cum ſaccharo idoneo liquore ſoluto q. ſ. ſæpè additis moſcho & ambra: fiat paſta ſeu morſ. quæ reſtaurans etiam eſt, & pro pectore utilis.

Pandaleon.

Pandaleon fit tabellarum conſiſtentia in pixide inſtar placentulæ, ex bechicis ſimplicibus, aut compoſitis ad ʒ. ß. cum ſaccharo ſoluto aqua, placentulæ inſtar, vel fit ex conſervis & fructibus thoracicis ad ℥ii. ſeminibus ad ʒi. pulveribus ad ʒiii. cum ſaccharo in aqua idonea ſuf. q. fiat pandaleon ore continendum donec liquetur.

Maſſapanis.

Maſſapanis, ſeu marſi panis, confectio eſt, quæ componitur ex amygdalis decorticatis ad ℔. ß. ſacchari ℔. i. con-

Digitized by Google

contunduntur in mortario marmoreo, & cum ſaccharo fiunt placentulæ, leniter in furno coquuntur.

Pineolatum.

FIt Pineolatum ex æquis partibus pineorum, & ſacchari in aqua roſarum ſoluti.

Tabella.

TAbellæ, ſeu ſolida electuaria ſunt medicamentum ex pulveribus & ſaccharo confectum ad purgandum, vel ad alterandum. Purgantes fiunt ex pulveribus catharcticis ſimplicibus, cum ſuis correctivis, ad ʒ. j. & ſaccharo, in liquore idoneo ſoluto, & cocto, triplo, aut quadruplo: uſus ad ℥ß. vel ʒ.vj. mane cum idoneo liquore. Roborantium maſſa fit ad ʒ. vj. ut plurimum: componitur ex roborantibus pulveribus, & ſaccharo: ita ut ʒviii. vel x. ſacchari addantur pro ℥i. pulverum. Sic fiunt ex pulveribus ſantalorum, arom. roſat. & aliis. Uſus mane & ſæpe etiam veſperi ad ʒ. ii. aut ʒ. iii.

Pilulæ.

PIlulæ ſunt ſolidioris ſubſtantiæ, Officinales, Magiſtralesve, purgantes, alterantesve ſunt: Officinales plures, aliæ ſolam aloëm recipiunt, aliæ aloëm & agaricum, aliæ aloëm, agaricum, rhabarbatum, aliæ etiam recipiunt ſenam, turbith, aut diagridium: fit compoſitio ex ℥i. pulverum, quorum partes duæ ſunt purgantes, alia correctivorum, cum ſyrupo, vel liquore alio, lenti liquoris forma. ℞. maſſæ pilularum ʒi. aut ʒi. ß. diagridii gr. ij. fiant pilulæ, deaurentur: fiunt etiam magiſtrales ex aloë, vel de hiera pro regimine, & ex ℥ß. fiunt pilulæ iiij. quæ vel mane ſumantur per duas horas ante prandium, vel ſumantur bis mane & veſperi per duas horas, ante prandium & cœnam, bis, aut ter in ſeptimana: quarum uſus cacochymis utilis. Pilulæ alterantes fiunt ex pulveribus appropriatis pro corrigenda intemperie, ab ℥ß. aut ℥vi. formantur cum ſyrupo ſimili, aut liquore, forma: ℞. pulver. formetur maſſa ex qua pro ʒi. f. pilulæ vj. duæ ante cœnam aut prandium ſumendæ: ſic fiunt variæ pro thorace, fluxu ventris, ventriculo, gonorrhea, & aliis.

Trochiſci.

TRochiſci ſunt medicamentum ſolidæ formæ, Lupinares dicti, quia fiunt ad lupinorum figuram: Paſtilli, quia fiunt ex variis pulveribus, variis liquoribus exceptis, & piſtis, in orbiculos formantur, ſunt Officinales, aut Magiſtrales: componuntur ex vario rerum pulvere ab ʒi ß. ad ʒii. liquore conveniente, & mucilaginibus exceptis, & in paſtam efformatis, fiant trochiſci, ſeu paſtilli, doſis ʒj. ß. vel ʒii. opiati ſumuntur ad ʒ. ß. deſerviunt etiam pro fumigiis. Muſcardini ſimili fiunt modo, ſic: ℞. ſacchari ſoluti in aqua roſarum, vel aranciorum, ad ℥. ij. moſchi, & ambræ ana gr. iii. aut iiij. amili parum ad conſiſtentiam.

Pulvis.

PUlveres aut ſunt officinales, aut magiſtrales, purgantes, roborantesve. Purgans fit ex catharticis ſimplicibus, cum ſuis correctivis, ad ʒi. vel ʒii. ß. cum exigua ſacchari quantitate: uſus in pleriſque à ʒi. ad ʒii. vel cum correctivis, ut ex pulvere ſenæ & tartari ana ʒi. vel in potentioribus minor eſt doſis, ut ex pulveribus ſcammonii ad gr. v. aut g. vi. ex turbith. & hermo-

Google

hermodactilis ana ℥. ß. Pulvis roborans fit varius, pro variis indicationibus: Pro ventriculo ex côriandro ad ʒ. j. aniſo & fœniculo ad ʒ. ß. & aliis ſtomachicis, ad ℥. ij. cum ſ. q. ſacchari. *Sic* cardiacus fit pulvis ex idoneis cardiacis & pro aliis uſibus, ut ad obſtructiones: fit pulvis ex chalybe præparato, & aperientibus ad ʒ. j. cum ſaccharo, uſus cochleare j. ſuperbibito vino.

CAPUT IX.

De externis Medicamentis.

VAriæ etiam medicamentorum ſortes, & formulæ proponuntur à dogmaticis pro medicamentis uſualibus, quæ ad extra apponuntur. Alia à Chirurgis exercentur, de quibus alibi; alia ex pharmaceutica officina, quorum hæc eſt ſeries.

Epithema.

EPithema dicitur medicamentum ad extra appoſitũ propriè, quod applicatur jecori aut cordi: aliud liquidum, aliud ſolidum: fit hoc ex conſervis ad ʒ. iij. confectionibus ad ℥. iij. pulveribus ad ℥. j. cum idoneo ſucco aut vino apponitur extenſũ ſuper pannum ſcarlatinum, admovetur & removetur per intervalla. Liquidum fit ex aquis ſtillatitiis, vel decocto radicum, herbarum aut ſeminum, ad ℔. j. & pulveribus ad ʒ. ß. vel accipiuntur ſucci ad ʒ. iij. cum aquis appropriatis: aliquando accipitur parum vini, ut pro corde. ℞. aquæ roſ. naphæ, bugloſſæ, vini generoſi ana ʒ. ij. confect. Alche. m ℥. j. miſce, vel pro jecore ℞. ſuccor. roſar. rubrar. cichorii ana ʒ. iiij aceti roſat. ʒ. j. pulv. ſantalor. rubrorum ʒ. j. miſce.

Lotio.

LOtio prodeſt pro omnibus partibus, communior pro capite & pedibus: Lotio pro capite ſeu cephalica lixiviũ eſt ex cephalicis factum, quod aromatizari ſolet, ex aromatibus ad ʒ. ß. & ad purgandum, ſuperadduntur folia ſenæ ad ʒ. ij. agarici ad ʒ. ß. ad ſiccandum ſulphuris ad ʒ. ß. ad roborandum vini parum in fine decoctionis. *Solet* fieri capitis lotio cum aquis ſulphureis. Utimur decoctione lavando caput irrigatione ex alto, mane, ante prandiũ exſiccatur cum ſpongiis. Lotio pro pedibus pro indicationibus fit cum decocto ex herbis, calidis aut frigidis: ſi exſiccandum, ſuperadditur ſal & alumen: Fit lotio pedum, vel pro eorum affectibus, vel pro affectibus aliarum partium, ad revellendum aut ſomnum conciliandum.

Fotus.

FOtus eſt medicamentum, quo pars fovetur, aut eſt humidum, aut ſiccum: humidum aut ſimplex aut compoſitũ. Quodlibet fit ex conveniente quantitate, ad fovendam partem: *Simplex*, ut ex aqua calida, aut tepida, vino, oleo, lacte, oxycrato, hydreolo, aut lexivio; Compoſitum fit ex decoctione variarum plantarum pro uſu: ſuperadditur ſæpè aqua vitæ, vinum aut acetum. Variat fovenda pars doſim: pro oculis ad ʒ. viij. pro ventriculo ad lib. j vel lib. j. ß. ad hypochondria, ad lib. iii. reiteratur uſus, vel mane & ſero, vel per varias vices, applicatio fit cum laneis, filtris, bombace, ſpongia, cana, ſtupa, veſica ſuilla, bubula, utre; in quibus includitur liquor: tepidum apponendum parti, ſic fotus ſiccus in ſacculis fit & pulveribus, aut herbis con-

Digitized by Google

contuſis, aut decoctis, & expreſſis: confert fotus ad dolores, ad emolliendum, ad laxandum, ad diſcutiendum, ad digerendum, ad dolores demulcendos, in inflammationibus oculorum, thoracis, renibus, ad obſtructiones aperiendas, & alios uſus.

Semicupium.

MEdium eſt ſemicupium inter balneũ & fotum. Fit ex eiſdẽ quibus fotus: uſus ſimilis ex eiſdem ingredientibus: fit decoctum in ſ. q. pro ſemicupio, in quo inſideat æger, à genibus mane & veſperi, alvo exonerata; deterſo madore, contineat ſe in lecto: ſæpe & tunc utimur aliquo linimento in parte affecta: prodeſt pro partibus infra pectus pro regione ventris & renibus affectis, ut in urinæ difficultatibus & podagricis.

Balneum.

BAlneum apud veteres pro deliciis uſitatum in fluminibus, apud noſtros pro munditie & attemperatione communiſſimum, ſicut pro morbis variis in aquis thermalibus, & in peculiaribus balneis domeſticis, quæ pro uſu medico ſunt. Balneum aliud aereum, dictum Laconicum: aliud aqueum utile, ut totum corpus præter caput ſubmergatur; quod varium in materia pro variis indicationibus: ſimplex hæc aut compoſita: fit communiter ex aqua ſimplici tepida, pro hecticis emaciatis, ſqualidis, cui ſuperadditur lac: Vel fit ex ſolo lacte, quod præſtantius ad humectandum, & enutriendum: fit ex ſero ad impetiginem, & pruriginem: fit ex oleo in convulſionibus, nephritide & urinæ ſuppreſſione, fit ex decocto hordei & amygdalarum cum roſis, ad humectandum, & refrigerandum: fit ex decocto radicum, & herbarum cum oleo aut & butyro pro nephriticis. Formula ℞. hordei lib. ij. aut iij amygdalar. lib. ij. roſar. à m. iij. ad m. vj. in decocto ſuperadduntur radicum lib. iij. herbarum ſingularum ad m. iiii ſeminum ad ℥. iiii. fructuum ad lib. j. ß. florum ſingulorum ad p. iiii. fiat coctio in ſuff. liquore pro balneo, in quo ingrediendum mane & veſperi.

Stupha.

STupha laconicum ſeu ſudatorium aut ex calido & humido, aut ex calido & ſicco paratur, humido in conopeo, ſtragulis cooperto elevatur vapor ex decocto variarum rerum, vel ipſo infuſo in ſilices candentes, excepto vapore in conopeo benè clauſo ſudet bis in die, longè à paſtu; & poſt ſudorem in lecto permaneat: In ſicco calore fit ſudor, per viam hypocauſti, vel per candentes ſilices ſub conopeo, vel in lecto benè cooperto, ſumpto decocto ſudorifico.

Embrocatio.

SUb embrocatione eſt irrigatio: hæc fit liquore, ex alto profuſo in partem inſtar pluviæ; illa dum pannis, blanda manu, oleo aut liquore alio fricatur pars. Irrigatio componitur ex decocto variarũ plantarum, juxta varias indicationes: pro frigidis affectibus ſuperadditur vinum, aut aqua vitæ ad ℥. ii. aut iii pro frigidis acetum, pro ſiccis oleum, uſus præcipuè in capitis affectibus, in fracturis, & luxationibus. Embrocatio pannis aut manu fit, oleo intinctis idoneo, & ſuperponitur ſtuppis illo

illo imbutis; vel pingui alio liquore. Fit embrocatio partem leviter fricando, utilis poſt balneum, ſæpe ad repellendum, aliàs ad calefaciendum, aut refrigerandum in variis affectibus.

Linimentum.

Linimentum eſt medicamentum liquidum oleo parum craſſius, ex quibus fit commixtis butyro, pinguedine, axungia, medulla, quibus pro parte una, duæ partes olei ſuperadduntur, & ſæpe pulveres ad ʒ. ß. pro olei ℥i. & cum cera fit linimentum: Vel ex oleo cum unguento aliquo, uſus poſt fotum, aut loco illius bis aut pluries in die, præcipuè ad dolores ſedandos, ad partes laxandos, duritíes emolliendas, tumores digerendos.

Unguentum.

UNguentum eſt medicamentum mediæ conſiſtentiæ, inter emplaſtrum & linimentum, aliud eſt officinale, aliud magiſtrale: Fit ex pulveribus, oleo & cera quam maximè: ex oleo ad ʒ. ii. aut ℥iii. cum ſuf. q. ceræ, & pulver à ℥i. ß. uſque ad ʒ. ß: vel ex oleo ad ʒ. iiij. aut ʒvi. cum ſuccis in eadem quantitate, quæ ferveant ad ſuccorum conſumptionem, & cum cera vel idoneo pulvere, vel unguento officinali ad ℥. ij. fit unguentum: ſæpe loco olei ſubeunt pro unguentis medullæ, axungiæ, butyrum; aut mucilagines, & loco ceræ ſuperadduntur gummata.

Ceratum.

CEratum mediæ eſt conſiſtentiæ inter unguentum & emplaſtrum: componitur ex oleo, pulveribus, & cera; pro ʒ.j. olei ℥ j. pulver. ceræ ʒ.ß. Vel fit ex aliquo emplaſtro ad ʒ. ij. aut iij. cum ſ. q. olei: confert, ut oleum contineri valeat, & molliùs placidè apponi poſſit emplaſtrum.

Emplaſtrum.

EMplaſtrum medicamentum eſt craſſius cerato ex eiſdem ac illud compoſitum, paſſim fit ex æquali parte pulverum & ceræ ad olei tantumdem, durius fit ex olei ℥. j. ceræ ʒ.j.ß. pulv.℥. vj. vel magis durum olei ʒ. j. ſolet ceræ ʒ. ij. pulv.℥.vj. aut ʒ. j. ſuperaddi reſina thereƺinthi vel aliæ ad ʒ. ß.

Spanadrap.

SPanadrap eſt linum detritum, immerſum in liquidiori emplaſtro, extenſum & lævigatum, fit ex emplaſtro idoneo liquato cum parum olei ſi ſit ſolidius, ſic applicatum fit aptius.

Cataplaſma.

CAtaplaſma eſt medicamentum pultis conſiſtentiæ ob varios uſus: fit ex mucilagine variarum rerum, plantarum, radicum, foliorum, fructuum, ſeminum, quæ in idoneo liquore cocta contunduntur, & trajiciuntur per ſetaceum, & cum olei ſ. q. fit cataplaſma; ſuperadduntur pulveres, aut farinæ, vel fit ex pulpa fructuum coctorum ſub cineribus additis pulveribus ut ex cydoniis pro ventriculo, vel ex cruſta panis macerata in vino, cum pulveribus conſperſa: vel ex pulveribus & albumine ovorum, confert ad reſolvendum, emolliendum, ſedandos dolores & flatus diſcutiendos.

Puls.

PUls fit vel ex farinis ad ℥. vj. aut vilj. coctis in liquore; ſæpe cum oleo ad ℥ij. ad iij vel fit ex mica panis cum liquore, aut lacte: vel fit ex mucilagine ſeminum althææ, fœnugræci, aut lini ad lib. j. cum ana-

Digitized by Google

analogo oleo ad ℥. iiij. uſus pro morbis in quibus cataplaſma prodeſt.

Rubificantia.

RUbificantia ſunt medicamenta, quæ ſanguinem attrahunt ad cutem, in qua ruborem inducunt; ſub quibus ſunt dropax, ſinapiſmus, phœnigmus, & veſicatorium. Dropax latinis picatio, eſt medicamentum communiter ſub emplaſtri forma uſitatum ad alimoniam partium, & ad illarum vitia antiqua avellenda: communiter fit ex ℥. j. picis aut j. ß. & olei ℥. ß. aut ʒ. vj. liquantur & ſuper alutam applicantur: vel fit ex pulveribus calidis pyrethri, piperis, ſtercoris columbini ad ℥. ß. aut ʒ. vj. vel fit ex iis pulveribus ad ℥. j. cum pice, aut therebinthina ſ. q. vel fit ex emplaſtro de mucilaginibus ad ℥. iij. cum ℥. j. pulverum prædictorum cum ſ. q. olei, uſus ad ſicca membra renutrienda, ad humida exſiccanda: penes magis ſiunt ex iis ſinapiſmus & phœnigmus. Veſicatorium eiſdem inditur nominibus: fit ex officinali emplaſtro, quod veſicatorium dicitur; vel ex emplaſtro ex mucilaginibus ad ℥. ij. cum ʒ. ij. cantharidum & ſ. q. therebinthinæ: vel fit ex veteri fermento ad ℥. ij. cantharidum ʒ. ij. cum aqua vitæ, vel cum aceto & pulver. fortioribus ut ſinapis ad ℥. ß. Uſus ut fiant in parte veſiculæ ad vacuandos per illas humores, & ut revulſio fiat humorum.

Sacculi.

SAcculi fiunt ad diſcutiendum, dicuntur diſcutientes, vel fotus ſicci: vel fiunt ad roborandum, dicti ideò roborantes. Fotus fiunt ex rebus diſcutientibus ut ſunt avena, & milium, aut furfures ad lib. ß. ex ſeminibus lini, fœnugræci, baccarum lauri ad lib. j. ex floribus chamæmeli meliloti ad m. ij. aut iij. ſuperadduntur pro capite flores & radices cephalicæ: conferunt ad flatus diſcutiendos, humores abſumendos: præcipuè apponi ſolent proximè ab hauſtu ſudorifico: ſacculi roborantes fiunt ex pulveribus radicum, corticum, aut lignorum cardiacorum, aut aromaticorum ad ℥. ij. aut ij. ß. adduntur pulveres cyprius, aut violaceus, aut conf. alkermes ad ʒß. ex aliis cardiacis ad ʒ. ij. ex moſcho aut ambra ad gr. vj.

Frontale.

FRontale medicamentum fronti apponitur: componitur ex ſicciori, vel ex humidiori componentium ſorte: fit ſiccioris conſiſtentiæ ex ſeminibus cephalicis ad ʒß. ex floribus ad p. iii. ſæpe cum foliis recentibus ad m. i. vel fit ex iis reductis in pulveres, in molli aliquo receptis, ut in unguento roſaceo, aut populeone, vel fit ex ſuccis floris in ſ. q. Fit frontale ex pulveribus in linteolo oblongo incluſis: irroratur aquâ roſaceâ, aut aceto, roſaceâ præcipuè pro horis ſomni. Humidum frontale in febre & calidis affectibus utilius, ex pannis imponitur. Fit oxyrrhodinum ex unguenti roſacei tribus partibus aquæ roſaceæ, duabus partibus olei roſacei, & parte una aceti roſaci, vel apponitur ex ſuccis frigidis: uſus ad libr. j. ut ſæpè repetantur panni & immutentur præcipuè in vigilia, deliriis, & phrenitide.

Cucufa.

CUcuſa, ſeu pileolus fit ex rebus ſuaviter olentibus cephalicis, ut ex radicibus ad ℥j. foliis ſiccis ad m. iii. floribus ad p. iiii. aromatis ad ʒß. ex pulvere Cyprio & violaceo ad ʒß. ſtechados benzoini ʒi. moſchi ℈ß excipiatur pulvis horum cotone ſeu bombace moſchato, cum panno ſericeo interbaſtato fiat, cucuſa ad caput roborandum.

Collyrium.

COllyrium eſt medicamentum dicatum pro affectibus oculorum: aliud humidum: aliud ſiccum. Humidum aut eſt liquidum quo utimur liquoris forma; aliud craſſius ad mellis formam; liquidum fit ex aqua ſtillatitia ad ℥iii. alia eſt officinalis, alia magiſtralis, utraque fit ad digerendum, diſcutiendum, attemperandum, viſum acuendum, ſuffuſiones delendas, ex ſimplicium foliis ad m. vi. ex ſeminibus ad ʒj. ß. ex floribus ad p. iiii. quibus adduntur fella, ad ʒii. mel ab ℥vi ad libr. i. urina pueri impubis à lib. ß. ad lib. i. vinum album ad lib. ii. vel fit ex ſuccis ſolis filtratis: vel ex decoctis folior. ſeminum & florum, vel ex illis deſtillatis, vel ex vino, lacte, aut urina, quibus omnibus ſuperaddi ſolent pulveres ad ʒ j. vel ʒ. ii. quibus pluries in die inſtillatis utimur, inſtillando guttulas per oculi majorem canthum, vel applicantur ex linteolis imbutis liquore. Sæpe horum fit deſtillatio, & pro uſu in vitreo vaſe ſervatur aqua: ad oculorum ardores, phlegmonem, fluxionem, abſterſionem, attemperationem. Melliforme collyrium mellis, aut pultis formam refert, fit ex idoneis pulveribus tenuiſſime levigatis ad ʒii. aut iii. exceptis mucilagine extracta in aqua conveniente, vel in butyro, aut unguento roſaceo ad ʒß. aut ʒ. vi. vel fit ex mucilaginibus ad ℥iii. in ʒi. aut ʒii. aquæ fiat collyrium inſtar linimenti, ut illinantur canthi oculorum aut palpebræ. Fit etiam ad dolores cataplaſma ex medulla panis ad ʒii. in lacte ad ʒvi. addendo mucilaginis ſeminis pſillii ʒß. vel ex pulpa pomi cocti ſub cineribus, vel in lacte ad ʒii. confert alchool ex variis rebus cuius gr. ii. aut iii. iniiciuntur in oculos cum tenui calamo inſufflat, vel eis utimur ſub forma ſuffitus.

Gargariſma.

GArgariſma eſt medicamentum liquidum dicatum pro affectibus oris, gingivarum, palati, faucium & capitis. Fit ex aquis ſtillatitiis aut decoctis ad ℔. i. vel i. ß. diſſolvuntur ſyrupi ad ʒ. iii. vel ʒ. iiii. vel diſſolvitur mel ad ʒ. ii. aut diamorum, aut dianucum: vel fit ex aquæ ℔. i. aceti ℥ i. vel ex decocto variarum plantarum: vel ex hordei decocto ad ℔. i. cum melle roſaceo cum iis colluatur os ſæpius.

Apophlegmatiſmus.

APophlegmatiſmus, caput purgiumve, eſt medicamentum deſtinatum, ut pituitam à capite evacuet, aut eſt ſiccum, aut liquidum. Siccum maſticatorium dictum, vel fit ex ſimplicibus apophlegmatiſantibus integris, ut ex radice pyrethi maſtice, foliis ſalviæ, tabaci in ore detentis, vel fit ex oleis chymicis ad guttulas in appropriatis decoctis, vel ex maſtice, & aliis pulveribus fit maſticatorium & pilulæ, aut globuli, ad ℈. ii. aut ʒ. i. quod trahatur in ore, vel fit nodulus ex pan-

Digitized by Google

ex panno raro, quem in ore volvat, ut pituita attrahatur à capite. Liquidum verò fit quaſi gargariſma ex decocto cephalico, & apophlegmatiſantibus ad ʒ i. vel ſuperadditur catharcticum, ut ſena aut agaricum ad ℥. vi.

Dentifricium.

DEntifricium confert ad dentes: fit ex liquore ad abluendos, abſtergendos, aut roborandos dentes collutione, aut pannorum in eo intinctorum applicatione, cum aqua plantaginis roſarum, & guttulis ſpiritus vitrioli, vel ex pulvere appropriato ex mineralibus aut radicibus deſumpto ad ʒi ſſ. vel ex trochiſcis cum mucilagine tragacanthi, vel in forma opiatæ cum melle.

Errhinum.

ERrhinum eſt medicamentum quod naribus inditum caput purgare valet: eſt purgans aut alterans, purgans liquidum eſt aut molle: Fit liquidum vel ex ſuccis errhinorum extractis in vino albo, vel ex ſuccis foliorum cephalicorum, vel ex decocto cephalicorum cum errhinis ad ℥vii. vel addita aqua vitæ ad ℥. i. ex quibus fit errhinum tepide ſumendum mane ante prandium. Molle fit ſub linimenti forma ex oleo irino & ſuccis appropriatis ad ʒ. ii. cum cera, ſuperaddendo ℥i. ſſ. pulverum acriorum: vel fit ad conſiſtentiam opiatæ, ex appropriato ſucco ad ʒii. vini albi ʒi. ſſ. cum pauco melle, & pulveribus acrioribus: vel cum ellebori ℈. i. coquuntur ad opiatæ conſiſtentiam. Alterans errhinum ad vitia narium, liquidum, etiam fit & molle, liquidum, è ſuccis aut decoctis aptis fit ad ʒ. vi. aut ℥. viii. in quibus diſſolvitur ſyrupus ab ℥i. ad ℥ii. Molle fit ex pulveribus ad ℥. iii. vel ʒ. ſſ. cum ſucco idoneo & ovi albumine exceptis cum adſtringentibus pulveribus, ad retinendum præcipuè ſanguinem.

Sternutatorium.

STernutatorium eſt medicamentum irritans in naribus & cerebri concuſſione, ſenſim caput à pituita expurgans. Fit ex pulvere irritante. Vehemens eſt ex elleboro albo, communiſſimum fit ex pulvere foliorum nicotianæ, doſis à ℥j. ad j. ſſ. uſus ad gr. ij. aut iij. paulatim per nares attrahitur.

Suffimentum.

SUffimentum, ſeu ſuffitus differt ab odoramento, quia illud ope ignis, ſine illo, hoc odorem emittit immediato contractu, aliud comparatur ad voluptatem, aliud ad ſanitatem. Pro voluptate fit ex ſtyrace, benzoino, myrrha, mace, nuce moſchata, ladano, ſpica, majorana, ambra, cinamomo, moſcho, zibetho, alipta moſchata. Fit vel ſiccum vel humidum, ſiccum, vel ſub forma pulveris ad ʒj. ſſ. aut ij. pro operimentis capitis ad ℥. iiij vel ſub forma trochiſcorum ex prædictis pulveribus cum mucilagine tragacanthi, vel ſub forma avicularum Cypriarum, ex gummi ad ʒiij. pulv. carbonum ſalicis ad ʒiſ. aut ℥vj. vel ℥vij. cum mucilagine gummi tragacanlhi, aut cum ladano liquato, ex iis fit pulvis, vel fiunt aviculæ, ex quibus igne accenſis fumus elevatur. Humidum caſſoleta dicitur, fit ex gummi odoratis ad ʒij. addito pulvere, ad ℥ij. liquoris appropriati q. ſ. ſuperaddi poſſunt ambra, moſchus, zibethum ad gr. iij. aut iiij. vel fit ex ca-

Google

ryophillis, cortice arantiorum & limonum exſiccatis, cum aquæ florum arantiorum q. ſ. vel ex ambra, moſcho, & zibeta exceptis in aqua angelorum. Pro ſanitate fit etiam ſuffimentum triplex roborans, alterans, & ſimul utrumque præſtans: utrumque ſiccum, aut humidum. Fit ſiccum ſub forma pulveris, aut trochiſcorum: cujus quantitas in carbones ardentes injecta fumum elevat, qui pro capite recipitur ore hiante, pro pectore, ore patulo, pro alvo, aut utero, in ſella perforata, pro parte dolente applicatur cum lana, aut bombace, pro lue venerea fit ex cinnabari ad ℥ß. gummi ad ʒ.vj. pulvere roborante ad ʒ. ii. cum therebentina. Humidum fit ex ſimplici liquore in aqua vitæ, aceto, aut alio, vel ex decocto rerum pro uſu aptarum.

Odoramentum.

ODoramentum ordinatur etiam ad voluptatem aut ſanitatem, & fit ſiccum, aut humidum: Siccum præcipuè ſub forma pulveris fit ad ℥ii. aut iii. ſolet ſacculus ex illis fieri: vel fit ad formam pomi ex pulveribus aromaticis ad ℥i. aut ij. cum ambra, moſcho, & zibetho ad gr. iij. cum gummi tragacanthi ſoluti in aqua roſarum, aut ladano: vel ſub forma globulorum ex eadem materia additis carbonibus ſalicis: vel ſub forma odorati ſaponis, & fit ex ſapone Veneto ad ℥iiij. cum pulvere odorato ad ʒß. moſcho, zibetho, & ambra comparatis in aqua roſarum. Humidum fit ad aquæ odoratæ formam, vel ſimplex ut aqua roſarum & naphæ, ad harum ʒß. adduntur moſchi, ambræ gr. iiii. vel compoſitum ex rebus odoriferis: ut aqua angelorum, vel fit ut linimentum ex ceruſæ lotæ ℥i. olei odorati ℥i. moſchi ambræ zibethi, q. ſ.

Scutum.

SCutum eſt medicamentum aptatum ventriculo. Fit ex pulveribus ſtomachicis ad ʒi. ß. qui ſacculo includuntur; vel ex maſſa emplaſtri officinalis ad ℥i. ß. aut ij. vel ex maſtice ad ʒvi. olei abietis ʒij. cum cera: vel ex balſamo extenſo in aluta: forma horum, ſic: ℞. pulver. ſtomachicor. craſſiuſcule tritorum q. ſ. excipiantur cotone moſchato, & cum panno ſerico fit ſacculus ſcutiformis, interpunctus, geſtandus, appenſus in collo ſupra ventriculum. ℞. Emplaſtr. ſtomachic. q. ſ. extende in alutâ ſcutiformi pro ventriculo.

Peſſarium & Naſcale.

PEſſarium eſt medicamentum molle tomento exceptum, ut in pudoris ſinu exceptum ad varios uſus conferat: Eſt purgans, aut alterans: Purgans fit ex opiata laxante ſola ab ʒi. ß. ad ʒii. cum aliquo ſucco, ut Mercurialis, ſæpe cum pulvere purgante, ad ℥i. ß. aut ii. vel fit ex pulvere ſimplicium catharcticorum, aut compoſitorum à ʒ.vi. ad ʒi. aut alterantium acriorum à ℥i. ß. ad ℥ii. cum mellis aut ſucci ſ. q. Fiunt peſſaria cum cotone, aut panno ſerico albo magnitudinis debitæ, longitudinis dimidii digiti, craſſitie pollicis: filo appenduntur ut coxæ alligentur, per iiij. aut v. horas: Alterans & roborans fit ſub opiatæ forma, ex pulveribus appropriatis à ʒvi. ad ʒi. cum melle, aut alio ſucco, vel ex opiata officinali ad ℥i. vel ex ſuccis ad ℥iiij. cum melle ad ʒii. coctis ad formam opiatæ, vel ex pulver. ad ʒi. cum olei & ceræ, q. ſ. vel in hyſtericis ex moſcho & zibeto diſſolutis in liquore & cotone exceptis. Naſcale eſt peſſariolum ad virgines;

nes;

Digitized by Google

nes: Fit ex cotone aut lanæ floſculo, ex zibeto aut moſcho cotone exceptis minutiſſimum.

Suppoſitorium.

SUppoſitorium eſt medicamentum figurâ oblongum, conſiſtentia ſolidum, rotundum inſtar candelæ, glandem vocant latini: eſt ſimplex, aut compoſitum, fit ſimplex ex caulibus, aut radicibus betæ, mercurialis, braſſicæ, decocto cortice, oleo intinctis, aut melle inunctis, aſperſo ſale, vel fiunt ex caule porri butyro, inuncto, vel ex ſapone, vel ex felle reſiccato; vel deſerviunt tragemata, ſaccharina. Cōpoſitum fit ex mellis cocti & indurati ℥i. additis pulveribus ſalis, ſtercoris muris, aloës, hieræ picræ, ſalis gemmæ, armoniaci, nitri, colocinthidis, ex levioribus ad ℨi. ex fortioribus ad ℈. ii. vel fiunt ex pyrethro, pipere, centaurio, radice panicis, & reſina cum pice, & cera: vel fit ex narcoticis pro hæmorrhoidum dolore. Uſus ad ventrem irritandum: fæces expellendas, in ſegni purgante medicamento juvando, ad recti inteſtini morbos corrigendos. Pro his affectibus confert etiam nodulus, qui eſt medicamentum formâ fabæ, ſimile magnitudine, & figura cum minori duritie quam ſuppoſitorium, ex eadem tamen conſtans materia flocculo excepta, vel fiat ex ovi vitello & ſalis ℈. j.

Clyſter.

CLyſter, clyſma, clyſmus, aut enema eſt medicamentum formâ liquidum, quod per potum in inteſtina injicitur, ad purgandum, aut alterandum. Purgans conſtat liquore ex quo, & diſſolvendis in illo: Liquor aut eſt officinalis, emolliens, aut magiſtralis; & hic alterans aut purgans. Fit alterans ex radicibus ad ℨiii. foliis ad m. iiii. ſeminibus ad ℨ. vi. fructibus ad par. vi. floribus ad p. iii. Purgans componitur ex catharcticis in majori doſi quā quæ per os exhibetur, quantitas pro ætate diſſolvuntur in liquore alterantia, mel, ſaccharum, oleum, ſucci, & ſales, emollit oleum, irritat ſal: adduntur opiatæ purgantes, benedicta, catholicum, diaphœnicon, ſacchari quantitas & mellis ad ℥. ij. aut iij. olei ad ℥. iij. ſalis ad ℨi. ſucci ad ℥i. opiatæ ad ℥i. pilularum ad ℨiii. Proxime clyſter deponit inteſtina, ſucceſſione ad id quod evacuatur, à vicinioribus & remotioribus attrahit. Alterans vero ex liquore etiam & diſſolvendis conficitur: Liquor pro indicatione multiplex prout aliter alterare expedit: fit ſimplex aut compoſitus, ſimplex ex decocto, lacte, oleo, juſculo, vino: Compoſitus ex variis componitur pro affectus uſu, additur oleum, ſaccharum, mel ad detergendum: ſucci ad adſtringendum ex foliis plantaginis cum pulveribus adſtringentibus, narcotica pro doloribus, & alia anodina.

Injectiones.

INjectiones in aures fiunt ex oleis, ſuccis, lacte, aquâ decoctis: quæ ſolent miſceri: ex oleo ad ℨ. j. decocto ad ℨ. ii. ſucco ad ℨß. axungiâ ad ℨii. pulv. ad ℈ß. In uterum, fiunt, ex decocto appropriato ad ℥iiii. ex oleo appropriato ad ℥i. ß. ex pulveribus ad ℨiii. fit injectio in uterum per metrenchytem, uſus pro ſedandis doloribus, menſibus ſiſtendis aut movendis, ad detergendum, & attemperandum. In veſicam, fiunt ex decocto apto ad ℥iii. cum melle, aut ſyrupo ad ℥i pulvere ℨi. uſus ad do-

ad dolores & deterſionem. In ſinu fiſtulæ fiunt ex apto decocto in quantitate neceſſaria pro ablatione: uſus ad carnis abſumptionem, deterſionem, ad carnem generandam, cicatricem inducendam.

CAPVT X.

De Therapeutice Chirurgica, Dogmatica & ex Gourmelo, de variis ejus operationibus.

Chirurgia medicinæ eſt pars, quæ chirurgis exercenda committitur: dicit omnem artem, quæ manibus exercetur: artificioſa operatione: Propriè Ars eſt medicinæ miniſtra, quæ artificioſa manuum operatione medetur morbis, qui per ipſam petunt curari. Requirit miniſtrum in manuali operatione inſtructum, qui etiam ſit in moralibus ornatus, vitæ integritate, fide taciturnitate, conſtantia, ſolertia, prudentia; quique ſit peritus in Arte Anatomica, in omnibus partibus chirurgiæ exercitatus & aſſidua manuum operatione; inſtrumentis aptis ad ſuas operationes abundans. Sunt hæc quædam peculiaria pro natura partis affectæ, varia ob figuram, aut materiam: alia ſunt communiora, ut novacula, ſcalpellum, forcipes, volſella, ſpecillum, latum ſpecillum, ſtylus, acies, cannula forata, habena ad membra laqueo intercipienda; faſcia, panniculi linei, lintea carpta, auriſcalpium, forcipes ad dentes evellendos, ferramentum ad eos extrahendos, uncinus. Sit etiam oportet munitus quibuſdam medicamentis, quæ ſubitò illi poſſunt eſſe ex uſu, ut ſunt pulveres ſanguinem ſiſtentes ex maſtiche, polline, roſis, bolo armena; & pulveres cephalici, ex Ariſtolochiæ radice, & iraos, myrrha, & ex aloës; & pulveres corruptam carnem exedentes, ut pulveres Mercurii, alumen crematum; & ſunt unguenta, baſilicon, tetrapharmacum, aureum, dialthææ, Apoſtolorum, & Ægyptiacum: Et ſunt emplaſtra diachylonis, diacalcitheos, diapalmæ, de betonica.

Manualem operationem exercet Chirurgus circa tumores præter naturam, circa vulnera, circa ulcera, & fiſtulas; circa fracturas, & circa luxationes. In tumoribus verſatur in cognoſcendis eorum eſſentiis, indicationibus, juxta diverſas cauſas, prout fiunt per congeſtionem, aut per confluxum humorum, & juxta diverſas tumorū ſpecies; ut ſi tumor ſit phlegmon, cum pure aut ſine illo, ſi ſit cum duritie, cum febre, aut ſine illa; ſi tumor ſit eryſipelas & quæ eius ſpecies; ſi ſit œdematis ſpecies aliqua; ſi ſit ſchirrus exquiſitus, aut non exquiſitus, vel aliquis tumor ex iis, cum commixtis aliorum cauſis; vel ſub iis ſit tumor flatuoſus, aquoſus; bubo non contagioſus, aut contagioſus, peſtilens aut venereus; Carbunculus, gangræna, ſphacelus, ſtruma e herpes, cancer, ſi ſit talparia, vel tumor cum folliculo, atheroma, meliceris, ſteatoma.

Vulnerum etiam attendit naturam, cauſas, partem affectam, accidentia, ſanguinis profuſionem, inflammationem concomitantem; indicationem uniendi labra, & unionem conſervandi, amovendique extraneum; impediendi quod fiat compoſitum, ſi ſimplex vulnus; & impediendi deformitatem. Præcipuèque vario modo proſequitur vulnerum indicationes, juxta varia vulnera, quæ à parte affecta varia exiſtunt,

Digitized by Google

exiſtunt, ut in venis, arteriis, nervis, ligamentis, ſi ſint in capite, in parte externa, in cranio, in partibus contentis, in membranis, in cerebro: Si ſint in thorace, penetrantia, aut non penetrantia, ſi in illius contentis partibus, pulmone, diaphragmate. In abdomine. Si in ventrem penetrant, ad inteſtina, ventriculum, hepar, lienem.

Verſatur etiam Chirurgus circa eſſentiam, cauſas, differentias, & indicationes ulcerum, & in communi, & juxta ſpecificas illorum differentias, prout ſimplicia, plana, cava, cum affluxu humorum; prout maligna, ſeu cacoëthea cum humida, aut ſicca intemperie, aut calida, ſeu frigida, cum vermibus, cum oſſe corrupto aut cum fiſtulis.

Fracturas etiam rimatur, & verſatur in cognoſcendis earum eſſentiis cauſis, differentiis, & indicationibus, juxta earum diverſitatem, de auferenda inflammatione illis ſuperveniente, poſtquam agit de curatione fracturæ, de coaptandis fracti oſſis partibus, de ipſis uniendis, de unione conſervanda, de callo generando: Et ſi ſit vulnus, cum fractura, de varianda curatione, prout os nudatum, aut non nudatum manet.

Nec ſolum fracta oſſa contendit Chirurgus componere, ſed luxata reponere juxta cauſas luxationis, & juxta oſſa luxata: luxationum genericam attendit naturam, & particularem proſequitur curationem, in ſcapula, humore, cubito, radio, carpo, fœmore, genu, aut talo, articuli compoſitionem juxta oſſis ſubluxati, aut luxati articulationem, vario modo proſequitur repoſitionem.

Omnia quæcunque juxta ſubjectam materiam Chirurgia operatur, per triplicem operationem exequi conatur, per ſyntheſim, diæreſim, & exæreſim. Syntheſis eſt Chirurgica operatio, quæ diſjunctas, & contra convenientem naturæ ſtatum ſeparatas humani corporis partes adducit, adaptat, & continet, dicitur deligatio, cunctis Chirurgicis operationibus utilis, ſyntheſis partes ſunt: Faſciatio, ſpleniorum injectio, ferularum adaptatio, deligatæ partis collocatio: faſciatio circumvolutio eſt faſciarum, ad ſalutem, & tutelam affectæ partis, ſive circa membrum affectum, ſive circa vicinam, ſive oppoſitam partem, faſciæ circumductio eſt faſcia vinculum latum, & longum varium pro materia, ſtructura, figura, & longitudine. Materia ex linteis, lana, aut membranis, à figura faſcia, aut eſt longa, aut lata, aut ſciſſa, aut aſſuta, ob ſtructuram alia contexta, alia denſata: Ex lana & lino communiores fiunt, quæ petunt eſſe mundæ, leves, molles, tenues, latæ, integræ: ex illis fit faſciatio ſimplex, aut compoſita, æqualis, aut inæqualis, ſplenia ſunt panni lintei complicati, oblongi, figuram ſplenis imitantes; quæ parti applicantur rectè, obliquè tranſverſe: ponuntur fere ſemper liquore imbuta, ut vino oleo, cerato; Ferulæ fracturis adaptantur poſt membri faſciationem ad continenda oſſa in ſuis ſedibus, quæ leves eſſe petunt, planæ, æquales, ſimæ in extremitatibus: involvuntur lana, aut ſtupa, fracturæ circumcirca imponuntur, digiti ſpatio diſtantes faſciolis involutæ. Apta collocatio deligati membri, eſt apta ejus poſitio, ſervata naturali figura, quæ ſervatur, dum nervi, muſculi, oſſa, arteriæ, & venæ, nec diſtenduntur, nec comprimuntur, & hoc conſe-

conſequitur, dum pars læſa molliter æqualiter, ſurſum verſus, & ſine dolore collocatur. Fit collocatio aut ſuſpendendo aut reponendo, reponitur pars, ne vel à motu concutiatur, vel à fluxione tentetur; & præcipuè ſupra molle, & planum vel in canali. Illaqueatio, laqueo perficitur, qui eſt vinculum nexum, ita ut attractum claudatur: eſt multiplex, nauticus, paſtoralis, Herculeus, Sandalius, chiaſtus, carcheſius, & pangylotus, hyperbatus, conſtans, attollens, lupus: conducunt pro fractis & luxatis oſſibus. Taxis eſt ſyntheſis uniens partes carnoſas disjunctas, cogens ipſas in proprias ſedes: adaptatur pro inteſtinis epiploo, inguinibus, ſcroto, utero, ano dum extra procidunt. Epagoge, ſyntheſis eſt uniens præcipuè decurtatas partes, in naribus, auribus, labris defectuoſis, quas reſarciri conatur: cutis adverſæ partis ad eam quæ reſarcienda eſt acutisſimis forcipibus, vel ſcalpello, incurvo prius inciſæ attrahitur & hamulis continetur, obducuntur ora vulnerum conveniente ſutura, vel deligatione continentur admoto medicamento apto pro partibus reſectis. Sub ſyntheſi eſt ſutura quæ eſt mollium corporis partium, disſitarum, & cruentarum acus filum trahentis trajectu commiſſura: confert in vulneribus tranſverſis, dum multum ora disſident, dum caro alia dependens eſt, alia inhærens, ſi plaga eſt in molli parte, imà aure, imo naſo, fronte, bucca, palpebra, labro, cute, circa guttur, ventre: fit mundato vulnere, non ex toto oris aduſtis, nec nimis rara, nec nimis crebra: fibulæ etiam ſub ſuturis ſunt ad deductas vulneris oras adducendas; ſi in carne enim vulnus eſt, hiatque nec in unum oræ facile trahuntur, ſutura aliena eſt, imponendæ fibulæ ſunt, quæ oras paululum contrahant. Diæreſis eſt corporis humani partium ſive unius generis, & continuæ ſint, ſive nexu aliquo naturaliter conjunctæ, & colligatæ ſalutis conſervandæ vel recuperandæ gratia, diviſio, cujus ſunt differentiæ ſectio, punctio, divulſio, uſtio. Sectio eſt partium aliquarum corporis a re aliqua ſcindente ſolutio facta, ſive ſit pars mollis, ſive dura. Simplex ſectio inciſio eſt; ſub qua eſt phlebotomia quę requirit vinculum membri, cujus venæ ſecandæ, ſcalpellum quo ſecatur, linteola complicata, & deligationem ad ſiſtendum ſanguinem: fit etiam inciſio pro vomicis aperiendis, reliquiſque abſceſſibus; pro qua attendantur locus, membra, natura, muſculi, fibræ, cutis rugæ, venæ, arteriæ per illud diſſeminatæ, quæ vitantur ob illam, qua factâ, ex oleo & vitellis ovorum adhibetur prima curatio: ſubſequitur deterſio cum melle roſaceo aut cum reſina & therebentina. Fiunt etiam, & aliæ ſectiones linguæ vinculi, perforatio ani, digitorum coaleſcentium, coaleſcentiæ in ſinu muliebri. Sub ſectione, ſcarificatio eſt; periæreſis, hypoſpatiſmus, periſcytiſmus, eccope, angejologia, lithotomir, foratio, raſio, ſerratio, limatio, & oſſis ſciſſio, ſcarificatio eſt ſectio, qua cutis levibus inciſionibus aperitur, vel paulò altioribus plagia, ideo & duplex, levis, & profundior, vel fit ſcalpello, vel novacula, incerto numero ad tenues humores evacuandos, & ad trahendum, quæ levis, profundior loco miſſionis ſanguinis ſolet fieri: Perieræſis circumſectio eſt, qua cutis pluribus ſectionibus angulatam plagam efficientibus ſcalpello vulneratur. Fit præcipuè in ictu aut morſu venena-

Digitized by Google

venenatorum animalium, inducentium plagam veneno*ſ*am, & in magnis inflammationibus inguinum, axillarum, aut narium, hypoſpaſthiſmus ſectio eſt ſpatha inſtrumento facta in fronte ad pericranium ſeparandum ab oſſe frontis. *Periſcytiſmus*, eſt circumlaceratio utilis in deflexionibus oculorum orti ex tenuibus humoribus, longa, & frequenti fluxione infeſtantibus. Eccope eſt ſciſſio qua abſcinditur; quod paulatim emoritur, quod corruptum, aut emortuum eſt, vel inutile, ſuperfluum, aut ſupra naturæ modum exuberans. *Angejologia* eſt ſectio vaſorum præcipuè in fronte, in temporibus: fit in hæmicrania, opthalmia, aut continua oculorum fluxione, à Noſtris ex venis, ab Antiquis ex arteriis fieri ſolita. *Lithotomia* eſt ſectio juxta perinæum ad veſicæ collum pertingens, per quam calculus extrahitur, foratio eſt ſciſſio oſſis per mediam partem, ſive terebris, ſive ſcalpris, ſive utriſque, ejus uſus præcipuè pro capitis oſſibus eſt, convenit etiam in coſtis ad aquam educendam ex thorace, & in oſſibus carioſis. *Raſio* eſt detractio oſſium inæqualitatis, nigredinis, & cariei ſcalpro. Complanatio, vel concavatio, ſordidumq; detractio oſſibus adhærentium. *Serratio* eſt corporis duri denticulato ferramento ſectio, præcipuè utilis, dum gangræna inter ungues, alas aut inguina membri calorem exhauſit, limatio eſt dentium attritio limà facta: oſſis exciſio ſeu cartilaginis forcipe facta.

Sub Paracenteſi, ſyntheſis eſt punctim facta acu, vel ſcalpelli cuſpide vel acubus hirudinum, & triplex, quæ docet pungere ſuffuſos oculos; ſecunda phlyctenas; tertia ſetonem affigere. Prima tendit ad curam ſuffuſionum, harum quædam curabiles, aliæ incurabiles, ut ſunt, quæ non coaluerunt, vel coaleſcunt ultra modum, mediæ maturæ ſunt aptæ curationi: non coaluit ſatis dum preſſa digito diuellitur, & iterum coaleſcit: ſi ex compreſſione non deliteſcit, & ferri ſplendentis vel plumbi, vel aquæ marinæ colorem refert; ſi fulgur perſentiat, curabilis, ſuffuſio; non vero quæ nigra, amiſſà naturali figurà, & quæ vehementi ictu, aut gravi capitis dolore orta, nec in ſenili ætate reperta. Phlyctenæ etiam acus ſectione curari petunt: fiunt & per acus ſectionem ſetones actum per cutem trajiciendo cum filo ſive ex ſetis equinis, ſive ſerico, aut lineo: fit etiam acu ſectio, pro aqua educenda ex hydropicis, inter umbilicum, & pubem, ſæpè per umbilicum ipſum juxta illum, circa ilia, per muſculos rectos ventris recenter ad latera umbilici, per quatuor digitos infra: fugiendi explorati: aperiendi, qui ſtare & ſedere valent. Per hirudines fit etiam punctio in morbis cutaneis utilis & in podagricis, in venis pro ſanguine mittendo, in infantibus & in aduſtis in venis hæmorrhoidalibus. *Diaſpaſis* diverſio eſt aliquarum Partium facta ut externa; in partibus aut mollibus, aut duris: in mollibus cucurbitulà perficitur; hæc parti affigitur ad extrahendum contentũ in illa, dum non impedit fluxio in illam, aut impuritas in corpore: confert ad revelendum, in oppoſita Parte affixa: vel affixam ponimus vicinæ parti ad derivandum. Diaſpaſeos eſt etiam dentium evulſio ſine manu, ſive filamentis, ſive forcipe, ſive evellente ferro. Eſt etiam diæreſeos ſpecies uſtio, ſive fiat igne actuali, ſive potentiali, cauſticiſve medicamentis: ab actuali igne actualia affiguntur cau-

teria, diverſa, ratione materiæ, fiunt enim ex ære, auro, argento, lino crudo, ferro, plumbo, ſulphure, oleo, butyrove ferventibus, fungo, radice, aut ſtercore ignitis; Communior & potentior uſtio, quæ ferro fit: ferramenti figura variat cauteria, ſive quia lenticulæ, clavi, nuclei aut olivæ figuram ſervant. Quæ uſtio fit cauſtico ſeu potentiali, ut ab eſcharoticis medicamentis affigitur, ut eſt calx viva, ſoris, miſis, chalcitis allium, thytimali, quercûs & ficûs, cinis, arſenicum, ſandaraca, chryſocolla, æris-ſquamma, & ex iis facta lixivia, ſapones, ſales, & paſtilli.

Exæreſis eſt extractio noxiarum rerum, quæ in corpore genitæ; vel ad extra emiſſæ intra corpus manent, ideò & duplex, quæ ad externas res extrahendas ordinatur, & quæ ad internas: Quæ ad externas; altera ad res quæ vulnerant; altera ad res quæ immittuntur ut in aures, aut nares; quæ vulnerant ut cognoſcantur, aut extrahantur, requiritur læſæ partis anatomes cognitio, ut conſtituatur læſum corpus in ea figura, in qua reperiebatur, dum vulneratum fuit, vel in aliâ non multum diſſimili, tum qua venit extrahendum telum ni profunde pernetret, aut magna vaſa, nervoſa loca, venæ, arteriæ aut nervi impediant, ut manu extrahatur, vel ferreis inſtrumentis ut ſunt forcipes longæ, denticulatæ, rectæ, incurvæ, extrema parte latæ, roſtrum coruinum, roſtrum ciconiæ, gruis, anatis, cygni, os lacertæ. Res externas exeræſis extrahere conatur, ut piſcium ſpina, oſſicula, vel alias res gutturi inhærentes; & quæ in aures immittuntur, ut lapilli, corpora metallica, animalcula, & quæ immittuntur in oculos: embryulcia ſpecies exeræſeos eſt; quæ extrahere conatur res extraneas intus genitas ut eſt extractio fœtus vivi, aut mortui; catheteriſmus eſt eductio urinæ quæ manu exercetur; per quas completur operationum Chirurgicarum numerus, quæ apud Fabricium latè deſcribuntur.

INDEX

INDEX RERUM

PRAECIPVARVM, QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A.

Aborſus.

ABorſum procurare an aliquando Medicis liceat. 219
Vulgaris opinio ſuper hac controverſia, quibus rationibus fulcitur. ibid.
Aborſum directè committens crimen nefarium admittit. 220
Aborſus indirectè ſubſequutus non inducit crimen Medico. 221
Aborſum conantis procurare, impietatem tempus nullum impraegnationis abſolvit. ibid.

Adamus.

Adamo in inſtanti creationis omnes ſcientias naturales, in quibus homo natus eſt inſtrui, Deus infudit. 15
Adamo fuit à Deo infuſa medicina. 23

Aër.

Aër inter res non naturales quam maximè nos valet alterare. 379
Aëris variae immutationes. 380. per tot.

Ætas.

Ætatum mutatio unde oritur. 41
Ætates hominum variae. 35

Analogum.

Analogum quid ſit. 5
Analogum ſimpliciter & ſine addito prolatum ſumitur pro principaliori ſignificato. 7

Animal.

Ab animalibus medicinam homines didicere. 21
Animalia quaenam ſibi medentur. ibid.
In animalibus poſuit Deus virtutes medicinales. 25

Annulus.

Annuli geſtatio antiqua. 139
Annulis utuntur medici ad oſtendenda ſibi adquiſita privilegia ob medicinae praeſtantiam. 140

Annus Climactericus.

Annus quid ſit? 263
Anni differentiae & propria acceptio. ibid.
Climacterica tempora ab Authoribus admiſſa. 264
Annum 63. ex quibus apparet Andraclum judicari debere. 265
Non debere judicari aſſeritur. 266

Antimonium.

Antimonium quid ſit? 295
Antimonii variae appellationes. ibid.
Antimonii praeparationes ad expurgandũ corpus. 299. per tot.
Antimonium an ad uſum medicum debeat admitti, controvertitur. 303
Antimonium calcinatum qualiter liceat recipere. 307

Antipathia.

Antipathiae inter res naturales. 62

Iii 3 *Apo-*

Apophlegmatiſmus.
Apophlegmatiſmus quid ſit? 428
Apozema.
Apozema quid ſit? 414
Apozematis compoſitio. ibid.
Amigdalatum.
Amigdalatum quid ſit? 418
Amigdalati compoſitio. ibid.
Ariſtoteles.
Ariſtoteles perfecit Philoſophiam & Metaphyſicam. 23
Ars.
Artes Mechanicæ ſunt ſeptem. 79
Artes nobilitati obſtantes. 81
Artes liberales quot ſint? ibid.
Artes liberales an ſint Medicina Dogmatica præſtantiores? 82
Arthritis.
Arthritis quid ſit; 249
Arthritis unde oritur. 250
Arthritidis curatio in omni ſecta. ibid.
Arthritidis præcautio cōmunis qualis. 253
Arthritide pro præcavenda qualiter lac præſtet uſum. 255
Vide *Lac.*
Arthritide pro precavenda qualiter balnea naturalia poſſint conferre. 256
Vide *Balnea.*
Aſtra, Aſtrologia, Aſtronomia, & Aſtrologus.
Aſtrologorum fabulamenta. 161
Aſtrologi falſo aſſerunt quod eventus rerum, actiones humanæ, ſalus, aut morbus neceſſario pendeat ab aſtris. 162
Aſtronomiæ aliqua cognitio, in medico requiritur. ibid.
Aſtrorū varii influxus in hæc inferiora. 163
Aſtronomia minus utilis in cura urgenti. 164
Autor.
Autoris operis intentum, p.1. in prolegom. & pagin. 4.

B.
Balnea.
Balnea varia. 256
Balnea aquæ dulcis damnantur ab Avicenna pro Arthritide. 257
Balnea naturalia. ibid.
Balnea naturalia qualiter proſunt Arthritide laborantibus. ibid.
Balnea varia quomodo fiant. 425
Barba.
Barba prolongata aliquantulum decet Medicum. 139
Bezoar Lapis.
Bezoar lapidis varia nomina. 168
Bezoar utendi communis modus eſt error. 169.
Bezoar unde oritur. ibid. per tot.
Bezoar adulteratus. 171
Bolus.
Bolus quid ſit? 421
Boli compoſitio ibid.

C.
Cadaveris Cruentatio.
Cadaveris cruentationis hiſtorica narratio. 258
Cadaveris Cruentationem, ad præſentiam occiſoris admittit Autor. ibid.
Cadaveris cruentationis cauſa inquiritur. 259.
Verior aſſignatur. 261
Calumnia.
Calumniæ nulla pœna impoſita, p. 2. prolegomenon.
A calumniantium detractionibus nemo immunis. ibid.
Multis idipſum comprobatur exemplis. ib.
Calumniatores.
Calumniatores medicinæ dogmaticæ. p. 2. & 75. & 117. per tot.

Eorum

Eorum fundamenta & rationes traduntur, ibidem.
Calumniatorum inanes conatus evelluntur. 78. 79. 117. 130. 131. 132. 135.

Canis.

Canis abſolutè ſumptus ſignificat canem terreſtrem. 7

Capilli.

Capillis uti debet medicus ad modeſtiam compoſitis. 138
Capillorum nimius cultus denotat mollitiem. ibid.
Capillorum defectus turpe vitium. ibid.

Carmina. Vide *Verba.*

Cataplaſma.

Cataplaſma quid ſit? 426

Ceratum.

Ceratum quid ſit? 426

Chirurgia.

Chirurgia inſtrumentum medicinæ. 47.
Chirurgicæ medicinæ partis neceſſitas. 48.
Chirurgia multa offert inſtrumenta pro morborum curatione. ibid.

Chriſtus D.

Chriſtus Dominus fuit verus Medicus. 113.

Cibus.

Cibus neceſſarius animali. 383
Ciborum uſus varii. ibid.

Clericus.

Clericis an liceat Medicinam exercere? 98.
Non licere probatur in aliquibus Juris fundamentis. 99
Clericis quid permittitur quoad medicinam. ibid.

Clyſter.

Clyſter quid ſit? 431

Collyrium.

Collyrium quid ſit? 428

Conciliator.

Conciliator plures effutivit dicacitates in medicinæ præſtantiam. 124
Conciliator incapax eſt ſuis dicteriis præſtantiam medicinæ minuere. 125
Conciliator impius, Apoſtata, & Magiæ deditus. 126
Conciliatoris argumenta refelluntur. ibid.

Conditum.

Conditum quid ſit? 421

Confeſſio

Confeſſioni ut ſe ſubjiciat æger hortari debet medicus. 151
Confeſſionem renuentem ægrum an debeat curare medicus. 151

Corpus humanum.

Corpus humanum ut ſanabile an ſit objectum medicinæ. 29. per tot.
Corpus humanum ut ſanabile, non eſſe objectum medicinæ rationes pro parte negativa proponuntur. ibid.
Non omne corpus ut ſanabile eſt medicinæ objectum. 30

Cucufa.

Cucufa quid ſit. 428

D.

Dæmones.

Dæmonum ope an poſſint morbi curari. 59
Dæmonum ope non licet uti pro morbis curandis. 60
Dæmones ſunt admittendi, & illorum pactum cum Magis. 68

Decoctum Galli.

Decoctum Galli. 420

Deſtillatum reſtaurans.

Deſtillatum reſtaurans quid ſit? 421

Deus.

Deum eſſe, compertum eſt apud omnes 134.

Deum

Deum verum licet Ethnici ignorarint, ad Deum tamen recurrebant. ibid.
Deum colere debet præcipuè medicus. ibid.

Diæta.

Diæta inſtrumentum medicinæ. 47
Diætetic partis neceſsitas & uſus. ibid.
Diætetica docet modum rectè utendi ſex rebus non naturalibus. ibid.
Diæta quid ſit. 420
Diæta peculiaris quid ſit. ibid.

Doctoratus.

Doctoratus gradu medici nobilitantur. 77
Dogmatica medicina. Vid. *Medicina.*

E.

Eclegma.

Eclegma quid ſit? 422.

Embrocatio.

Embrocatio quid ſit? 425

Empirici.

Empirici ſolo experimento utuntur. 10
Empirici celebriores qui fuerint. ibid.
Empiricorum praxis. vide *Praxis.*

Emplaſtrum.

Emplaſtrum quid ſit? 426

Emulſio.

Emulſio quid ſit? 418

Errhinum.

Errhinum quid ſit? 429

Ethica.

Ethica quid ſit, & illius excellentia. 89
Ethicæ præfertur medicina dogmatica. 90

Excrementum.

Excrementa in corpore neceſſaria generantur. 395
Excrementorum ejectio utilis. ibid.
Retentio noxa. ibid.
De excrementis licet agat medicina, & iis utatur, nihil id detrahit illius præſtantiæ. 127
Argumentis in contrarium fit ſatis. ibid.
Excrementa plura morbis ſanandis utilia. ibid.
De excrementis ſub qua ratione agant Medici. 129

F.

Fatum.

Fati acceptiones variæ. 27

Febris.

In febrium curatione errores vulgi à pag. 181. uſque ad pag. 196.
Febres tertianæ intermittentes pernicioſæ, lethales. 315
Febris pernicioſæ natura inquiritur. ibid.
Febris ob quid redditur pernicioſa. ibid.
Febris tertianæ pernicioſæ quot ſint differentiæ. ibid. & p. 317
Vide *Tertiana.*

Fortuna.

Fortunâ an indigeat medicina dogmatica. 32
Fortunâ indigere medicinam, fundamenta aſſerentia. ibid.
Fortunæ acceptiones variæ. ibid.
Fortuna ex Ariſtotele eſt cauſa per accidens. 33
Fortunæ nihil tribuit Paracelſus. ibid.

Frontale.

Frontale quale medicamentum. 427.

G.

Gargariſma.

Gargariſma quid ſit. 428

Gigas.

Gigantes variæ proceritatis. 36

H.

Hæmorrhois.

Hæmorrhois quid ſit? 325
Hæmorrhoidum propago. ibid.
Fluxus. ibid.

Reten-

Retentio. ibid.
In illis utilitates & noxæ. ibid.
In Hæmorrhoidibus dolor ſuperveniens explicatur. 327
Hæmorrhoidum ad ſedandos dolores auxilia proponuntur. ibid.
Pro Hæmorrhoidibus aperiendis hirudinum qualis uſus. 330

Hippocrates.

Hippocrates ampliavit & perfecit medicinam dogmaticam. 22
Hippocratis rationalem doctrinam qui ſequuntur, ii ſunt medici dogmatici. 74
Hippocrates verus medicinæ dogmaticæ Author, & Magiſter. ibid.
Hippocratis genus & origo. 115
Hippocrati templum dicatum ibid.

Hirudo.

Hirudinum uſus pro hęmorrhoidibus aperiendis 330
Hirudinum applicatio qualis. ibid.

Hiſpania.

In Hiſpania medicinam, & reliquas ſcientias ortum habuiſſe, quinam Autores dixerint. 20

Hordeatum.

Hordeatum quid ſit? 418

Humores.

Humorum corruptio quid ſit? 264
Unde oritur. ibid.

Hydromel.

Hydromel quid ſit? 419
Hydromelis uſus. ibid.

Hymen.

Hymen non eſt accidens quarto modo demonſtrans virginitatem. 207

Sanitas.

Sanitas eſt ratio formalis objecti medicinæ. 31

I.

Imago.

Imagines inſculptæ in laminis, quid ſignificent, reſpectu maleficiatorum. 232

Impſalmatores, Impſalmi.

Impſalmi quid ſint? 66
Impſalmatores per quid differant à Salutatoribus? ibid.
Impſalmis non debet uti medicina dogmatica. 68
Impſalmatores, licet verbis divinis utantur reprobandi. 69
Impſalmatores, licet verbis admiſceant remedia naturalia, non tamen admittendi. ibid.

Incantatio.

Incantatio quid ſit? 56
Incantatione an utendum pro morbis fugandis. ibid.
Quinam incantationum uſum admiſerint. ibid.
Incantationum varii modi. 57

Indicationes.

Indicatio curativa à morbo & cauſa deſumpta. 400
Indicationes deſumptæ ex parte diætetica medicinæ. 402
De indicationibus ſumendis pro Pharmacia. 404

Injectiones.

Injectiones variæ. 431

Inſtrumentum.

Inſtrumenta medicinæ dogmaticæ quænam ſint? 47
Quotuplicia? ibid.

Julepus.

Julepus quid ſit? 416
Julepi compoſitio. ibid.

Juſculum.

Juſcula varia. 421

L.

Lac.

Lactis uſus pro præcavenda Arthritide. 255.

Lactis generatio an ſit ſignum evidens prægnantiæ? 198

Lactis uſus & facultates. 418

Lapis.

Lapis inventus in rene Philippi IV. Hiſpan. Regis. 245

Illius moles. ibid.

Lignum vitæ.

Lignum vitæ, cur ſic dictum. 37

Ligni vitæ virtus. ibid.

Linimentum.

Linimentum quale medicamentum. 426

Lotium.

Lotium omnes affectiones corporis humani demonſtrare falſum eſt. 212

Lotium non eſt ſignum evidens prægnantiæ. 213

M.

Maleficiatum, Maleficiatus.

Maleficiati hiſtoria. 228

Malefici morbi indigent remediis naturalibus. 236

Pro maleficiatorum curatione ad Deum precibus recurrendum. 235

Maleficii ſigna qualiter licet deſtruere ad maleficium deſtruendum. 236

Malefici morbi, licet fiant à cauſis intra naturam, poſſunt foveri à cauſis ultra naturam. 230

Imaginis fabricatæ in lamina quid portendent. 232

Maſſa panis.

Maſſa panis quid ſit? 422

Maſſa panis ex quibus componitur. ibid.

Mederi.

Medentur ſuis morbis varia animalia. 21

Medendi praxes variæ. Vide *Praxis.*

Medicina.

Medicinæ dogmaticæ præſtantia, ab antiquo decore diſcedere videtur. pag. 1. in Proleg.

Medicinæ ſplendor quorum culpa & vitio obſcuratus. ibid.

Medicina licet cunctis benefica, à calumniantibus tamen non fuit immunis. 75

Medicina omnium artiū Præclariſſima. 4

Medicinæ dogmaticæ natura. ibid.

Medicinæ variæ acceptiones. 5

Medicinæ nomen propriè ſumptum malè ab aliquibus recentioribus, ad omnium curabilium genus extenſum. ibid.

Medicinæ æquivoca acceptio. ibid.

Medicina ad mixtorum curationem analogicè tantum extenditur. 6

Medicina genericè ſumpta quibus adaptetur. 7

Per medicinam ſimpliciter & ſine addito ſumptam quid intelligatur. ibid.

Medicina proprie ſumpta an ſit idem habitus in omnibus hominem curantibus. 8

Medicina Architectonica diſtinctus eſt habitus. 9

Quod confirmatur ex luculento Galeni loco. ibid.

Medicina dogmatica an ſit præſtantior reliquis medicinæ ſectis. 10

Medicinæ variæ ſectæ. ibid.

Medicina dogmatica demonſtrativè procedit in ſuis operationibus. 11

Medicinæ, quæ eſt ars hominum curatrix, variæ definitiones. 12

Medicinæ dogmaticæ nova definitio ab Authore ſancitur & explicatur. 13

Me-

Digitized by Google

Medicina Dogmatica an ſit ſcientia, ibid.
Antiquorum ſuper hoc varii loquendi modi, 14
Medicina dogmatica architectonica eſt ſimpliciter ſcientia. ibid.
Quod variis argumentis & autoritatibus comprobatur. ibid.
Reſpondetur argumentis aſſertionem iſtā impugnantibus. 15
Medicina dogmatica ponitur inter ſcientias naturales. 16
An ſit ſcientia ſpeculativa. 17
Rationes afferentium contrarium rejiciuntur. 18
Medicinæ Miniſtri unde orti? 19
De medicinæ origine variæ opiniones. 20
A quibus,& ubi fuerit inventa. ibid.
Medicinam ab animalibus homines didicere. 21
Quod inductione comprobatur. ibid.
Medicinæ dogmaticæ vera origo, ibid.
Fuit à Deo Adamo infuſa. ibid.
Medicina dogmatica temporum progreſſu collapſa. 22
A Deo reſtituitur. ibid.
Medicina dogmatica an ſit hominibus neceſſaria? 23
Medicinæ neceſsitatem rationes impugnantes proponuntur. ibid.
Medicinæ neceſsitas à quibus oppugnetur. ibid.
Eorum argumenta diſſlantur, 27 & 28
Medicinæ neceſsitas variis argumentis ſtabilitur. ibid.
Medicinæ ad auxilium recurrere tenentur ægroti ſub peccato mortali ex Theologis. 26
Medicina ex eo quod ſit neceſſaria, non ſequitur,debere eam omnes morbos curare. 28
Medicina ſub qua ratione omnia entia conſiderat. 32
Medicinæ objectum, vide *Objectum, corpus humanum.*
Medicina dogmatica an indigeat fortuna. 32
Non indigere variis autoritatibus & ratione ſtabilitur. 33
Quid de rationibus dubitandi dicendum. 34
Medicina non poteſt omnes cauſas impedire præfixum vitæ terminum accelerantes. 37
Rationes idipſum comprobantes. ibid.
Vide *Terminus vitæ.*
Medicina an ſit ars longa. 43
Medicina dogmatica ita eſt ars longa, ut præ vitæ brevitate nullus poſſit illam perfectè adquirere. ibid.
Medicinæ dogmaticæ tota latitudo poteſt octo annis addiſci. 44
Medicina dogmatica tribus inſtrumentis utitur. 47
Vide *Inſtrumentum.*
Medicinæ dogmaticę actiones quænam ſint? ibid.
Medicinæ dogmaticæ præſtantia & nobilitas. 75
Medicina dogmatica an debeat admitti inter artes quæ valent ſuos profeſſores nobilitare. ibid.
Vide *Nobilitas.*
Medicina dogmatica an ſit præſtantior ſeptem artibus mechanicis. 79. & 80
Medicina dogmatica an ſit præſtantior quam artes liberales. 81
Affirmat Author. 83
Medicina Dogmatica an præferri debeat Theologiæ. 84
Vide *Theologia.*

An Metaphyſicæ. Vide *Metaphyſica.*
An Phyſicæ. Vide *Phyſica.*
An Oeconomiæ. Vide *Oeconomia.*
An Ethicæ. Vide *Ethica.*
An Politicæ. Vide *Politica.*
Medicinæ præſtantiæ an obſtet quod utatur rebus aliquibus ſordidis in hominũ ſalutem. 127. & 128.
Vide *Excrementa.*

Medicus.

Medici quinam dicendi. 9
Medici Architectonici per quid conſtituantur. ibid.
Medicus aptus ad exercendam medicinam eſt duplex. 43
Medicus optimus quis? 44
Admittitur in medicina dogmatica. ibid.
Medicum Rhetorem requirit Gal.& cur. 57

Humidum radicale

In humidi radicalis & calidi innati permanſione ſtat vita. 41
Humidum radicale non poteſt reparari ex principiis generationis. ibid.

Calidum innatum.

In calido innato & humido radicali ſtat vita. 41
Medicus conſummatus quis? 44
Medicus ſpatio octo annorum poteſt perfectam medicinæ cognitionem aſſequi, ibid.& 45
Quid primo anno poſſit diſcere & defendere. ibid.
Quid ſecundo. ibid.
Quid tertio. ibid.
Quid quarto. ibid.
Quid quinto. 46
Quid ſexto. ibid.
Quid ſeptimo. ibid.
Quid deniq; octavo. ibid.
Medici dogmatici quinam dicantur? 27
Medici textuales Hippocratici an ſint dogmatici? 75
Medici ut plurimum cur dicantur malorũ morum. 124
Medicus dogmaticus plura ſunt quæ debet facere.& plura à quibus abſtinere. 134
Medicus debet Deũ colere, ibid. vid. *Deus.*
Medico an ſit veſtis habenda cura? 136
Vide *Veſtis, Capilli, Barba, Annulus.*
Medico neceſſarius virtutis ornatus. 140
Medici nomen quinam mentiantur. 143
Medici perſonam agentes omni tempore extiterunt. ibid.
Medici impoſtores apud vulgus magni habiti. 146
Medicus dogmatic, poteſt uti cautelis contra illos, qui fallere illũ contendunt. ib.
Medicus dogmaticus an debeat deploratos curare, 148
Medicus dogmaticus non debet aggredi nec promittere curationem morbi omni ex parte deſperati. ibid.
Medicus quid circa ægros præſtare debeat. 152
Medicus ob charitatem debet ſuos etiam amare inimicos. 154
Medicus qui ob pactum non ſe obligavit, non tenetur in peſte, aut alio periculo mortis ſe immiſcere ibid.
Medicus non tenetur Ethnicis auxilium præbere, cum proprio vitæ periculo. ib.
Medico an liceat recipere mercedem. ibid.
Medico dogmatico an liceat ægrum fallere, & mentiri ſanitatis cauſa. 158. & 159
Medicus an uti debeat Aſtronomia, ſeu Aſtrologia. 161

Mendacium, Mentiri.

Mentiri an liceat medico dogmatico ſanitatis ægro procurandæ cauſa. 158. 159
Mentiri ſi quando licet medicis, hoc non

lædendi, aut fallendi cauſa, ſed ſimulando & benignitate cum ipſa fallacia ægrum reſtituendo ad ſanitatem. ibid.

Merces.

Mercedem non debent petere medici, 155

Merces debetur mechanicarum artium Profeſſoribus, ibid.

Meſue.

Meſue Pharmaciam dogmaticam inſtituit atque perfecit. 49

Metaphyſica.

Metaphyſica quid ſit? & circa quod verſatur. 85

Metaphyſica an reliquis artibus præſtantior. 86

Metaphyſicâ præſtantior eſt medicina dogmatica, & cur? ibid.

Methodica ſecta.

Methodicæ ſectæ quis fuerit Autor? 10

Methodica in duas communitates omnes morbos reducebat. ibid.

Methodica à Galeno falſitatis convicta, & rejecta. 12

Morbus.

Morbi omnino deſperati curatio non debet ſuſcipi à medico dogmatico. 148

Morbi quorum eradicativa curatio implicat, poſſunt a medico curatione palliativa curari. 149

In morbis communiter deſperatis quid agendum medico. ibid.

Morbos præcavere an debeat medicus. 165.

Pars negativa quibus fulcitur fundamentis. 166

Quæ ſolvuntur. 167

Morbos omnes qui judicant ex ſalubribus ſignis eſſe ſalubres qualiter errent. 215

Munditics.

Mundities confert ſanitati ægrotantium. 124.

N.

Natura.

Natura quid ſit? 287

Naturæ variæ acceptiones. ibid.

Natura quomodo concurrat ad praxim. ibid.

Natura quid præſtet in corpore viventis. ibid.

Natura nõ valet omnes morbos ſanare. 288

Nobilitas.

Nobilitatem ſuis Profeſſoribus conciliare poteſt medicina. 76

Nobilitant ſuos profeſſores omnes ſcientiæ. ibid.

Nobilitat ſuos profeſſores per ſua privilegia medicina. ibid.

Vide *Privilegium. Doctoratus.*

Nux.

Nucis nomine quinam fructus comprehenduntur. 329

Nucum variæ ſpecies. ibid.

Nucis nuclei multum nutriunt. ibid.

O.

Objectum.

Objectum materiale ſpecificativum medicinæ quodnam ſit? 30

Objecti medicinæ ratio formalis, eſt ſanitas. ibid.

Argumenta in contrarium oppoſita ſolvuntur. 31

Odoramentum.

Odoramentum tam voluptati, quam ſanitati inſervit. 430

Oeconomica.

Oeconomica ponitur inter ſcientias morales. 88

Oeconomicæ præſtat medicina dogmatica. 89

Digitized by Google

Olera.
Olera parvum & pravum præſtant alimentum. 388
Olerum variæ ſpecies. ibid.
Olerum ex longo uſu multa generantur excrementa. ibid.
Opiata.
Opiatarum variæ ſpecies. 422
P.
Pandaleon.
Pandaleon quomodo & ex quibus componitur. 422
Paracelſiſtæ.
Paracelſiſtæ nugantur poſſe hominis vitā protogari uſque ad 1900. annos. 36
Paracelſiſtica ſecta.
Paracelſiſtica ſecta a Theophraſto Paracelſo inventa. 10
Paracelſiſticæ ſectæ adjuncta Spagyrica. 11
Paracelſiſtica antiquitus ab Hermete inventa. ibid.
Paracelſiſtica à quibus rejecta. 12
Paracelſus.
Paracelſus ſectam Paracelſiſticā invenit. 10
Cui Spagyricam adjunxit. ibid.
Paracelſus à Dæmone inſtructus. ibid.
Paracelſus nihil fortunæ tribuit, 33
Paracelſus exiſtimat poſſe ſenectutem retrotrahi ad præteritas ætates, 39
Paracelſus ſe Monarcham omnium Medicorum prædicat. 281
Paracelſi errores & propoſitiones impię. 282
Paſta Regia ſeu Morſelli.
Paſta Regia ex quibus fit. 422
Pathemata.
Pathemata ſeu perturbationes animi varia. 396.
Pathematum animi affectiones quales. ib.
Pharmacia.
Pharmacia Inſtrumentum Medicinæ. 47.
Pharmacia quid conferat medicinæ dogmaticæ. ibid.
Pharmacia medicinæ pars 404
Pharmacia, ſimplicium, & mixtorum ſpeculatur facultates. 405
Pharmaceuticæ materia unde deſumitur. ibid. & 406.
Philippus IV. Hiſpan. Rex.
Philippi IV. Hiſpan. Regis morborum decurſus. 240.
Morbi Regem infeſtantes in decurſu ætatis & præcipuè in ſenectute. 241
Morborum Regis cauſa unica admittitur. 242
Regis obitum properantes morbi. 243.244
Morborum Regis curationi adaptata remedia. 245
Lapis inventus in rene Regis. ibid.
Illius magnitudo. ibid.
Regis curationi nebulones ſe ſe offerunt. 247.
Phyſica.
Phyſicam eſſe præſtantiorem medicina dogmatica, quæ rationes faveant. 86
Phyſica quid ſit, & circa quid verſetur. ibi.
Phyſicā præſtantior eſt medicina dogmatica. 87
Pilulæ.
Pilulæ quænam cacochymis utiles. 423
Pilularum variæ compoſitiones. ibid.
Pineolatum.
Pineolatum fit ex æquis partibus pinearum ſacchari, in aqua roſarum ſoluti. 423
Plinius.
Plinii dicacitates in medicinam. 120
Refelluntur. 121
Illius objectis fit ſatis. 123. & 124
Poëtæ.
Poëtæ profani an ſuis dicacitatibus imminuant medicinæ præſtantiam? 101

Poëta-

Poëtarum in medicos dicteria. ibid.
Contra quæ medicina præſtantia defenditur. 102
Poëtarum fabulæ & ineptiæ. ibid.

Politica.

Politica quid ſit, & ejus præſtantia. 90
Politica cæteris artibus clarior. ibid.&91
Politicæ magis eſt affinis medicina dogm. quam reliquæ ſcientiæ. 91

Potio.

Potio quid ſit. 415
Potio duplex. ibid.
Potionum variarum compoſitio. ibid.

Potus.

Potus quid confert animali. 383
Potus variæ ſpecies. 384
Potus vini proprietates. ibid.

Praxis medendi.

Praxim medicinæ exercentium variæ ſortes. 275
Praxis eorum qui ſe fingunt medicos. 276
Praxis methodicorum proponitur 278
Praxis methodicæ Authores. ibid.
Praxis Empiricorum. 280
Praxis ſectæ Paracelſi. 281
A quo primum inventa. ibid.
Praxis artis Spagyricæ ſeu Chymicæ. 283
Praxis Spagyrica, non eſt medicinæ ſecta. ibid.
In praxi Spagyrica varii modi agendi. 284
Praxis Vanhelmontii imaginaria. 285
Praxis medicinæ dogmaticæ. 288
Praxis medicinę dogmaticæ practicæ munus. 289
Praxis medicinæ dogmaticæ ab aliis differt. ibid.
Praxis miniſtrorum medicinæ dogmaticæ. 290
Recenſentur varii medicinæ dogmaticæ miniſtri. ibid.&291
Praxis ægrotantium qualis. 293

Praxis.

Praxis dogmaticæ ortus. 357
Illius incrementa. ibid.
Praxis dogmaticæ Impugnatores. 358
A quibus præcipuè Authoribus promota, & propagata. 360
Praxis dogmaticæ methodus ex Galeni doctrina. 361

Prægnantia.

Prægnantiam evidentibus ſignis cognoſci qui tenent an errent. 196
Cagnoli & vulgarium ſuper hac re opinio. ibidem.
Prægnantiæ ſigna quarto modo propria, nulla ſunt. 197
Prægnantiam quænam ſigna probabiliter demonſtrent. 200
Prægnantiæ an certum ſignum poſſit eſſe lotium. 213

Præmium.

Præmium honorarium licet medicis recipere, ob ſuam beneficam occupationem 155. & 156.
Præmium honorarium ſolis veris medicis debitum. 157

Primoroſius.

Primoroſii argumenta quibus conatur extendere medicinæ nomen ad omnium curabilium genus, refelluntur. 7
Primoroſius pro Veterinario habitus. 5
Primoroſius contumelias, ex aliis contendit tribuere medicinæ, illiuſque profeſſoribus. ibid.

Privilegium.

Privilegia medicinæ Profeſſoribus à ſummis imperatoribus conceſſa. 76

Profeſſor.

Profeſſorum reliquarum artiū dicacitates in medicinam illi non obſtant. 104

Pro-

Profeſſoribus reliquarum ſcientiarumquid ſoleat opponi. ibid.
Profeſſorum ratione nulla ars aut ſcientia eſt præſtantior medicina. 113
Profeſſores juris quid Medicis objiciant. 104
Eorum objecta refelluntur. 112

Profeſſores Medicinæ.

Profeſſores nulla ſcientia aut ars habuit præſtantiores quam medicina dogmatica. 113
Profeſſores medicinæ præclariſſimi referuntur. ibid. & 114.

Prognoſis.

Prognoſis requiſita ad praxim dogmaticam 371
Prognoſeos ſumma in quo conſiſtat. ibid.
In Prognoſi quomodo procedendum ex Hippocrate. 374
Ad prognoſim qualiter conferant ſymptomata animalis morivæ facultatis. 376

Priſana.

Priſanæ, prout eſt potus, differentia duplex aſſignatur. 419
Priſanæ compoſitio. ibid.

Puls.

Pultis confectio. 426

Pulvis.

Pulverum variæ compoſitiones. 423

Pulvis de Quarango.

Pulvis de Quarango qualiter a Medicis admittendus. 184
Unde ſic dictus. ibid.

Purgatio.

Purgatio quid ſit? 415
Ad Purgationem quæ requirantur. ibid.

Purgationes menſtruæ.

Purgatio menſtruorum qualiter fæminis naturalis. 323
Menſtruorum retentionem varia accidentia ſubſequuntur in fæmina. 322
Purgationes menſtruas quæ diminuere poſſint. 323
Menſtrua per diverſa loca erumpentia ibi.

R.

Religio.

Religioni an obſiet medicina? 129
Religioni non ſolum non obſtat medicina dogmatica, ſed illius præceptorũ adimpletioni multum confert. ibid.
Rationibus oppoſitis reſpondetur. 130

Remedia.

Remedia an habeat medicina per quæ poſſit hominis vita prorogari in ultimum vitæ terminum præfixum. 34

Riolanus.

Riolanus ſcriptor acerrimus in Spagyricos. 53
Riolanus non admittit medicamenta Spagyrica. 49
Riolanum inter & Libavium lis ſuſcitata de medicamentis Spagyricis. ibid.
Ejus rationes ſolvuntur. 54. 55

Rubificantia.

Rubificantium variæ ſpecies. 427

S.

Sacculi.

Sacculi ad quid & ex quibus fiunt. 427

Salutatores.

Salutatores quinam dicantur? 66
Salutatores inter & impſalmatores diſcrimen. ibid.
Salutatorum curationes gratiâ gratis datâ perfectæ admittuntur. 70
Salutatores poſſunt habere virtutem à Deo ad ſanandos morbos. ibid.

Sanitas.

Sanitas & morbus ſunt paſſiones viventis. 6

Scientia.

Scientia nulla demonſtrat omnes propoſitiones, quæ ſunt de illius objecto. 28

Scientia

Scientia in ſpeculatione ſui objecti, in varietate opinionum &c. progreditur in infinitum. 43
Ex eo quod aliqui nihil ſciri contendant nihil derogatur de medicinæ præſtantia. 94
Scientiarum vanitas, 95.96
Scientiarum vanitas an obſtet medicinæ, ibid.

Scutum.

Scutum medicamentum, ventriculo aptatum. 430
Ex quibus fit. ibid.

Secta.

Sectæ medicorum variæ. 10
Sectæ medicinæ vario tempore ſucceſsivè ortæ. 19
Sectæ medicinæ an ſint artes longæ? 43

Secta Empirica.

Secta Empirica à ſuis Profeſſoribus cæteris præſtantior judicabatur, & cur? 10
Secta Empirica reliquis antiquior. ibid.
Sectæ Empiricæ quis fuerit Autor? ibid.
Sectæ Empiricæ celebriores antiqui Profeſſores. ibid.
Secta Empirica à Galeno rejecta. 12
Empiria indiget tota vita ut acquiratur. 43

Sectatores.

Sectatores Hippocratis an ſint omnes medici dogmatici? 72
Difficultatis ratio. ibid.

Semicupium.

Semicupium medium eſt inter balneum & fotum. 425

Senectus.

Senectutem an valeat medicina retrotrahere ad præteritas ætates. 39
Affirmat Paracelſus. ibid.
Autoris opinio negans. 40
Reſpondetur argumentis contrariis. 42
Senectus ſtat in inverſione calidi innati & humidi radicalis, ibid.

Serum Lactis.

Serum lactis ſe ſolo medicamentoſum. 418
Seri uſus. ibid.

Sigillum.

Sigillum quid ſit? 61
Sigilla an habeant vim ſanandi morbos. 63
Sigillis an liceat uti. ibid.
Sigilla ope dæmonis valent morbos curare. ibid.
Sigillis uti licere quinam affirmant. 61 62
Eorum rationibus fit ſatis. 65

Simplicia.

Simplicium omnium facultatum gradus recenſentur. 407.408.409.410.411.412

Somnus.

Somnus quid ſit ex Ariſtotele. 394
Quid ex Hippocrate. ibid.
Somnus quid animanti conferat. ibid.
Somno captando nox deſtinata. ibid
Somni inſomnia unde oriuntur. ibid.

Spagyrica remedia.

Spagyrica remedia anadmittenda pro materia medica ſub pharmacia. 51.52.53
Spagyricorum remediorum uſus interdictus in toto Galliæ rego. ibid.

Spagyrici.

Spagyrici ex urbe Pariſienſi ejecti & cur. 50
Qui poſtmodum revocantur. ibid.

Spanadrap.

Spanadrap quid ſit? 426

Sternutatorium.

Sternutatoriũ quale ſit medicamentũ. 429
Sternutatorium ex quibus conſtat. ibid.

Stibium.

Stibii natura & uſus. Vide *Antimonium*.

Stoici.

Stoicorum opinio de fato. 24
Non impedit medicinæ neceſſitatem. 26

Mors.

Mors ſeu vitæ terminus duplex admittitur à Theologis, 28

Stupha.

Stupha quomodo paratur. 425

Stupor.

Stupor & tabes morbi communisſimi, 228

Unde oriantur. ibid.

Sudorifica.

Sudorifica qui aliqua exhibent in morbillis & febribus malignis erumpentibus maculis an errent. 192

Suffimentum.

Suffimentum in quo differat ab odoramento. 429

Suffimentorum uſus & compoſitio. ibid.

Suppoſitorium.

Suppoſitorium quale medicamentum. 431

Suppoſitoris compoſitio & uſus. ibid.

Sympathia.

Sympathiæ inter res naturales. 62

Symptoma.

Symptomata in morbis ſupervenientia. 376

Symptomata qualiter ad prognoſim ferendam conducunt. ibid

Syrupus.

Syrupus duplex. 416

Syrupus ex quibus componitur. ibid.

Syrupi uſus, ibid.

T.

Tabella.

Tabellæ quale medicamentum. 423

Tabellarum compoſitio. ibid.

Tabes.

Tabes & ſtupor morbi communiſſimi. 228

Unde oriuntur. ibid.

Tabis plures ſpecies. ibid.

Terminus vitæ.

Terminus vitæ à Deo præfixus juxta ordinem cauſarum naturalium poteſt ope medicinæ adjuvari & acquiri. 37

Terminum vitæ præfixum nequit omnino vitare medicina. 38

Ad terminum vitæ præfixum conſequendum medicinam non conferre quibus rationibus tentet probare Deodatus. 35

Illius argumentis reſpondetur. 39

Tertiana.

Tertianæ propria genera & ſpecies. 309

Tertianæ intermittentis proponitur Diagnoſis. 310

Tertianæ intermittentis curatio. 310.311 312

Tertianæ intermittentis prognoſis. 313

Tertianarum lethalium curatio qualiter variet. 317.318.319

Theologia.

Theologia Ethnicorum varia. 48

Theologia vera eſt præſtantior medicina. ibid.

Therapeutice.

Therapeutice dogmatica univerſalis. 398

In Therapeuticæ medicina dogmatica maxime differt ab aliis ſectis. ibid.

Timor.

Timor vehementisſimas animi perturbationes commovet. 397

Timor ſpiritus cor ſuffocat. ibid.

Hominem reddit ſtupidum. ibid.

Trochiſci.

Trochiſci cur lunares dicti. 423

Turca.

Turcæ judicant à Deo eſſe præfixum vitæ terminum, & ſpeciem mortis nullis auxiliis mutabilem. 2

Tyrocinium.

Tyrocinium artis curatricis hominum. 3

Tyrocinio in hoc tradendo quale Authoris intentum. 3

V.

Digitized by Google

TYROCINIVM PRACTICVM
Artis curatricis hominum.

Propoſitio hujus Tractatus 335
Sect. I. *De Tyrocinio practico ſectarum, quæ ſub medicina deviant à Rationali.* 336.
Cap. I. *De praxi qua utuntur, qui fingunt ſe Medicos.* ibid.
2. *De de praxi methodicorum.* 339
3. *De praxi Empiricorum.* 341
4. *De praxi ſectæ Paracelſi ſeu Severianæ.* 342
5. *De praxi artis ſpagyricæ ſeu Chymicæ.* 344
[6.] *De praxi Vanhelmonis imaginaria.* 346
[II.] *De concurrentibus ad praxim Dogmaticorum.* 348
Cap. I. *Quid ſit natura & quomodo concurrit ad praxim.* ibid.
2. *De praxi medicinæ dogmaticæ, & qualiter hæc concurrat.* 350
3. *De praxi miniſtrorum medic. dogmat.* 352
4. *De praxi ægrotantium.* 355
III. *De incunabilis & incrementis praxis dogmaticæ.* 356
Cap. I. *De ortu & progreſſu praxis medicæ dogmaticæ.* ibid.
2. *De dogmatica praxis impugnatoribus & propagatoribus.* 358
3. *De fontibus ſcaturientibus praxim dogmaticam.* 360
4. *De methodo Dogmaticæ praxis ex Galeni doctrina.* 361
5. *De ſecundo humorum vitio cacochymia dicto.* 364
IV. *De prognoſi requiſita ad praxim dogmaticam.* 371
Cap. I. *De ſumma præſagationis in arte Medica.* ibid.
2. *De prædictione ex Hippocrate: ex aliquibus rebus naturalibus, & non naturalibus læſis, actionibus rectricibus.* 374
3. *De prædictione ex variis ſymptomatibus animalis motivæ facultatis* 376
V. *De praxi Diætetica dogmatica.* 379
Cap. I. *De aere, & iis à quibus alteratur.* ibi.
2. *De Cibo & Potu.* 383
3. *De motu & quiete.* 391
4. *De ſomno & vigilia.* 394
5. *De eis quæ excernuntur, & retinentur.* 395.
6. *De animi pathematibus, ſeu perturbationibus.* 396
VI. *De Therapeutica dogmatica univerſali.* 398
Cap. I. *De variis inſtrumentis, quibus dogmaticus remedia quærit.* ibid.
2. *De curativa indicatione à morbo, & cauſa deſumpta.* 400
3. *De indicationibus ex parte diætetica medicinæ.* 402
4. *De indicationibus deſumendis pro pharmacia* 404
5. *De gradibus facultatum omnium ſimplicium.* 407
6. *De variis compoſitis medicamentis internis.* 413
7. *De compoſitis medicamentis internis liquidis.* 414
8. *De medicamentis internis, mollibus & ſolidis.* 421
9. *De externis medicamentis.* 424
10. *De Therapeutece Chirurgica dogmatica, & ex Gourmelio de variis ejus operationibus.* 432

FINIS.

Digitized by Google

2. *Fallacia prædicendi ſalubres eventus morborum aperitur* 216
3. *Quæ primo proponũtur ſolvũtur rationes* 218
Reſ. XII. *An errent, qui judicant medicis licere aborſum procurare?* 219
§. 1. *Vulgaris aſſenſus qualis & à quibus fovetur.* ibid.
2. *Quantum ſit ſcelus abigere partum determinatur.* 220
3. *Indirectè ſubſequutus aborſus non inducit crimen Medico.* 221
4. *An aliquod tempus prægnantiæ abſolvat medicum ab impietate: aut cuique licitum, fœtum ſaltem inanimatum deperdere?* ib.
5. *Solvuntur dubitandi rationes primo adducta.* 223

CONSVLTATIONES MEDICINALES.

CONSULTATIO I.

De maleficiato, & ejus curandi ratione. 227
§.1. *Proponitur Hiſtorica enarratio.* 228
2. *Proponitur morborum natura, & illorum naturales cauſæ.* ibid.
3. *Prædicti morbi licet fiant à cauſis intra naturam poſſunt foveri à cauſis ultra naturam.* 230
4. *Imagines fabricatæ in lamina præſtant manifeſtum indicium, quod ægra amatorio ſaltim maleficio fuerit maleficiata.* 232
5. *Per accidens morbi ægrotantis poſſunt ſubſequi ex veneficio amatorio.* 233
6. *Morbi hujus ægrotantis præſuppoſito maleficio, indigent ratione illius, curatione Eccleſiæ.* 235
7. *Morbi malefici indigent auxiliis naturalibus à medicis cognitis plerumque.* 236
8. *Qualiter liceat ſigna maleficii deſtruere ad illud auferendum.* 237

II. *De morbis & interitu Magni Philippi* IV. *Hiſpaniarum Regis.* 239
§. 1. *Catholici Regis morborum ponitur decurſus uſque in interitum.* 240
2. *Priorum morborum infeſtantium Regis ſalutem proponimus naturas.* 241
3. *Horum omnium affectuum unam admittimus cauſam in Rege, originemq;.* 242
4. *Proponuntur morbi obitum Regis accelerantes.* 243
5. *De curatione, quæ pro prædictis morbis profligandis fuit adaptata.* 245
6. *De lapide in rene invento cum pure, & de illius magnitudine in cadavere Regis.* ibid.
7. *De nebulonibus qui Regis curationi ſe ſe obtulerunt.* 247
III. *De arthritidis præcautoria curatione.* 249
§. 1. *Proponitur hiſtorica enarratio conſultationis.* ibid.
2. *Diagnoſis arthritidis proponitur ſeu podagrici doloris.* ibid.
3. *Arthritidis communis curatio in omni ſecta.* 250
4. *Qualis præcautio ſit communis pro Arthritide.* 253
5. *Qualiter lac præſtet uſum pro præcavenda Arthritide.* 255
6. *Qualiter balnea naturalia poſſint prodeſſe pro præcavenda arthritide* 256
IV. *Quale cadaveris cruentatio præſtet indicium ad torturam.* 258
§.1. *Hiſtorica enarratio & conſulendi occaſio proponitur.* ibid.
2 *Cruentationis cadaveris poſſibilitatem admittimus ad præſentiam occiſoris.* ibid.
3. *Divagatur in quærẽda cauſa cruentationis in cadavere coràm occiſore.* 260
4. *Quæ placuit cruentationis, in cadavere cauſa verior, & quæ poſſunt ſuperaddi, & quid reſolvitur.* 262

V. *De anno Climacterico, & quod minatur periculum.* ibid.
§. 1. *Proponitur hiſtorica enarratio conſultationis.* 263
2. *Quid annus, & quæ illius differentia, ac propria acceptio.* ibid.
3. *Climacterica tempora quæ admittuntur ab Authoribus.* 264
4. *Ex quibus apparet annum 63. Andraclum judicari deberi.* 265
5. *Andraclum non debere judicari annum 63. determinatur.* 266
VI. *De ſuſpicione exhibiti veneni in convivio.* 268.
§. 1. *Proponitur conſulendi ratio, occaſioq́, dubitandi.* ibid.
2. *Quid venenum, & variæ illius differentiæ proponuntur.* ibid.
3. *Qualis ex ſignis ven. appareat ſuſpicio quod mors hujus juvenis ſit ex veneno dativo* 270
4. *De veneno ope dæmonis communicato qualis ſuſpicio.* 271
5. *Inveſtigatur poſſibilitas, & dignotio nativi veneni.* 272
VII. *De cõmuni praxi omniũ medentiũ.* 274
§. 1. *Conſultationis proponitur occaſio, & vulgaris opinio inſipientiũ cogens ad illam.* ib.
2. *Proponuntur variæ acceptiones medẽdi variæ medicinæ praxim exercentiũ ſortes.* 275
3. *De praxi, qua utuntur, qui fingunt ſe Medicos.* 276
4. *De praxi Methodicorum.* 278
5. *De praxi Empiricorum.* 280
6. *De praxi ſectæ Paracelſi ſeu Severiana.* 281
7. *De praxi artis ſpagyricæ ſeu chymicæ.* 283
8. *De praxi Vanhelmontii imaginaria.* 285
9. *Quid ſit natura, & quomodo concurrat ad praxim.* 287
10. *De praxi medicinæ dogmaticæ.* 288
11. *De praxi miniſtrorum medic. dogmat.* 290
12. *De ægrotantium praxi.* 293
VIII. *De Stibii natura & uſu.* 294
§. 1. *Proponitur occaſio Conſultationis, & totius diſcurſus ratio.* ibid.
2. *Antimonii natura & vires inquiruntur.* 295
3. *De antimonii præparationibus in uſum medicinæ.* 297
4. *Antimonii præparationes ad expurgandum corpus proponuntur.* 299
5. *Controvertitur an ad uſum medicum debeat antimonium admitti.* 303
6. *Qualiter liceat antimonium calcinatum recipere ad uſum medicinæ Dogmaticæ.* 307
IX. *De tertiana intermittente.* 308
§. 1. *Proponitur Conſultationis occaſio & totius diſcurſus.* 309
2. *Tertianæ propria præſcribuntur genera, & determinatur quæ morbi ſpecies.* ibid.
3. *Tertianæ intermittentis proponitur diagnoſis & curatio* 310
4. *De prognoſi tertianarum intermittentiũ.* 312
5. *De febribus intermittentibus, quæ quia perniciosæ fiunt lethales.* 315
6. *Qualiter variat curatio lethalium tertianarum.* 317
X. *De muliere hæmorrhoidum vehementiſſimos dolores patiente.* 322
§. 1. *Hiſtorica enarratio proponitur, & variæ ſubſequuta accidentia ex retentis menſtruis.* ibid.
2. *Qualiter menſtrua purgatio ſit fæminis naturalis.*
3. *Quæ imminuant menſtrua illave aboleant faciant, & loca diverſa per quæ erũpunt.*
4. *Hæmorrhoidum propago, qualis fluxus ejus retentio in illis utilitates & noxæ.*
5. *Supervenientis doloris cauſæ aperiuntur aliqua auxilia, ac doloris natura.*
6. *Hirudinũ qualis uſus pro hæmorrhoid aperiendis & earum applicatio qualis.*

TYI

V.

Vanhelmont.

VAnhelmont inconſtans fuit dogmaticæ medicinę Profeſſor. 11
Ab illa receſsit. ibid.
In Paracelſum abiit. ibid.
Conatus eſt novam condere ſectam ibid.
Dicit à Deo ſibi fuiſſę medicinam revelatam. ibid.
In quo ponebat rationem morbi. ibid.
Contendit docere auxilium pro hominum concilianda immortalitate, & morborum omniũ ſecuritate,ſed fruſtra. ibid.
Vanhelmon. praxis imaginaria.vid.*praxis.*
Vanhelmontius doctrinam Ariſtotelicam & Galenicam rejicit. ibid.

Veneficium amatorium.

Veneficium amatorium imaginibus expreſſum. 232
Ex veneficio amatorio quomodo poſsit conſequi morbus. 233

Venenum.

Venenum quid ſit? 265
Veneni variæ acceptiones & differentiæ, ibid.
Veneni exhibiti ſuſpicio quibus ſignis fundata. 270
Veneni varii modi alterandi & nocendi. ibid.
Veneni ope Dæmonis exhibiti qualis ſuſpicio. 271
Venenum nativum. 272
Venenum dativum. ibid.
Veneni nativi dignotio. ibid.

Verba.

Verborum uſus an liceat pro morbis curandis. 57
Verba unde vim haurire poſsint ad morborum curationem. ibid.
Verba ab hominibus prolata nullã habent naturalem virtutem ad morbos ſanandos. 58
Verba & carmina ope Dæmonum poſſunt mira efficere. 59
Verbis uti ſuperſtitioſis non licet. 60
Argumenta in contrarium ſolvuntur. 61
Quidam condemnatus, quod ſanctæ conſecrationis verbis recitatis omnes morbos curaret. ibid.

Veſtis.

Veſtis & ornatûs an ſit habenda cura Medico. 136
Pars negativa quibus authoritatibus fulcitur. ibid.
Veſtium ornatus nec nimis plauſibilis, nec indecens ſuo muneri medicũ decet. ibid

Vigilia.

Vigilia ſomno opponitur. 394
Vigilia moderata, qualiter animal univerſum reficiat ac recreet. ibid.

Vinum.

Vini uſus & præſtantia. 384
Vini variæ ſpecies. ibid.
Vini proprietates & effectus. ibid.
Vini variæ appellationes unde ortæ. ibid.

Vinum medicatum.

Vinum medicatum, vel ut potus vel ut alimentum ſumitur. 417
Vina medicata varia enumerantur. ibid.

Vipera.

Vipera unde ſic dicta. 175
Viperæ adextra applicatæ juvant pro ſalute hominis. ibid.
Quod comprobatur mira hiſtoria de ſpelunca ſerpentum mirabili ad oppidum Pracciani, vulgò *il Saſſo*, duodecim leucis Romà diſtans. 176

Viperarum caro, ore ſumpta variis modis poteſt hominibus prodeſſe, 177
Viperis quinam populi in cibum utantur, ibid.
Viperinis pro paſtillis efformandis nulla panis determinari debet quantitas, præter requiſitam ad eorum conſiſtentiam, ibid.
Viperinis pulveribus plerique non ſine errore utuntur pro hypochondriacis, 179

Virginitas.

Virginitas an poſſit aliquibus ſignis cognoſci, 201
Virginitatem non atteſtantur ſigna communiora adducta. 203
Virginitatem non demonſtrat ſinus pudoris coarctatio. 205
Virginitatem an demonſtret cruentatio & dolor aſper in primo concubitu. ibid.
Virginitate pro atteſtanda quantum obſtetricibus fidendum, 203
Virginitatis cognitio qualis in mulieribus poſſit haberi, 209

Virgo.

Virginis in mammis lac an poſſit generari 198
Virgines quænam dicantur, 201
Virginibus plura contingunt, quàm fæminis, 202
Virginem vocis mutatio an denotet corruptam, ibid.

Virtus.

Virtus quid ſit? 140 & 141
Virtus quænam Medico neceſſaria? ibid.

Vita.

Vita quid ſit? 34
Vitæ humanæ varii termini, 35
Vitæ duratio ſæpe ultra communem ordinem progreditur, 36
Quod variis exemplis, tum ex ſacra, tum ex profana hiſtoria comprobatur, ibid.
Vitæ conſervatio magna ex parte pendet ex debito uſu rerum nonnaturalium. 37
Vita brevis eſt comparativè ad Medicinæ longitudinem, 43

Vomitorium.

Vomitoriorum triplex differentia, 416
Vomitoriorum compoſitio, 417
Vomitoriorum uſus varii, ibid.

Uroſcopi.

Uroſcoporum opinio apud vulgus recepta. 210
Uroſcoporum inſcitia. 212

Unguentum.

Unguentum eſt medicamentum mediæ conſiſtentiæ inter emplaſtrum, & linimentum. 425

Vulgus.

Vulgi errores circa Medicinam. 168
Vulgi error in lapide Bezoar. Vide *Bezoar.*
Vulgi error in uſu Amuletorum, & aliorum remediorum. 181. 182. 183

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google